Ex meis ab claudii Mon...

PRAXIS MEDICA,

SIVE COMMENTARIUM

IN APHORISMOS

HERMANNI BOERHAAVE

De cognoscendis & curandis Morbis.

PARS TERTIA.


Editio tertia, aucta, & accuratissima.



LONDINI,

Sumtibus Societatis.

M. DCC. XXXVIII.





De Morbis Internis, & de Febribus in Genere.

MOrbus internus est diathesis partium, quæ lædit functiones ut sedes materiæ in sensus non incurrat, sed intra corpus lateat.

§. 558. *Febris* notat Latine calorem conceptum humoribus, cujus ope humores depurantur, hæc veteribus Medicis fuit idea Febrium, hinc Febris dicta fuit à Dea Februa, quæ depurationi præesset, unde etiam Februarius dictus est, quia Romani eo mense purgabantur, ergo Februarius significat expiationem seu repurgationem piaculorum, unde Febris est quasi repurgatio sanguinis. *Hippocrates* Febrem consideravit pro sanguinis impuri despumatione à puro, hanc optimam esse putavit, hinc nunquam Febrim impedivit, uti ex ejus libris videri potest, sed semper malignas causas sustulit, impetum retundit, & si impetus sit parvus, excitavit, nos vero curare volumus & sic ægros perdimus, dixit præterea Podagram esse Purgationem Sanguinis senilis & catharsin depuratoriam in senibus, quæ sic repurgat, ut nullum morbum relinquat, hinc *Hippocrates* Podagram non curavit, nisi quatenus causas sustulit, ergo fuit solus naturæ minister & sapientior in his, quam ullus Medicus. *Sydenham* putat etiam omnem Febrim esse purgationem humorum, & cum fer-

fervendo corpus quasi depurat ; adeo veteres Catharsin vocaverunt ; ergo *Febris* est *motus natus in corpore ex ipso corpore*, *cujus affectus est eliminare illud*, *quod morbum facit*.

Frequentissimus. Nemo unum diem transigit sine Febre, sic bihorio vel trihorio post pastum vel post largiorem vini potum vel exercitia corporis majora Febricula laborat homo ; nemo mensem transigit, quin torporem &c. habeat, qui torpor abstinentia sanatur, hinc est morbus omnium frequentissimus.

Inflammatione. Nulla Inflammatio sine Febre ; ut dicit *Helmontius*, parva spina in digiti apicem intrusa facit Febrim, hac vero sublata vel suppuratione superveniente Febris tollitur, sic nunquam vidi Pleuritidem, quæ prius semper non antea Inflammationem habuit, hinc Febris semper est vel causa vel effectus, sed omnis Febris non est Inflammatio, ut multi dixerunt. Veteres putarunt Febrim antecedere mortem, sed in morbis subtilissimis vix observatur Febris, tamen nemo moritur sine Febre, non purgare neque vomere potest, nisi illo tempore adsit Febris, hinc non curanda est Febris, nisi Febris plus noceret quam illa materies, quam Febris debellare conatur, hinc ille est magnus Medicus, qui Febrim fovet, quantum debet foveri, & qui eam tenet in illo æquilibrio, ut ipsa tollat morbum, inde pessime faciunt, qui totam Febrim semper conantur debellare, priusquam suum opus exegerit, ita ut nimia catharsi & nimia Venæ Sectione æger Hydropicus tandem à debilitate reddatur, ut faciunt Galenici & imprimis Galli, nec magis feliciter agunt, qui semper Febrim augent, ut debellent morbum, sicuti *Helmontiani*.

Comes.

Comes. Nulla eſt Inflammatio, quin ab initio uſque ad ſtatum, à ſtatu uſque ad declinationem Febris eam concomitetur.

Morborum. Infiniti morbi diverſis nominibus traditi ſunt ab auctoribus, qui in ipſa ſua natura Febres ſunt, ut Inflammatio in cerebro Phrenitis, in Pulmone Peripneumonia, in Pleura Pleuritis, ita ut una Febris poſſit facere omne morborum genus, nec mirum, ſi homo ſanus augeat ſanguinis velocitatem, ut dicebam in Capite *de morbis ab aucta velocitate productis*, poteſt omnes morbos imo Peſtem ipſam ſibi conciliare intra viginti quatuor horas, ſi enim ultra illud tempus currat, erit mortuus cum maculis rubris. Generale eſt Proverbium, nemo moritur niſi cum Febre à cauſis externis, quamvis per Febrim non moriatur, tamen non ſine ea, & ſi centum ægri moriantur, certiſſime nonaginta novem moriuntur cum Febre, quod veriſſimum eſt, nam quam facile oritur, vix enim aſſumimus ſalina, vix balnea ingredimur, vix frictiones patimur, quin continuo Febriculæ excitentur; nunquam moritur Hydropicus ſine Febre orta ſcilicet à putredine humorum; Chirurgi, ſi Suppurationem promovere velint, ſemper excitabunt Febrim, ſi quid ſit obſtructum, excitatur Febris, cujus motu tentatur obſtructi reſolutio, vel ſublatio, & obſervetur omnium morborum cura, ſemper apparebit excitari Febrim v. g. Hydropico dantur Febrim excitantia, quæ purgando evacuant, uti Abſynthium, Gentiana, Cæpæ, Cortex Magellanicus &c.

Sanationis. Febris eſt inſtrumentum naturæ, per quod conatur id, quod Febrim excitat, à corpore amovere; omnes morbi interni fiunt

à sex rerum non Naturalium abusu vel per senectutem vel per contagium, quod saluberrimos æque ac ægrotantes afficit, sic per sex res non naturales male administratas, fit motus major, sitis, calor, hæc duo postrema determinant hominem ad capiendum dilutum subacidulum, frigidiusculum potum, hoc modo corrigitur & sanatur Febris, si per ætatem vel per vitia nata in humoribus oriatur Febris, res plane est eadem, sic administretur febricitanti copia aquæ medicamentis conducentibus mistis, his liberabitur corpus à suscepto contagio, utrum hoc fuerit Venereum, utrum Variolosum sanguini mistum facit natura Febrem, situm, calorem, per quæ natura ipsius febricitantis impellitur, quantumvis non consuluerit Medicos ad potum acidulum, aquosum, non vero ad salsum, non ad pinguem, à quibus natura abhorret, & sic natura facit, ut malum & contagium v. g. Variolosum ad cutis exteriora determinetur specie macularum rubrarum, & tum natura fecit, quantum potuit, si hoc destituti essemus beneficio, materia proveniens ad nobiles nostri corporis partes sese ibi figens eas pessumdaret; sic *Hippocrates* dicit Deum creando corpora humana ea aptissima reddidisse ad exercendas infinitas motuum varietates & instruxisse tali diathesi, ut ab æquabili motu nunquam lædere potest. Medicus tantum est naturæ minister, hincque adjuvare debet, nunquam deprimere, quia semel deleta nil amplius superest, amissam restituere nequit, ergo Febris tantum non est metuenda, nam sæpe si sibi relinqueretur & naturæ indulgeretur, plures jam intereuntes emergerent, quod nobis clare explicat, *Hippocrates* dicit Febris superveniens Apoplexiæ, Apople-

plexiam ſolvit, Febris Quartana ſanat omnes morbos generis nervoſi, nempe Epilepſiam, Paralyſin, Hemiplegiam, Paraplegiam, Spaſmum, tumorem Podagricum perfecte; Tertiana plurimos morbos; Continua omnes morbos. Si quis non aſſuetus veniat in regionem, in qua nunquam fuit, & utatur victu alieno, incidit in Febrim, ſed poſtquam hanc Febrim habuit, poteſt hæc omnia ferre, homo ſaniſſimus non accipit Variolas concomitatas cum Febre, ſed oritur effectus, cujus ope venenum hauſtum ad cutim depellitur, ille veniat inter mille varioloſos, Variolas nunquam iterum accipiet, ergo Febris non eſt metuenda; credo plures ægros mori, quia Febris ſanatur, quam quia non ſanatur. Anno elapſo cum Febres Epidemicæ graſſarentur, tum Medici in Praxi occupati omnibus, qui bile laborabant, Corticem Chinæ præſcripſerunt, unde milleni in Hydropem conjecti mortui ſunt, ab hepate corrupto; hinc ergo videmus quod Febris non tanquam hoſtis, ſed tanquam auxiliator conſiderandus ſit, Medici tantum eſt hoc obſervare, quod putat in vita eſſe utile. Si Methodus inveniri poſſet, excitandi Quartanam Febrim, quemadmodum removendi ars novit, plurimis morbis ſuccurrere poſſemus, qui Vomicam habet in Thorace, laborabit Febre Hectica; quæ Febris eſt unicum ſolatium, ſi enim tolleretur remanente Vomica illico æger ſuffocaretur.

§. 559. Medicis ab Idiotis objicitur, quod non intelligunt morbos: exemplum ſumunt a vulgari & frequentiſſimo hoc morbo, dicunt eos neſcire quid ſit Febris, hinc maxime in id incubuerunt, at *Hippocrates* eam vocavit *τὸ θεῖον*, id eſt, *latens*, ſeu *divinum* nam latet in cor-

pore humano febricitante aliquod ens distinctum & separatum, quod si cognoverimus, jam sciremus ejus naturam. *Galenus* eam à bilis copia deducit, apud Chemicos audit iratus Archæus, Carthesianis conflictus particularum Philosophicarum, Sylviani suam effervescentiam & fermenta crepant.

Cavendum. Physica morbi natura, id est, Physica conditio, quæ in corpore est præsens, facit id, quod vocatur morbus, nunc est definire, quid in corpore sit, quod morbum facit. Is qui asserit, facile errare potest, si enim hic imaginando aliam facit, quam quæ est, errabit in tota natura indaganda; quo nunc res magis remota est à sensibus, eo facilius errori præbet causam, quoniam nunc Febris est adeo abdita, ergo Medicus nunquam facilius errare potest in definienda morbi natura quam hic, sed quo major præcipitatio, eo major debet esse cautela, ut hæc evitetur.

§. 560. Si viginti Medicos legamus & eos in descriptis rogemus, quid sit Febris? viginti forsan diversam habebunt sententiam, Febris est vel calida, vel frigida, vel temperata, vel sine dolore, vel cum dolore, vel cum vomitu, vel absque & alvi dejectione, vel sine, & omnia opposita illam concomitari possunt, hinc tot sententiæ à Febribus, hinc non quærenda est natura Febris ex illis Phænomenis, nam tunc tot essent Febres, quot Phænomena; quædam Febris toto suo decursu est frigida, hinc quidam Febrim dixerunt esse Refrigeratorium Sanguinis, at Febris est ubi calor & desinente frigore, *Galenus* dixit Febrim esse ortam à calore sanguinis, sed non potuit respondere quærentibus unde illud frigus. Error ergo fit, quia Febris latet, sed

ſed ſenſibus fit cognita per mutationes Phyſicas in corpore ægroti, & illæ mutationes ſenſibiles redditæ vocantur Phænomena ſeu Symptomata Febrium, ſed hæc Symptomata ſunt innumerabilia, ſi nunc Medicus primum ſymptoma pro Febre accipiat, ille habet id pro Febre, quod re vera eſt ſymptoma; rogo v. g. quid Febris? unus reſpondet eſt calor, quem hic in ægro video, alter hic ſummum frigus, alius videt Cephalalgiam & affectum cerebrum dicit eſſe Febrim, inde factum eſt, ut coner dicere, Febris eſt ſemper una & eadem, ſed id, quod Febrim facit, eſt abſconditum, ſed mutationes, quæ inde oriuntur falſo pro Febre habitæ ſunt, cum nunc nil proclivius eſt in natura, quam ut id, quod præſens abripiatur pro eo, quod abſconditum eſt, unde tot opiniones de Febribus ortæ ſunt, ſed hi boni viri non diſtinxere, quod illa Symptomata abeſſe & adeſſe poſſint. Febris cum omnibus ſymptomatibus pono, quod vocatur multiplex Calida, Frigida, Urinaria, Diarrhæa, Colica, Iliaca, Spaſmodica, Vinoſa, & ita infinitæ ſunt Febres, omnes enim hæ Febres deprehenſæ ſunt, ſed ſunt Febres, in quibus nil horum, nam poſſunt eſſe Febres in quibus frigus, calor nullus, imo in quibus reliqua non adſunt, & tamen eſt Febris, ſi nunc homo ſecum cogitet id, ſine quo Febris eſſe poteſt, hoc non eſt Febris, id cum quo & ſine quo Febris poteſt eſſe, hoc non eſt Febris, ſed ſunt adjuncta Febrium, tantos errores non committerent; nam ſi Medicus explicet Febrim Tertianam per vomitus, non explicabit illam, in qua fit alvi dejectio, nec illa, in qua anxius & oppreſſus eſt Febricitans, & plura talia, quæ abeſſe poſſunt, Febriſque tamen perſiſtere.

§. 561. Agamus, ut oportet vere & candide, rogo omnes Medicos, quid eſt Febris, quid eſt in corpore, quod tu vocas Febrim, ſi ille dicat omnia Phœnomena, quæ unquam in Febribus obſervata ſunt, dicit completam Febris hiſtoriam, & tamen adhibet vocabulum Febris, hinc omnes cognoſcimus; quod aliud ſit in rerum natura, quod vocamus Febrim; ergo nunc quid eſt illud, quod in noſtra mente præſens eſt, dum dicimus, eſt Febris; reſpondetur, eſt aliquid, ad quod non attendunt homines, & quod omnibus commune eſt; ergo hic jam conſulendi ſunt Medici Practici, qui hæc obſervarunt, eſt in natura aliquid, ex quo Medici ex arte periti cognoſcunt Febrim eſſe præſentem, & quid tale eſt, quod præſens eſt in omni Febre, ſic ut omnes Medici dicerent, laborat hic æger Febre vel non.

Phœnomena eligere. Febris eſt Intermittens vel Continua, id, quod Febris vocatur, debet eſſe ſymptoma commune & Febribus Intermittentibus & Continuis, Quotidianæ, Tertianæ Simplici, Tertianæ Duplici, Quartanæ, Quintanæ Simplici & Duplici. Continuæ ſunt vel putridæ vel non putridæ, Ephemera, Synochus non putrida, Febris putrida maligna, Peſtis, ardens, ſic cauſae, deinde omnes Febres Inflammatoriæ, ut Peripneumonia, Hepatitis, Stomachica, Pleuritis, & ſic porro id nunc, quod erit Febris, debet eſſe Phœnomenon, quod in omnibus his deprehenditur. Rogo nunc omnes illos, quid eſt, quod tu deprehendiſti in omni Febre Intermittente & Continua, dic mihi, & dabitis materiam Febris? ſed non debes dicere id, quod in Febre Quartana & non in Febre Hæmitritæa, id quod in Peſte & non in Ephemera, nam omnes has

voco

voco Febres, ergo in omnibus his aliquid commune esse debet, & hoc est unum, quod peto.

Quorum cognita. Pono hic hærere novem ægrotantes & unum sanum, omnes novem febricitantes pono successive visitari a Medicis diversarum opinionum, primo *Hippocraticus* ingreditur dicens, sunt omnes febricitantes, & unus non habet illa Phænomena, quorum præsentia dicit, hic est Febris; *Galenicus* intrans eodem modo dicit. Methodicus & Themisonis discipulus si sit in Praxi peritus, dicit quoque, novem febricitant, decimus non. Chemicus quoque ægros bene examinans eadem dicit, ergo debet esse in rerum natura aliquid, quod non modo in omni Febre innotescat, nunc rogo, quid deprehendat in decem hominibus, cujus præsentia dicit, quod Febris adsit in his novem, in decimo vero non, si omnes diversæ opiniones de Febribus habeant convenientiam, an Febris adsit vel non. Solum signum est diversitas augmenti pulsus, ergo omnia, quæ cum augmento pulsus accedunt ad Febrim non sunt ex natura Febris in genere sed sunt accidentia, quæ abesse vel adesse possunt.

§. 562. *Ex his* scilicet proprietatibus cuilibet Febri communibus, Febris est latens in corpore v. g. rusticus videt filium suum febricitare, adit Medicum; Medicus rogat illum, unde scis filium tuum febricitare, respondet rusticus ex frigore, calore, incontinentia, jactatione, Medicus quoque dicet, est Febris, sed longe aliud quid, quod idiota non attendebat, ego omnes Medicorum sententias in unam tabulam conjeci & videbam, in quo omnes convenirent, reliqua per litteram emaculavi & ad unum redegi & remanebat scilicet in omni Fe-

bre ab internis causis ortis Horripulatio, Febris tamen potest esse sine Horripulatione, ut à motu musculari, cursu, crapula, copia vini hausta, Venere, sed à causa interna semper adest Horripulatio & calor vario tempore, quia pulsus non est velocissimus nisi temporis intervallo.

§. 563. *Internis.* Nam Febres ortæ à quacunque causa externa non cum sensu frigoris, sed caloris incipiunt v. g. quis irascitur, usque dum rapiatur in summum furorem, homo ille Febre acuta laborabit orta cum calore, idem fit, si quis cursui se committat, vel in calidiori hypocausto degat vel assumpserit contusum Piper cum vino, verum si à causa interna oriatur, ut Variolæ, Pleuritis, Peripneumonia, verbo dicam omnes morbi acuti Inflammatorii, ne Peste quidem excepta, sentiunt ægri in initio Horripulationem (Belgice *huyveringh* Græce *καταχελωσις*, id est, *simplex refrigerium*) per totum corpus, quasi urna plena aqua frigida affunderetur supra ægros, sed si homo sanus se daret cursui & continuaret cursum ultra vires, caleret ad Pestem usque sine Horripulatione, hinc dico à causa interna; aliter vero non semper adest, non novi Febres Intermittentes seu Continuos, quin habuerint Horripulationes comites, sed dico tamen non semper adesse, suspendite modo vestrum judicium, nam statim expurgetur.

Pulsus velox. Omnes Medici rogati, an Febris adsit, cito sumunt pulsum ad digitum & attendunt ad pulsus, ex quo judicant, an Febris adsit nec ne; rogo nunc quid est in pulsu, quod vocatur Febris? si intra datum tempus frequentiores Diastoles & Systoles seu si venæ

ue

ut loquitur *Cicero* se sæpius attollunt & dimittunt, quam in sanitate, vocatur Febris, ut v. g. si per minutum unum in sanitate quinquagesies vel quadragesies pro cujuslibet tempore pulsabat, nunc centies vel ducenties intra idem tempus, ex hoc solo numero iterum dicit Medicus est Febris.

Calor. In Febribus Intermittentibus lethalibus in Paroxysmo non est, sed tamen moritur æger, aliter vero assumere possumus quod in omni Febre fit calor, quia statim expurgetur, non est Febris nata, quæ in primo Paroxysmo faceret calorem ante mortem v. g. in omni Febre Intermittente, Quartana, Tertiana, si æger moriatur à Febre, tum in illo Paroxysmo non sentit calorem, sed semper frigus, & si calor oriatur, tum sanabit, sed moritur a subsequente frigore febrili, ergo hæc tria symptomata omnibus Febribus communia sunt, frigus, pulsus velox & calor, dum æger in insultu Quartanæ concutitur, ita ut non sentiat, tamen est Febris, sed tum nullus calor adest, & post sex horas ægri sic calent, ut æstuent, & hic calor est tanto tensior, quo majus frigus in initio fuit.

§. 564. *Acuta Febris* est, *quæ cito & cum periculo vitæ ad finem tendit.* Quid est cito? sunt viginti & ultra dies? Quid est cum periculo? est omnis conditio Physica generata in corde, unde circulatio humorum ex corde in arterias labefactari, id est, pro tempore desinere incipiat; hinc si hæc tria præterita citissime transeant cum vitæ periculo Febris acuta dicitur, ergo ad hanc conquiritur subita mutatio sanitatis naturalis in hæc tria puncta, si jam hoc fiat cum vitæ discrimine, ut v. g. si ipsa

circulatio incipiat deficere id pulsu intermittente se exploretur. Omnis nunc Febris, quæ ex sua natura eo tendit, ut intra vigesimum primum diem faciat circulationem aboleri vocatur Acuta; hæ Acutæ rursus dividuntur in Acutissimas, quæ semper primo die necant, in Paucissimas, quæ intra triduum necant, & in Peracutas, quæ tertio die necant, & in Acutas Vulgares, quæ decimo quarto die vel ad vigesimum primum diem protractæ jugulant, hæ posteriores vocantur Acutæ Tardæ, nam *Hippocrates* eo usque deduxit, sed tum semper est metastasis, & tum possunt commode Chronica vocari.

§. 565. Lenta vocatur, quæ ab initio ad finem lente decurrit, hoc est minimum ultra vigesimum primum diem, quo ergo in Chronicis periculum non adest, respondetur ita maxime, sed sæpe Ephemera non est acuta, nam non definitur acuties à velocitate temporis, sed à periculo, tarditas vocatur tantummodo longitudo temporis, sic Phthisis, Hydrops, Hectica à Cacochymia purulenta possunt esse Febres lentissimæ, & tamen lethales, ergo morbi Chronici definiuntur à tarditate majori & minori periculo; lenta sine periculo est Quartana, quæ certe potius amanda, quam ut hostis odio habenda, si otio tamdiu vacari possit, nam nemo de Quartana moritur nisi male tractatus.

§. 566. Omnes Febres à causa multis hominibus communi oriuntur, quemadmodum Febres, quæ per Europam grassatæ sunt, sed nonnullæ Febres oriuntur à causa hærente in homine ipso, homo duodecim libras vini bibit, cras habet Febrim à causa singulari scilicet vino Δῆμος Græce est populus, hinc ἐπιδήμικος νόσος notat

notat morbum popularem, ergo Febris Epidemica eſt, quæ oritur à quacunque cauſa communi toti populo, unum locum inhabitanti, ut à corrupto victu, ut ſæpe fit in urbibus obſeſſis vel ab aqua ſtagnante putrefacta in illa urbe, vel tandem ab aëre infecto.

Singularis eſt à cauſa ſingulari cuique ſingulari homini obveniens v. g. à potu frigido, tempeſtate calida, at etiam ex alia cauſa alicui facile oritur Febris v. g. oriatur Pleuritis ex frigore, quæ non accidit aliis, qui idem frigus paſſi ſunt poſt calorem, ergo illi ſingularis.

Febres Endemiæ vocantur, quæ certo & certo aëri affixæ in loco generant ſemper eoſdem morbos, id eſt, ortæ à cauſa aliqua communi certæ cuidam regioni propria in populos illos, ut hic regnat Scorbutus, hinc eſt Febris, quæ oritur quotannis in aliqua regione incolis hujus loci, v. g. Febris putrida oritur hominibus circa ſtagnum aliquod habitantibus.

Vagæ vel Sporadicæ à *σπείρω ſero* quaſi ſeminatæ vel propriæ cauſam habentes in qualibet varia hominis temperie diverſam, vel à vitæ genere ut ex malo uſu ſex rerum Non naturalium, vel morbis prægreſſis, hinc Sporadicæ vocantur, quæ ortum ducunt ex temperie, vel à cauſa in corpore latente uti Cacochymia, Plethora vel à morbis in corpore relictis, &c. vel ex regimine ſex rerum Non naturalium, quæ cauſæ externæ vocantur, à fabrica hominis in Febrim inclinante ortum ducit, v. g. iſti, qui anguſtum pectus habent ad Peripneumoniam, vel qui biliofa temperie ſunt, ad morbos acutos proni ſunt, vel quando morbi prægreſſi, vel quando homo aliter geſſerit, aliter ingeſſerit, aliter retinuerit, aliter excreverit &c.

§. 567. Hic describuntur omnes morbi acuti Febriles & Chronici. Morbus acutus vocatur febrilis, inde quo functio est læsa & cum hac functione læsa simul Febris Acuta concomitatur, soletque denominari ex primo loco, ubi Febris causa hæsit, sic Phrenitis est Febris Acuta ab Inflammatione cerebri φρὴν *mens*, sic Pleuritis est ab Inflammatione arteriarum Intercostalium à πλευρὸν *latus* vel πλευρά *membrana* latus interius cingens, sic in acutis morbis fere semper duæ sunt Febres, & locus unde ortus est morbus, ut in Phrenitide & Pleuritide &c. patet. Talis etiam est Febris assidua post somnos exacerbata diu durans in Phthisi ob corruptos pulmones à φθείρω corrumpo. Pleuritis non est Febris, sed est morbus conjunctus cum Febre, & id, quod in hoc morbo Febris est, est morbus acutus, ille dolor inflammatorius abesse potest, inde jam dicitur Febris Acuta Pleuritica, ut omnes morbi acuti.

Chronici. Hi sunt Scorbutus, Hydrops inveteratus, Suppurationes, Phthises pulmonum junctas sibi habent Febres cum Cacochymia purulenta, aquosa fætida, ut in Hydrope, qui certe morbus cum Febre diu durat.

§. 568. Hi morbi sunt infiniti, & omnium horum morborum intellectus pendet à præmissa cognitione Febris, ergo debemus videre, quid Febris. Dicturus quid Phrenitis sit? Est morbus acutus cum Febre, sed potest esse morbus acutus sine Febre ut Apoplexia, hinc examinandum restat, quid in Chronicis, quid in Acutis, quid in Simplicibus, quid in Compositis Febris sit, & id quod ad Febrim accedit.

§. 569. Ergo omne, quod scimus pendet ab horum trium cognitione, Geometra, quando

solu-

solutionem problematis facit, ad minimos terminos solet reducere & tum solvere, quod adhibet propter illud minimum, habetur pro errore, nunc minimum possibile sunt hæc tria. Exemplo sit Medicus vocatus ad Phthisicum indicat, si curare non possit à pomeridiana Febre sanum fore, dat varia Antifebrilia, non proficit, quia adest & manet fomes putrefactæ materiæ, causa enim est tollenda, ne miasmata putrida amplius inficiant sanguinem, tunc etiam curata erit Febris, sic in Pleuritide si Inflammatio tollatur, Febris erit sublata, cum ergo horum omnium morborum cognitiones pendent à Febre, sub quo nomine multi morbi involuti sunt, hinc artis est detegere, hisque detectis symptomatibus, tum ab invicem distinguere, ergo si rogetur, quid est in ægro, qui frigescit, tremet, anxius fit, calet, sudat, toto corpore dolet, & quid sit morbus, qui per illa symptomata se manifestat? Ergo primo Medico sunt colligenda omnia symptomata tam generalia, quæ omnibus adsunt, quam particularia, v. g. in multis Febribus sunt vomitus, anxietates summæ, at non in omnibus. Tria tantum ab observatoribus in omni Febre notantur scilicet refrigerium, pulsus velox & calor, si aliud symptoma addatur, per illud non intelligitur Febris, hinc symptomata mihi nota tantum hæc tria sunt, quæ in omni Febre adsunt., aliquando tamen Febres quidem adveniunt sine Horripulatione, v. g. si homo sanus citissime currat, ut calescat, tum febricitat, & non refrigeratur, id quidem verum est, sed hæc Febris non orta est à causa interna; vel si quis inficiatur veneno, moritur cum Febre sine Horripulatione.

§. 570.

§. 570. Ponamus hominem laborantem Quartana, per duas horas algebit, rogo an Febri laboret, dicunt plerique ita, quia insultum habet, quæro quando ille detectus sit, respondetur, quando incepit Horripulatio, sed trihorio post adhuc laboret Febri, sed jam est calor, ergo Medici per Febrim intellexerunt tale quid, quod nec calor nec frigus est, nam in Quartana v. g. sunt calor & frigus, si nunc calor esset de essentia Febris, æger non frigeret & vice versa, sed sola pulsuum velocitas remanet, & hæc æque in frigore quam in calore; ergo omnes Medici Chemici admittunt pro natura Febris solam pulsuum velocitatem, & hinc hæc tria ad unum hoc residuum deduxi, debetis mihi dicere, quod adhuc aliud sit, quod præter velocitatem pulsuum adsit, aut id, quod Medici de Febribus cognoverant sunt pulsuum velocitates; novi quosdam dicere, Febris cognoscitur ex syndrome omnium signorum simul ut in Quartana, sed tum tu non dicere auderes, Febris adest, dicunt alii addi debere in definitione læsas functiones, sed non video cur? Nam in Febre Ephemera non video functiones multum læsas.

§. 571. Rogo ubi calor est, si febricitans toto corpore tremeat? Respondetur, tunc non dici potest calorem latere. Hoc nil explicat, & sic fingi potest quidquid lubet, at velocitas pulsus semper in omni febricitante adest, sive frigeat, sive caleat, semper habebit pulsum velociorem, ergo sola velocitas pulsus notat Febrim, dices nimis simplex esse hoc, at id quæritur; hinc Febris solo arteriæ pulsu dignoscitur & explicatur ab omnibus in toto orbe Medicis, qui tantum ad pulsus velocitatem attendunt,

dunt, ergo nullus Medicus ſignum diagnoſticum majus dare poteſt, & cauſa Febris nulla alia erit niſi hæc; reliqua ſymptomata non ſunt Febris, ſed quid ad Febrim adveniens, ſi dices, ab urina cognoſcitur, hoc eſt ſignum fallax, nam ſi æger Crocum aut Rhabarbarum aſſumpſerit, tum urina colore igneo tincta erit, hinc Medici dicunt, ubi pulſus major, ibi ſemper Febrim adeſſe non negamus, ſed dicunt abſurdum eſſe, Febrim conſtituere in ſimplici pulſus velocitate, minime; Vel aliud patognoſticum ſignum dare debent, quod non præſtant. Tamen nunquam fere Febris exiſtit, quin habeat ſecum aliud ſymptoma concomitans, ſed illud ſymptoma poterit abeſſe à Febre, cum tamen non minus exſtitiſſet talis Febris; hinc Medici potius attendunt ad diverſitatem ſymptomatum quam ad ipſam Febrim, ſic putant Febrim eſſe difficile cognoſcendam, cum tamen ſit morbus ſimpliciſſimus & notiſſimus, nam *febris* eſt *conditio corporea ſeu Phyſica in corpore vivente nata, quæ facit pulſum auctum intra datum tempus*; quamvis autem Febris ſit tam ſimplex naturaliter, cum tamen fere ſemper adſint alia ſymptomata, hinc non tam facile curari poteſt, ergo ſemper eſt inquirendum; à quanam cauſa Febris ſit orta, & quibus jungatur Phænomenis; hinc non hic dico, quod nil magis occurrere poſſit cum Febre, ex qua cauſa cognoſci poſſit, ſed omnia illa erunt in omni Febre, id eſt, generaliter, de quibus Febribus hic tantum agitur, ſed denotabunt ejus ſpecies, de quibus poſtea.

§. 572. Sanguis dilatans arterias ſæpius repetitis vicibus, in illas agens intra datum tempus & ſic eas extendens, ſola cauſa eſt velocita-

citatis, quod omnes Medici cognoſcunt, & de hoc nemo dubitat. Scio plures ridendo quam confutando hanc materiam tractare, ſed ſi aliter concipiant, non eandem putant Febrim, nec conveniunt nobiſcum, nec idem intelligunt, & majus ſignum Pathognomicum non eſt.

§. 573. Quid vero eſt pulſus? Eſt cordis contractio, quid eſt cauſa proxima omnium Febrium? Eſt contractio frequens cordis facta intra datum tempus, ponite in homine omnia manere, ſed pulſum duplo tardiorem fieri, an non omnes Medici dicent hic fit ἀπύρετος, quia pulſus eſt lentus, ſi Peſtis aliquem corripiat, dices Febris adeſt. Quare? qnia pulſus eſt celerior, ergo omnis cauſa proxima eſt in omni Febre eadem ſcilicet intra datum tempus contractio velocior, omnis cordis contractio fit vel à motu ſanguinis arterioſi ex Aorta in arterias Coronarias, vel à velociori influxu ſpirituum per nervos cerebelli in villos muſculoſos cordis, vel à combinatione harum trium cauſarum, cor poteſt celerius contrahi ſcilicet à velocitate ſanguinis arterioſi & venoſi, vel ab arterioſo ſanguine & influxu ſpirituum vel ab omnibus ſimul, vel omnes cauſæ Febris poſſunt deſinere, ſed illæ, quæ ſanguinem arterioſum vel venoſum vel ſpiritum velocius movent, ſunt infinitæ, ſed hæ recenſitæ ſunt remotæ. Cor vero ex corpore exemptum & in urnam injectum poteſt exſilire, ſed hoc tantum uno momento durat, nunquam enim pergit movere, quando ſanguis venoſus non magis fluit, quando arteriæ Coronariæ nil accipiunt, quando ſpiritus non influunt, aufer unam ex his tribus cauſis, non movetur cor, licet duæ reliquæ

liquæ ſuperſint, quod hoc verum ſit, quod hæ tres cauſæ Febrim producere poſſint, patet exinde, quia ſola frictione venarum Febrim excitare poſſimus, ſi v. g. nudato brachio, paulo plus fricuerim, paulo citius movebitur cor, & oritur anhelatio & Febris, ſi muſculos moveam, comprimuntur venæ, eatenus celerius ſanguis pellitur, cor celerius pulſat, homo, qui calidus è lecto ſurgit, habet rarefacta vaſa, rarefactos humores, tum ſi ſe gelido aëre exponat, corpora extrema illico ſe contrahunt, ſanguis pellitur ab exterioribus ad pulmones, incipit anhelare & gravitatem ſentire, & quia hoc non aſſuetus habebit à frigore Febrim, & quidem à ſola contractione vaſorum arterioſorum mittentium ſanguinem ad interiora; hinc interius ſpecies Plethoræ internæ, quo celerius agitatur ſanguis, unde *Virgilius* canit:

Nudus ora, ſere nudus

ſed non complevit carmen, hinc alter appoſuit *habebis frigora Febrim*. Si aliquis quietus ſedens ſonitum ingentis bombardæ audiat, habebit palpitationem cordis, Febrim, citiſſimum arteriarum pulſum, ſi matutino tempore homo dormiat, & magnum audiat ſonitum, ſtatim ſpiritus celerius ferentur ad cor & orietur Febris, ergo Febris eſt aliquid ex his tribus cauſis.

§. 574. Hæc eſt Mathematica demonſtratio, ſanguis in arteriis non movetur per ſe, aut in homine febricitante ſanguis recens miſſus non efferveſcit, ebullit vel movetur, ergo cauſa non eſt à ſanguine ſed à tribus cauſis ſupra recitatis.

§. 575. *Frigoris.* Dicebam antea tria ſymptomata omnibus Febribus eſſe communia, ſed tamen

tamen cogor fateri, quod tantum unum omnibus commune est, si mille Febres sint, 999. incipiunt cum frigore, hoc post universalitatem scilicet pulsuum velocitatem pono, sive sint Febres acutæ, sive non, sive periculosæ, sive non; sive cum Cacochymia, sive non, si modo à causa interna semper frigent homines; hoc etiam scio ab omnibus Pleuriticis & Febre Pestilentiali laborantibus, qui omnes asserunt se hoc cum frigore accepisse, excepta causa applicata corpori sanguinem calefaciente, sed hic sermo est de Febribus internis à perturbatione humorum ortis.

Sensu. Quod addo, ut denotem minimum frigoris gradum.

Concussiones sunt quasi corporis introtractiones, est incipiens quies humorum, quia liquida calefacientia repelluntur introrsum. Hi ægri non modo frigent, sed sæpe concutiuntur, Belgice *sy krygen een schudding*, qui Febre Tertiana & Quartana laborant, frigescunt, horrent, maxillæ concutiuntur, ut postea circa temporum commissuras dolorem vix ferre possint, genua connituntur &c.

Horripulatio est *status frigoris accedenti & recedentis*, Belgice *Huyvering*, Gallice *Frisons*, quasi parvum internum refrigerium, in Febre Quartana, tantum est frigus, ut ægri dicant se sentire quasi interne essent congelati, licet externe adhuc parum sint calidi, quæ sunt Febres pessimæ, quin externe circa Pericardium maxime hærent, & id sæpe à causa externa; ægri minus diu frigent Æstate, quam Hyeme, & sic Febris quo magis lenta est, eo plus frigescunt ægri & eo diutius durat Febris. Ephemerarius dicit, nescio quid mihi sit subito, corpus frigescebat,

ſcebat, paulo poſt ſequitur calor per tres vel quatuor horas & Febris ceſſat.

Majori. In Quartana majus eſt frigus, quam in Quotidiana, Tertiana vel Simplici vel Compoſita, ita ut viderim tantum frigus corripuiſſe præcipue ſeniles, ut tantum eſſent homines mortui, combuſſerant ſibi articulos pedis ſine ſenſu.

Externo. Ægri congelant ad exteriora, & ardent nonnulli in interioribus, & exterioribus ſcilicet congelaſcunt, quales vidi; qui ſic frigebant, ut ſi manum halitui adjicerem, fiebat frigida, ut *Hippocrates de Signis Morborum* dicit.

Subjecti. Corpora facile mutabilia frigus maximum occupat, fortiſſima vero minimum, in Phlegmaticis frigus maximum eſt, in Cholericis vero minus.

§. 576. *Pulſus.* Cum autem velox eſt pulſus, non tamen hic oritur à copia ſanguinis è corde pulſi, ſed ille pulſus inanis dicitur, & fit cum cor palpitat tantum nec contrahitur, hinc celeritas pulſuum in ſummo frigore, ſed tum cor ſe non poteſt penitus evacuare, hinc tum eſt magnum periculum, nam ſi cor diutius ſtet in hoc ſtatu, ut ſanguis congelaſcat, mors oritur, tum ſtagnatio fit in corde & in pulmonibus à parva copia ſpirituum cerebelloſorum cor moventium, hinc cor non contrahitur, ut par eſt. Non ſcio aliud experimentum, an non in initio Febris, quo tempore frigus maximum ſentitur pulſus exilis & celer, ſcio vos objicere poſſe, quomodo poteſt dici hic eſſe celeriorem pulſus contractionem, exilem & celerem eſſe; quin ſæpe ſint ſyncopes in frigore febrili, ſed quando cor in frigore ſe con-

contrahit, tremit tantum præ celeritate, hinc potest esse pulsus velocissimus cum debilitate, quando tum animi Deliquium fit, eo momento non est Febris, ergo illa symptomata à Clarissimo *Bellino* observata nil faciunt contra doctrinam de Febribus; hinc ægri in suo frigore celeriorem pulsum habent, quam in ipso morbi vigore, sed tam parvus, ut nil distingui possit, est quasi minima undulatio, à Poëtis micantes venæ sunt dictæ, cor exploranti videtur tremere non pulsare, ut etiam in omnibus arteriis, hinc est quam celeberrimus; in Quartana res fere sic se habet, hora duodecima pomeridiana homo erit lætus, dicit se non recepturum Febrim, post $\frac{1}{4}$ horarum spatium quasi frigida aqua perfunditur, febricitat, maxime tremit, ejus facies pallet, labia & extrema livent, nasus cærulescit, & ubi adest frigus, semper ita fit rigidus ut hæreat instar lapidis, nec moveri possit; quando frigus est tam immane, ut æger quasi mortuus sit, tunc pulsus est minimus, sed tum etiam æger est in animi Deliquio, in quo, si diutius maneat, moritur.

Intermittens, ad multa minuta secunda, & tum oritur animi Deliquium, sed simulac resuscitantur spiritus, iterum oritur Febris. Cor semper sanguinem receptum expellit, hinc cor repletum citius contrahitur, sed si non tantum ejiciat, intermittit pulsus, si cor intermittat, pulsus intermittit, quia nervosus & venosus humor intermittit, nervosus non tantum, quia sanguis non tam cito fluit, hinc etiam venosus. Nonnulli putarunt hanc doctrinam destruere pulsum in frigore tardum esse, quod non ita est, sed est minor & proin velocior

quasi

quasi tremulus, ergo pulsu cessante cadunt ægri in animi Deliquium.

Pallor. Fit 1. quando arteriæ ultimæ minimæ valde se contrahunt & sanguinem pellunt in ramos arteriarum majorum, quæ ex partibus exterioribus sanguinem resorbent, v. g. si quis vulnus lætiferum accipiat, statim pallescit, at cor citius contrahitur, vasa minima collabescunt, hinc externa pallent, quia remotissima sunt à corde, unde frigus nascitur.

2. Quando in corpore nostro cor tantam habet debilitatem, ut sanguinem ad extrema non propellere possit, quod hæc vera sint, patet exinde, sit homo robustissimus calidus, subitissime glaciali aëri se exponit, non acquirit minorem sanguinis copiam, sed tamen pallet, quia vasa minima se contrahendo sanguinem in latiora vasa pellunt. Quod pallor oriatur, à debili cordis contractione ex sequenti exemplo patet, si homo sanus videat aliquem sauciatum, incidit in anhelitum, sudat, cadit in animi Deliquium & totus pallet, ibi cor minus spirituum accipit, fit Semiparalyticum, sanguis accumulatur in pulmonibus, angetur & paulo post cum cor nil accipit, cadit in animi Deliquium. Loca ubi pallescunt ægri, sunt, ubi vasa sunt nudissima, id est, circa ungues, qui fiant opaci albi, tum circa canthos oculi, sensim in genis & labiis, quæ penitus livescunt, ut in moribundis, ut etiam in Peste & Pleuritide, ut certe minime cogitaremus de futuris similibus morbis.

Rigor oritur, quia liquida non influunt in fibras motrices, quæ jam sunt quasi mortuæ, vel quia per frigus omnia filamenta fiunt uno momento breviora & contractiora; in Intermit-

ten-

tentium Febrium principio eſt ſæpe tanta rigiditas, ut ægris fere impoſſibile ſit manum flectere, nam manus eorum ſunt tanquam columnæ inflexæ; ſi velint aliquid accipere, retinere non poſſunt, nam omnia eorum membra adeo rigeſcunt, ut pedibus inſiſtere non poſſint, ut accidit præſertim in Quartana, hinc notat hic rigor tanto violentius frigus.

Tremor. Si bene animadvertiſtis *tremor* eſt *illa conditio Phyſica muſculi, per quem muſculus uno momento inflatur, & momento poſt iterum deſtituitur cauſa exporrecta muſculi, & iterum deſinit*, tum fit tremor in parte, qui oritur, ſi non tantum ſanguinis, nec tantum liquidi nervoſi influat; hinc illud tremere nihil aliud eſt quam habere dimidias vires tantum ad motum; partes, quæ tremunt, ſunt præcipue labia, genæ, maxillæ, & artus.

Inſenſibilitas. Vidi propriis oculis puellas juvenes adeo ſenſiles, ut minimum dolorem ferre non potuerint pedes exuſſiſſe ad perioſteum uſque tempore frigoris, ut non ſenſerint tantum ignem, unde hoc fit, quia calor non percipitur, niſi communicetur ad cerebrum, quod fieri non poteſt, quia ſanguis aut liquidum nerveum vix fluit & refluit, & vita tantum in medio corporis ſubſiſtit, hinc fiunt Dyſpnææ & anxietates, ſanguis enim in pulmone accumulatur, hinc aër vix admittitur & frigore ſubrepente maxime anxii ſunt & ſentiunt pulmones ita obrutos, ut moveri non poſſint. Hæc eſt Febris frigida ſeu conditio frigoris febrilis, quo acrius erit frigus, eo magis perit ſenſus. Vidimus jam citiorem ſanguinis circulationem non eſſe in Febre, ſed quidem citiorem pulſum, ſequitur ergo calor.

§. 577.

§. 577. *Stagnare.* Quænam est causa irritationis cordis? Anatomici facile respondere possunt. Illo momento, quo frigus extrema occupat, vel eo momento, quo cor desinit agere, omnis sanguis fertur ad cor dextrum; nam simulac cor desinit agere, frigescunt; tum arteriæ & venæ se contrahunt, sed sanguis per arteriam Aortam retropellitur versus Coronarias, quo usque arteria se contrahit & per venas pellitur ad cor dextrum, sed ibi est patens via sine resistentia in pulmones, ergo pulmones obruuntur, & hæc est ratio, cur ægri moriuntur tempore frigoris; *Clarissimus Duverney* cum *Pelsero*, ejus discipulo, dum incidebant tot cadavera post *Wepferum*, nos docuerunt, quod si cor quievisset in corpore mortuo, posset rursus in motum redigere immissa aqua tepida in venas, si hoc verum sit, videtis, quando cor vi musculari deficit, accipiet tanto plus sanguinis venosi, tremet, & per illum motum oppletur pulmo, & hinc tum hi homines de anhelatione conqueruntur. Corpus sic est factum, ut calor rarefaciat partes, & frigus condenset, si homo sanissimus subito corriperetur Febre vel frigore quodam externo, totum corpus fieret minus, retineret omnia Solida & Fluida, sed minus tamen evaderet, quia cum frigore perit rarefactio, contrahunt se Solida & Liquida, & sic oritur quædam causa, quæ sanguinem minus urget, fit frigus, & sanguine acto in interiora, exteriora frigescunt; si vasa laxa sint, eo momento fit frigus, ut in omnibus morbis Acutis, si fiat metastasis materiæ, id est, si sanguis in finibus arteriarum stagnans derivetur in venas, oritur frigus absque ulla remora, sic *Hippocrates* dicit, Febris Ardens, quæ jam erat de-

ſtructura corpus, cum rigore ſolvitur, id eſt; in hoc puncto frigus facit.

Irritantem. Si cauſæ evacuantes cor fuerint duplo majores, replentes cor erunt etiam duplo majores, ſi jam ſtagnet venoſus ſanguis quantumvis pauca copia irritet cor, & hæ duæ cauſæ faciunt frigus febrile, nempe ſtagnatio vel minor motus in Capillaribus arteriis, & irritatio, ita ut cor ſæpius ſe contrahat, non autem plus emittat, ſed tantum ab illo ſtimulo Syſtolem ſuam & Diaſtolem intra datum tempus auget; ſi æger non moriatur ab illo frigore, ſtatim ſubſequitur calor, qui variat in diverſis partibus, aliquando enim eſt magnus ad pectus.

§. 578. Cur ita anxii ſunt ægri, ut reſpirare non poſſint? Quia cor dextrum omnem ſanguinem accipit, non poteſt eum agere per pulmones; hinc eos opplet, & homines mortui in frigore Intermittentis Febris exhibuerunt exploratorio Anatomico pulmonem nigrum lividiſſimo ſanguine repletum. Cur debilitas in pulſu? Quia cor ſiniſtrum vix accipit ſanguinem, cor dextrum tamen irritatur, ſed vires moventes non habet, quia dependent à corde ſiniſtro.

§. 579. Quantumvis Febris inceperit cum frigore, tamen deprehenditur in omni Febre calor, ſed non omni tempore. Major calor naturalis degenerat in calorem febrilem, hic in æſtum frequenter ſatis magnum, ut faciat veros effectus elementalis extrinſecus appoſiti, ut in Peſte manifeſte apparet incipiens Inflammatio, quæ adeo augetur, ut per paucas horas certa corporis loca combuſſerit in verum carbonem, Anthracem dictum, hinc exurit maxime,

&

& ut *Hippocrates* & *Galenus* loqui amant, exaſſat ſanguinem, ut partes ſolidas ita comburat, quaſi ab ipſo actuoſo igne combuſta fuiſſent. Tanto major ſequitur calor, quanto majus fuit frigus, & ille oritur, quia vaſa in frigore ſunt contractiora; hinc majorem vim elaſticam habent, & fortius comprimunt ſanguinem à corde receptum; quando in frigore obambulaviſtis, manus eſt ſine ſenſu; ſi acceditis ad ignem, oritur ſenſus formicationis, & quaſi puncturæ per locum, paulo poſt manus duplo ardentior calet, quam aliæ partes, eadem ratione in omni Febre frigus calori prægreſſum erit; ille calor eſt aliquando major, aliquando minor, quo majus frigus, eo major calor, ita quoque ſe res habet in Febribus Ardentibus, ſed in Febre Hectica eſt leviuſcula Horripulatio, ſed poſt decem horas ſequitur calor; ſic ut calor triplo diutius permaneat quam frigus, ſi frigus per duas horas duret, tum calor per decem durabit & ultra.

Internus. Ita ut algeant externa, ut in Febre Ardente & interne exurantur.

Externus. Tum eſt aliquid topici, ſi per ſummum frigus matutino tempore obambuletis, naſus obriguit, quando paulo poſt ad colorem redit naſus, rubet, ſcintillat præ calore, & totum corpus adhuc friget, ſi manus obriguerit præ frigore, paulo poſt calet & fumat, reliqua vero non. Dum calor ad exteriora pertingit, interiora ſunt calida, & ubi eſt calor, in omni parte corporis eſt æquabilis, quantumvis maximus, quod ſemper eſt bonum ſignum, verum ubi circa vitalia loca maximus, & in remotis ab his partibus deſiit, peſſimum eſt ſignum, notat enim circulationem

 mi-

minui, & proin vitam similiter, quæ ab illo dependet.

Loci. Quod est pessimum, si æger dicat, quod caleat maxime circa hepar, & si lintea humida duplicata cito exsiccentur, est pessimum, quia ad unum locum plus determinatur.

Febris. Omnes hactenus notæ Intermittentes Febres habuerunt summum frigus, ergo pariter habebunt summum calorem, verum ubi mitius fuerit frigus, calor quoque erit mitior, & totus Paroxysmus benignior, verum tempora quoque inducunt varietatem, at ubi calor febrilis incipit adscendere, vocatur *Epacme* vel *Anabasis* seu *Adscensus*, si æstus fervidissimus fuerit, hoc tempus vocatur *Acme* vel *Vigor*, si iterum desinere incidiat, dicitur *Catabasis* vel *Paracme* descensus, donec tandem in temperatum & naturale pervenerit, & tum finis vocatur.

§. 580. In tota mea Praxi nunquam insultum Febris cum frigore observavi, ubi non calor insecutus est, vidi in Hæmitritea Febre geminata Tertiana, ubi unus Paroxysmus à calore potest durare, ubi calor magnus per duas horas duraverat, si nunc oriatur frigus febrile sequentis Paroxysmi, non potest plane refrigescere, sed minus calefacit, sed tamen est frigus. Febris Hectica accedit cum calore sed paulo post prandium sunt minus calidi, & tum calor rursus sequitur, Febri jam nata; ergo calor non est materia Febris nec causa, sed potius effectus Febris. *Galenus* definit Febrim, *quod sit calor præternaturalis*, Arabs definit omnem Febrim eodem modo, alius dicit est calidum innatum acutum, sed calor non est de essentia Febris, sed tantum effe-

effectus, nam æger mori poteſt à Tertiana, Quartana, qui æger fere ſemper moritur in frigore, qui tamen non ſine Febre moritur, ſed ſine calore, hinc pleræque Febres cum frigore incipiunt, niſi ut jam antea monuimus à cauſa externa orta fuerit, ut ſi homo ſanus ſe fortiter moveat, motus ſanguinis acceleratur, oritur calor, qui in ſua vehementia aſcendit uſque ad vigorem, hinc magis appellandus eſt Febris.

§. 581. Ad omnia animum adverti, quæ invenire potui, ergo quid eſt in homine dum febricitat? Semper citior cordis contractio, ſed illa fit ſæpius, & illico deſinit, uti quando aliquis ſubito per plateam currit, ille habet Febrim, ſi tum vocet Medicos peritos, & dicat Medicis, quid eſt? Omnes dicerent eum laborare Febri (maneo in ſignis non in hiſtoria) ſed illa Febris intra quadrantem horæ iterum ſedata eſt, ergo requiritur in Febri non tantum velocitas contractionis cordis, ſed etiam cauſa, cur velocitas cordis contracti æqualiter diſtribuatur: ſi attendatis ad cauſam irritantem vel reſiſtentiam ad capillaria vaſa, videbitis vera eſſe, quando homo ſedatus habet pulſum ſedatum, currit fortius, habebit pulſum febrilem, quoniam ſanguis per motum ſubito expreſſus ex venis citiſſime ad cor redit, cor vero tam cito humores per pulmones pellere nequit & Aortæ dare, ut per corpus diſtribuatur; hinc ſanguis eſt in vena Azygos vel Cava vel Specu cordis dextro vel pulmonibus ſed in cordi ſiniſtro non eſt; hinc æger anhelat, ſentit oppreſſionem, ſed quieſcit ſanguis, fluit æqualiter; venæ fiunt laxiores & latiores, ſed ſimul fit irritatio ad extrema vaſa, hinc in omni Febre

ſunt duæ cauſæ conſiderandæ, prima cauſa eſt, quæ facit, ut cor ſe celerius contrahat. Secunda cauſa eſt, quæ facit, ut ſanguis expulſus non poſſit illico ad extrema ferri, ſi enim hoc fieri poſſet, hæreret in venis: accedit, quod omnes in Febre mortui habuerint ſanguinem aggeſtum in arteriis, ex. gr. qui Febre lenta mortui ſunt, habent omnem ſanguinem in venis congeſtum, vide elegantiſſime obſervata *Boneti* in Sepulchreto Anatomico, ubi ſimul doctiſſimæ *Sabaudi* annotationes habentur, cauſæ in corpore humano Febrim excitantes revocari poſſunt ad tres ſpecies, deinde componendo ad ſeptem diverſas, & deprehendetur ſemper in aliquo harum cauſarum trium ſimplicium vel quatuor compoſitarum ratio Febris.

§. 582. Hactenus cor ſe habet cum arteriis ſuis ut in ſanitate, ſed contrahat ſe tantummodo duplo celerius, reſiſtentia augebitur, & eo magis, quo magis cauſa permanens urgetur à corde, ſi jam reſiſtentia in tantum aucta ſit, cor omnem ſanguinem evacuare non poterit, ſed pars in corde manebit; quantum enim addis reſiſtentiæ, tantum augebis minoris expulſionis, cor tum replebitur à ſuis venis, hinc cauſa irritans oritur, celerius contrahitur, hinc patet unum ſine altero ſubſiſtere non poſſe multis momentis. Nulla fere eſt cauſa, quæ hic non obtineat, cauſæ, cur liquidum cerebelli plus moveatur, ſunt innumerabiles; cauſæ, quæ ſanguinem verſus cor dextrum venoſum propellunt, ſunt innumerabiles; cauſæ, quæ faciunt, ut arteria Aorta in arterias Coronarias velocius agatur, ſunt infinitæ, inde obſcuritas fere orta eſt, qui enim cauſas entis cujuſdam ſcire volunt, ſumunt ea, quæ in ſenſus incurrunt;

runt; hinc sumunt tam diversas causas, sed si vidissent, quid faciant omnes hæ causæ, cum producunt Febrim, vidissent certe hasce causas esse admodum simplices. Ut cor celerius contrahatur, semper unum ex tribus dictis fit, aut sanguis venosus citius impellitur, aut succus nervosus, aut uterque simul; jam à causis innumeris sanguis venosus magis potest impelli & succi nervosi influxus varius facile esse potest v. g. ab ira, vini usu, acribus, stimulantibus, & infinitis aliis, ergo quidquid hæc promovet, Febris causa esse potest.

Seorsum. Nam hæ tres simplices causæ possunt seorsim fieri, sed possunt esse causæ, quæ omnes tres simul movent, sed una nata sequetur altera, ut impossibile sit assequi causam, quæ primo fuit v. g. sola frictio comprimens venas velocius possit sanguinem pellere versus cor dextrum, paulo post oritur celerior cordis contractio, agitatio per pulmones, celerior pressio versus cor, celerior versus Aortam, celerior versus cerebellum, celerior versus spiritus nervosos, adeoque hæ causæ tantum celeres sunt, ut distinguere non possimus, an prima causa sit v. g. sanguis venosus, an arteriosus, an impetus spirituum; hinc ante *Harvæum* Medici non potuerunt aliquid dicere de Febribus, quia ignorabant sanguinem sic adferri ad cor & sic deferri ex corde.

§. 583. Causa frequentioris contractionis triplex dicta est causa remota, ut cor contrahatur frequentius, plurimæ sunt & fere innumerabiles, sed poterunt omnes referri ad hæc tria capita, causas remotas in uno capite enumerare est impossibile; hæc causa erroris fuit, quod viderint Medici Febrim ortam à causis diversis

iisque contrariis, ut si v. g. manus multum atteratur, calescit, rubescit, & in hoc loco fit Febris, pulsusque major, non tamen in corde, si quis jam manum frigori exposuerit, ut plane fit frigefacta, tuncque eam statim apponat foco, calescit, rubescit, pulsabit, febricitabit, sic omnia putantur diversa, sed non sunt, nam si manus calori non opposuisset æger, non febricitasset. Proxima causa Febris intelligitur, sed proxima causa, quæ illam facit, difficillime, ut quando Febris fit à miasmate varioloso, sæpe causæ Febrim excitantes oriuntur à degeneratione humorum, quandoque vero ab aëre, & ab Endemia quorundam locorum.

§. 584. & 585. *Singulares.* Hoc multum huc facit, nam Febris ab omni ætate Medicorum duplex, prima est, quæ occupat totum populum simul, & hinc vocatur Epidemica seu Popularis morbus, qui occupans homines diversa vita fruentes, non potest venire nisi à contagio aëris, nam divites & pauperes nunquam utuntur eodem victu, sed eodem aëre, hinc Comicus dicit halitum inflat dives, quem canis ex intestino recto efflat. Si dicetis causa est in solo, hoc est verum eatenus, quatenus hæ exhalationes aëri communicantur, sed in urbibus obsessis quando omnia deducuntur ad jus naturale hoc est æqualiter distribuuntur, tum oriuntur morbi Epidemici. Ergo Febres sunt Populares vel Epidemicæ, vulgares Epidemicæ relatæ sunt ad tres diversas causas vel ad aërem, vel ad victum, vel ad vitæ genus, sic in Peste vitium hæret in aëre; tempore varioloso vitium non ita hæret in aëre, sed in effluviis & spiramentis ex corporibus infectis, sic si in urbe variolosa infantem ab omni commercio variolosorum segregaveris, non

inficietur. In Peste an sit à spiramentis nescio, saltem *Sydenham* ita sensuit, qui Pestem vidit.

Victu. Ut in urbibus obsessis à malis cibis & indigestis, uti *Hippocrates* dicit de iis, qui Triticum non commolitum comederunt, ergo & à victu possunt oriri; in castris homines Epidemicis morbis plurimum invaduntur, quia fere idem victus est omnibus.

Vitæ. Sic litteratis frequens est Hypochondriaca passio; in multis locis incolæ certo vitæ generi incumbunt, uti in Massuria, ubi pueris nil datur, nisi quod ex loco affixo telo quodam potuerunt ejaculare, & sic adhuc in multis regionibus vitæ communis est, ergo aër, victus, cibus, potus & exercitia sunt causæ & ad has tres classes reducuntur morbi vulgares.

§. 586. Causæ propiores Febrium referri possunt ad quædam capita; est brevis doctrina, sed si semel percipiatur, facilis est, & semper præsupponitur causa, quæ ante non adfuit v. g. si Pestis oriatur, senes pituitosi & acido prædominantes non inde moriuntur, sed flos juventutis; ergo judico causam externam internam in actum duxisse; causa inhærens dicitur Proëgumena, id est, quæ viam præparet alteri, causa hæc ergo est prædispositio, sed externa accedens vocatur Procatarctica, *Hippocrati* πιοφάσις, *Occasionalis*, ergo duplex est causa prædisponens & agens, causæ vero hæ quærendæ sunt juxta *Hippocratem* in sex rebus non naturalibus; sic solebant cogitare, una causa est, quæ prædisposuit viam, altera quæ priorem excitavit seu in actum duxit, inquirebant cibos, motum vel quietem, animi affectus, somnum, vigilias,

excreta & retenta; si horum quid peccavit; vocant causas Procatarcticas vel προφάσιν ut loquitur *Sydenham*; puto has causas in quatuor capita optime dividi posse nempe in ingesta, retenta, excreta, gesta & applicata, quæ in sex rebus non naturalibus non ita recensentur. Febris singularis causæ pendent à vita, quæ in illorum corpore est, & omnes illæ causæ sunt interius in corpore hærentes vel exterius applicatæ. 1. Si temperies laxa, stricta, acida, salina, iners, pituitosa, sanguinolenta, terrestris, oleosa sit, inde oriuntur certi morbi, quibus homines hujus temperamenti laborabant. 2. A Cachexia, quæ est in solidis & in fluidis, vel Cacochymia, quæ est degeneratio humorum non in Idiosyncrasia, ut qui semel Pleuritide laboraverit, iterum simile afficıetur, quia est aliquid relictum, unde recidivam pati potest. 3. *In causis externis* & tum semper invenietis in aliqua classe illorum non naturalium scilicet ingestis per arteriam vel corpus, vel ingestis cibis potibusque &c. 3. *In Excrementis retentis*, quatenus corpus retinuit, quod debebat ejici &c. si nunc Medici non negligentes sunt, invenient semper causam, si v. g. vocatus sim ad Febrim curandam, delibero, quid causa Febris sit, & in prima visitatione cogito, hic æger laborat Febri, est ne Epidemica vel non? an Epidemica sit? docet numerus ægrorum eadem Febre laborantium, sed si videam Febrim non esse Epidemicam, sed habere causam singularem, tum cogito hæc causa est vel interna vel externe applicata ad hoc corpus. Interna est vel in Idiosyncrasia vel in temperie, vel in malo à morbo præcedente, & tum ille morbus est à Cachexia, hoc est à mala diathesi corporis,

ris, quæ solida & fluida occupat, vel in Cacochymia hoc est degeneratione humorum, si in his caufis nil simile inveniam, dico Febris non est nata à caufis internis, ergo à caufis externis, causæ externæ ad quatuor classes reduci possunt. Quodcunque excitat majorem motum ad cor aut resistentiam ad extrema, illud facit Febrim, hoc autem reducitur ad duas causas. Prima causa est Proëgumena seu prædisponens & sunt Plethora, temperamentum, Cacochymia, Plethora generat Febres ardentes, Cacochymia generat Febres pro varietate naturæ Cacochymicæ, temperamentum generat Febres uni homini singulares, solæ Proëgumenæ non produxissent Febrim, nec solæ Procatarcticæ sed ambæ simul junctæ faciunt Febrim.

α. Ingesta. Sunt aër, ille non potest esse malignus, si v. g. aliquis in cautissime olei Vitrioli vaporem hauriret, laboraret Peripneumonia, post aërem sequitur cibus, si v. g. homo dicat hora duodecima bene valebam, sed quinta habui Febrim, si quæram, quid comedisti, dicit lardum rancidum vel hepar piscium, habeo causam, si aliquis haleces sale conditos ad unam libram comederit, habet paulo post Febrim, quam largiter bibendo rursus abigere potest, si nunc in cibis nec qualitate nec copia peccantibus non inveniam causam, ad potum accedo.

Acria. Acre corpus est illud, quod mole figuræ & motu suo motum violentiorem in sanguine efficere potest. Tinctura Cantharidum commendata à *Bartholino* nunquam potest esse bona, semper est venenum, nam subsequitur Stranguria, Mictus Sanguineus vix sistendus, tum injectiones in vesicam per Urethram cum oleo Amygdalarum Dulcium recenter expresso

cum lacte dulci, ut acrimoniam tollamus, sunt optimæ, uti & victus Antiphlogisticus. Sume acre quodcunque v. g. de Raphano Rusticano magna copia Febrim habebis sed cito evanescentem, sic sume vinum vel cerevisiam vetustam acriorem, certo Febri Crapulari laborabis, si insuetus magna copia hauseris, quæ sæpe ultra quatuordecim dies perdurabit cum suis anxietatibus, idem verum de

Condimentis. Ut Piper, Allium, Cepas, Acetum, sal magna copia si hauseris, certo certius febricitabis, nam Piperis dragma dimidia cum aceti dragmis duabus Febrim excitabunt, & æger febricitabit longe plus, si Piper fuerit Longum Indicum: Aloe & Scammonium eundem edunt effectum, hoc ipse in me tentavi assumendo salem Marinum ad dragmas quatuor vel quinque, quod veram Febrim cum siti & calore per aliquot horas durantem fecit, sic acria aromatica assumpta certo Febrim faciunt, imo ipsa medicamenta Antipyretica, quorum forte maximum est sal Absynthii, si ad dragmas quatuor assumatur, Febrim excitabit, cum tamen illud ante frigus propinatum curabit sequentem Febrim alia Febri nata; sic in lentis Chronicis morbis Febrim excitamus, ut in languore Scorbutico, Hydropico, Leucophlegmatico, si putridi humores non evaserint per medicamenta calida ut per Theriacam Diatesserun adeo commendatum medicamentum, quod tamen Febrim facit, hinc & medicamenta pleraque saltem pro maxima parte Febrim faciunt, sic ubi Febris nimia est, contraria requiruntur; hinc præscribimus in Febribus Ardentibus aquam Hordei, serum lactis, aquam Avenæ, ut Febris expellatur, verum si similia darem Hydropico mise-

miseros non juvarem, sed extinguerem.

Medicamentum vocatur hoc, *quod corpus ita movet, ut malo superato ab hoc motu natura reddat hoc medicamentum iners.* Tamen omnia medicamenta excitant Febres, omne purgans facit Febrim, nullus sudor erumpit, quin excitet Febrim, nec nullum Vomitorium.

Veneni. Ita causæ bene sunt perpendendæ, aut si causa cognita non sit, nil agitur, v, g. si accedam ad hominem, qui ante tres horas fuit sanus, & rogem quid ederit, biberitve, si dicat nil, an non medicamenta assumpserit, tum mihi est cogitandum de venenis, cum symptomata sint gravia, nam impossibile est, hominem sanum subito incidere in tam gravia symptomata nisi à veneno, hinc plurimi pereunt, quia Medicus nimis oscitanter inquirit in causas. Vidi à grossulariis, supra quas aranea ambulavit, mala symptomata subsecuta fuisse, & ab assumptis Fragis, supra quæ forsan bufones exuerunt ventres, homines Abdomina tumefacta accepisse & in Febrim incidisse. Si des non assueto grana duo Opii, calefcet, rarescet, & Febri Crapulari laborabit, sic si Mercurius Dulcis ad Ptyalismum exhibeatur, fit Febris tamdiu permanens, donec salivatio subsistat; hinc patet, quod assignare possimus multas causas, quasdam nostro arbitrio, quasdam non; hinc male dicitur nos nihil de Febribus certo scire, multa enim de iis scimus, sed quum venenum nos lateat & solo effectu pateat, hoc intelligere non possumus, sic si dormienti cuidam Seps, id est, serpens Africanus, vulnusculum mordendo inflixerit, totus Panniculus Adiposus gangrænescit, & fragmenta de corpore excidunt, suppone me jam illud co-

cognoſcere, ſed tamen non novi, quomodo illud, quod in Sepe prius hæſit in veſicula gingivali abſque ullo nocumento, ab homine deglutitum nil mali adferatur, ſed humoribus miſtum evadat tale venenum, quod tales effectus Phyſicos producat, hinc ſi inveniatur ejus antidotus ſanari poterit, aliter nunquam, idem obtinet in Variolis, Morbillis, Peſte & Lue Venerea, & credo, quod nullus definiet, quid hoc ſit, quod Luem Veneram facit, quæ olim dicebantur Variolæ Majores, in hoc morbo totus quantus Panniculus Adipoſus conſumitur, & ulcera maligna ſæpe totum corpus infeſtant, & depaſcuntur, quod nulla ratione poteſt inflare infamiam arti, ſed eſt illud in morbis divinum ſecundum *Hippocratem.*

Digeri. Hoc eſt, quod voco in noſtram naturam aſſimilari, quando chylus ſanguini miſcetur, fit quædam alteratio ſanguinis & leviſſima Febricula, ſic ſi ſaniſſimus homo edat in prandio talia, quæ in corporis viribus non poſſunt digeri, ut multum de Piſis, Fabis Turcicis &c. incipiet languere, paulo poſt etiam torpidus eſſe, quatuor poſt paſtum horis anhelofus erit, paululum Aſthmaticus, ſurgat, ambulet, bibat aquam tepidam, Febris ſuperatur, natura digeſſit: verum ſi à vi vitæ intromiſſum tale fuerit in vaſis, non digeri nec ſuperari poterit, & faciet Febrim magis duraturam. Sic interdum in urbibus obſeſſis, ubi nec molendinæ nec furni piſtorii agunt, homines Triticum non commolitum edunt, in primis diebus nil advertitur, ſed lente accumulata hæc materies poſtea Febrim facit, & ſi diu hujus vel ſimilis crudi uſus continuetur ob defe-

fectum aliorum, fiet Febris adeo certe Lethalis & Epidemica, ut male dicant Pestem regnare in illa urbe, cum tantummodo sit Febris orta ex materia indigestibili assumpta, nam omne, quod vasa ingreditur, quibus non obedit, excitat Febrim; si cibi & potus nimia copia assumantur, producunt Febrim, ut vinum vel cerevisia in nimia copia, quia jugens humorum copia subito affunditur sanguini, quæ superari aut subigi non potest, hinc sequitur, quod illud adhærens debeat Febrim excitare, donec dissolutum sit, ut si stomachus nimis sit repletus, tunc ille nimis distenditur, magis se contrahit, & utraque orificia tunc clauduntur, cibus calescit, rarefit, acrescit, irritatur, oritur Febris, hinc à commessatione nimia facile oritur Febricula, quæ vel vomitu vel valida Diarrhæa tollitur. Pulvis Adamantum non habet in se ullam noxiam, sed talis pulvis corpori ingestus intestinorum nervos maxime irritat & moritur homo per dolorem Colicum &c. Pili tenuiter concisi & cibis commesti creant insuperabiles & lethales languores.

Moveri. Si materia stagnet ad minima vasa facit resistentiam auctam, est una causa Febris jam explicata.

Excerni, vel ad emunctoria communia, ut per alvum; vesicam, salivam, mucum, perspirabile Sanctorianum &c. quæ soliti erant homines deponere, nunc autem non possunt pertransire per hæc vasa, irritationem & stagnationem ad hæc vasa efficiunt. Si æger assuetus sit fortiter vomere, salivam demittere, sæpe alvum deponere, vel per Hæmorrhagiam vel per Fontanellas vel per Hæmorrhoides, vel per consuetas Purgationes, vel per Clysmata, vel per

Men-

Menſtrua, vel per Podagram, ſed egeſtiones poſſunt eſſe inſolitæ nec debitæ ut poſt ſanguinis per uterum dimiſſionem.

Irritent. Sic leviſſimi cibi, ſi ſupra vires ventriculi aſſumantur, certiſſime Febrim faciunt.

Putreſcant. Hæc motus febriles maximos excitent, & hi ſæpe fiunt à cauſis, quæ putantur minime febriles eſſe, ſic via intercluſa bilis in Inteſtinum Duodenum, hæc retrograde petitur in ramos venæ Cavæ, & facit teterrimam Febrim, poſtea bili ſanguini miſta & Ictero producto omnes illi febriles inſultus ceſſant, ſic mulier novem poſt conceptionem menſibus pariens fætu enixo, uterus antea maxime dilatatus nunc conſtringitur, vaſa tum patula nunc anguſtantur, tum naturâ retropellitur humor in mammas, & oritur Febris Lactea vel Puerperalis.

β Quamdiu vivimus, à capite ad pedes externe & in toto corpore interno ubicunque perſpiramus & ſecernuntur liquida, quæ, ſi retineantur, inducunt materiem acrem mutati corporis, hinc faciunt Febrim, tunc orietur Febris à reſiſtentia ad extrema propter perſpirationem abolitam, quod quoque accidit ab infarctione cutis oleo nimio, & à mærore animi, notante *Sanctorio.*

Frigus producit illico Febrim, quia retinet perſpirabile Sanctorianum. Si homo laxioribus veſtibus aſſuetus arctioribus induatur, tunc exhalatio intercipitur, fit Febris, & è contra ſi arctioribus aſſuetus laxioribus induatur, tunc frigus conſtringit cutim & minuitur tranſpiratio.

Unctiones cutim intercipiunt, obſtipant, irritant, inflammant & producunt Febrim, quia hæ lentorem cuti ſuperinducentes eam inſpirabilem reddunt, ut ſi oleum vel unguentum quorun-

rundam cuti & imprimis plethoricorum applicetur, fit Inflammatio Eryſipelatodes, tantummodo ductibus his Sanctorianis obſtructis.

Animi affectus triſtes. Quos *Sanctorius* ad ſtateram demonſtravit omnem omnino perſpirationem prohibere uno momento, ſi hi rogentur, quid habent, veram Phyſicam pronunciant naturam, dicunt, neſcio qua anxietate premor, eſt quaſi cor inter duo prela eſſet preſſum, quod nil aliud notat, quam perſpirabile retentum.

Potus. Gelida aqua potata vel vini mutatio ſæpius efficit Febrim. De cibo & potu legendus eſt *Sanctorius* in Aphoriſmis, ubi omnium optime de cibis perſpirantibus & non perſpirantibus ſcripſit.

Medicamenta. quæ obſtipant, obſtruunt, agitant & retenta putrida reddunt.

Venena conſtringunt.

Aërem nebuloſum pinguem. Nebulæ ſæpe nullum hominem lædunt, ſed interdum reperiuntur, quaſi redolerent ambuſtum lac, & ita aliquando ſunt pingues, ut puras veſtes, marmora & lapides pavimentorum inficiant, nam ſi abluatur pavimentum factum ex lapidibus Italicis, illico illud madeſcere facit tenacitate pingui, & oriuntur Peripneumoniæ Febres, quia pulmo inungitur quaſi hoc nebuloſo pingui, & in parte ſua aërea redditur in perſpirabile. Tempore aëris nebuloſi, maxima eſt levitas in aëre, hinc vaſa noſtri corporis minus premuntur, magis ampliantur, craſſiora admittunt, unde facile Febris, præterea pinguedinoſum in aëre idem agere minitatur, ſi quædam vaſa obſtructa ſint, humores putreſcent, acreſcent & producent Febrim.

Quie-

Quietem. Si magnis laboribus assueti uno ictu ab iis desinant & vitam sedentariam agant.

Exceritia. Nil magis promovet perspirabile Sanctorianum, quam moderata exercitia, maxime si assueverit homo.

Compressiones. Si homo sanissimus tibia Femoralia fortiter constricta habeat calceos pedi acutissime quadrantes, & fibulis fortiter adductis; si vestes quam arctissime corpus ambiant, totus calesit, pulsus erit febrilis, & urina similiter erit mutata, nam partibus nimis constrictis sanguis ire non potest ex arteriis.

γ. *Gesta.* Homo constat mente & corpore, gerit ergo negotia per motus corporeos, quo etiam somnus & vigilia, animi affectus & valida studia referuntur, nunc examino, an corpus nimium moverit, vel mentem excitaverit, si hoc hic inveniam, habebo causam Febris, si non accedo ad ingesta. Ex Diarrhæis aquosis sæpe homines incidunt in Febrim Acutam, quia ubi pars liquidissima secedit è sanguine, crassa remanens in venis & arteriis facit Febrem Acutam, unde mirantur Medici, quomodo talis tunc Febris oriri possit.

Affectus animi, ut ira, dolor, ardor in vindictam.

Motus solus productus nimius non modo ab agitatione, sed etiam à metastasi, id est, à mutatione facit Febrim, nempe quando per motum fiunt errores loci in vasis corporis. Hic fuit nuntius, qui aliquando citissime litteras destinare debebat, ipse currens velocissime (erat enim admodum robustus) & domum veniens se lecto composuit, Febre Ardentissima correptus, præcipui Medici advocabantur, instituebant

bant Venæ Sectionem, diluentes potus, balnea, fotus, medicamenta &c. quæ exhiberi possent, suppeditabantur, non obstante intra tres dies exspiravit à solo aucto motu.

Calor. Si in cælo ignis urgeatur, aër quoque ignem hunc inducet, ergo corpus expositum illi aëri quoque calescit, sic si aura ex frigidissima tempestate in calidissimam mutetur, pessimæ Febres oriuntur, imo ipsa Pestis, notante *Sydenhamo.* Calor orbat sanguinem parte liquidissima & vasa lateralia jam non amplius elastica aperit, unde errores loci.

∂. *Applicata.* Ut Balnea Epithemata, Emplastra, Linimenta, Unguenta, Vestes &c. à multis annis vocabar ad infantem primarium hujus Urbis accusatum quasi laboraret Gangræna Scorbutica oris, Belgice *Waterkanker* dicta, occupabatur os lavando iis, quæ Gangrænam sistunt, re bene detecta, ratio erat, quia Medicus dederat Mercurium Dulcem, qui non operans fecit salivationem, & crudelitas accessit, quia Aqua Theriacali os lavabat &c. vidi ab Emplastro Vigonis in infante halitum fætidum salivationem & crustas gangrænosas &c. in gingivis esse ortas, applicabantur acria Antiscorbutica, sed purgatione ex Rhabarbaro & Diæta lactea cessavit malum, qui vidit salivationem, vidit quam terribilia symptomata inde sequentia, ad quæ bene sunt attendenda maxime in infantibus, vidi Apoplexiam in infantibus ortam ex eo, quod custos caput infantis nimis clausis pileis compressisset; vidi Febrem natam ex acicula intra partem vivam adacta, ergo ad externa bene attendendum, & si ad hæc bene attendatis, invenietis causam, aut debet esse

subti-

subtilis, licet nos nesciamus, quid fiat in corpore, dum morbus est. Applicata acria non modo ad cutim, sed etiam ad pulmones Febrim faciunt; *Bellinus* ex cute humani cadaveris fecit saccum, in quem injecit aquam cum sale Ammoniaco, & vidit hanc aquam exire per porulos hujus cutis. Scripsit quidam tractatulum de vitandis morbis ab exspuitione dignissimum; verosimile est plurima miasmata in aëre contenta hauriri posse simul cum aëre & deferri ad ventriculum, in quo primum agunt, nam observatum est in morbis contagiosis, præsertim in Peste malum esse primum ad summum ventriculi orificium seu stomachum dictum. Omne acre excitat Febrim, quodcunque enim fuerit vel animale vel vegetabile vel fossile indifferens est, sunt homines, qui non possunt ferre Cantharides, quin habeant Febrim. Fuit Rusticus, qui sanabat Febres Intermittentes sola applicatione inter digitos Ranunculi Pratensis in scobem rasi (superimposita vesica suilla) tempore Apurexiæ, id est, ante Paroxysmum, nam tum oriebatur calor summus, qui tum superabat frigus Febris venturum, sed ille rusticus volens uti eodem remedio ad Febres Acutas, pessime ipsi cessit curatio.

Pungentia. Si cuspis Vitri vel Ligni vel Ferri corporis cuidam parti inhæreat, fit Inflammatio & Febris.

Rodentia. Qualiacunque fuerint acida vel alcalica, quatenus concutiendo nervos agunt.

Lacerantia. Hinc malefici torti à carnifice paulo post febricitant.

ε. *Fames.* Quod contra multorum opinionem est, sed verissimum, nam jejunium diutur-

turnum acrem reddit ſanguinem & Febres producit peſſimas, hinc æger, qui præ fame moritur, per Febrim moritur. Nimia evacuatio producit Febrim, ut nimia purgatio, vomitus, & Miſſio Sanguinis, cauſa eſt, quia humores evacuati deducuntur ad longe alium circuitum; Canes, feles & ſimilia animalia, ſi fame necentur, antequam moriuntur, ſemper Febrim Ardentem patiuntur maximam, ſitim, calorem; ſitis eſt ſumma, quia perſpirat mobile, craſſum manet, quod tot repetitis circulationibus fit acre, & producit Febres. Fames eſt effectus phyſicus in corpore humano natus, ex eo, quod cauſæ in ventriculo ſint aptæ cibum durum diſſolvere, attenuare, & in chylum convertere, nemo enim valde famet, quin ſe aſſumat tale quid, utcunque digerat, & quo fortior fames, eo fortior digeſtio.

Pus. Simulac pus, ſe permiſcet ſanguini copia magna & durabili tempore, fit Febris Hectica, quæ inde oritur, quoniam intra ſanguinem acre ingeritur, quod Febrim facit, homo habet ruptam arteriam in pulmone, ſpuit Sanguinem, naſcitur cruſta, oritur tuberculum hoc cum impedimento oritur puſculum, quod ſe permiſcet ſanguini, unde fit Febris Hectica poſt ſomnum aliqua phlegmata ejicit, & ſanus videtur, quando ſe putat pulchre valere, ex cibo comeſto remanet aliquid, quod ibi irritat ſanguinem, fit novum pus, unde Febris hora quinta veſpertina oritur, hæc facit, ut homo nil poſſit comedere, rurſus exſpuit, redit iterum eadem tragœdia, donec moriuntur Febre Hectica.

Aquæ poſſunt diu ſine Inflammatione in corpore

pore hærere, sed si putrescant, faciunt Febrim Hecticam ob præcedentem rationem; nemo enim Hydropicorum moritur, nisi afficiantur Febricula, hinc *Hippocrates* dicit de Hydrope, si Hydropici non sitiant, nec tussiant, sunt sanabiles; nam aqua eorum stagnans in ichorem putridum conversa omnia hæc Phænomena secum habet.

Ichor. Ut scilicet ulcus malignum.

Empyricorum. Hæ Febres sunt in habitu corporis, hinc vocavit antiquitas Febres Hecticas.

Serum. Quando hoc acre effluit ad femora vel crura, facit ibi depositiones, quæ in sanguinem creant Febrim, est inter observata *Hippocratis*, quod homines, qui aliquo loco habuerunt secessum seri v. g. fontanellam & clauserunt subito, laborabunt Febri.

Bilis acerrimus humor nostri corporis habet circulationem plane singularem scilicet per regionem demonstratam, si hæc bilis per motum violentum Æstivo tempore sustentatum acris, subtilior, & minus viscosa fiat, tum acriores ejus partes in venam Cavam intrant, & in ductum Hepaticum permiscentur sanguini, ibique faciunt stimulum. Medici antiqui dicebant optime nulla Febris est pejor, quam ubi bilis sanguini permista est, sed expedire bilem à sanguine difficillimum est.

Inflammatio. Hinc omnes Febres Acutæ, id est, à subtili acri stimulo in sanguine insinuato, vel ab Inflammatione in partes Missione Sanguinis & diluentibus solvuntur; sed in quibus Missio Sanguinis obest, ut in Peste Massiliensi, unde nemo evasit, ut in libello edito per principem Galliæ patet.

Gan-

Gangræna. Credo quod vix inventuri sitis illam Gangrænam majorem, quin Febris adsit, & quin margo gangrænosus semper sit inflammatus, hinc ibi individua symptomata.

Cancer. Cujus ichor facit Febrim.

Vigiliæ. Coehoorn Frisius in exercitu Batavo Ingeniosorum (uti vocant) *Generalis* dicebat, alios Duces in urbibus obsessis dormientes adoriri, verum se efficere è contra, ut semper vigilarent, idque tormentorum bellicorum assidua explosione, observatum enim est, quod in urbibus obsessis, illi, qui cogunt semper vigilare, incidunt in Febres neque subsistere possunt, nisi alterna quiete fruantur.

Studia quæcunque nimis extensa reddunt corpus imperspirabile, & hac ratione creant Febres.

Venus nimia producit Febres curatu difficiles imprimis Æstate vel diebus Canicularibus, quæ anni tempore sponte sua inclinant in productiones Febrium à motu nimio; hinc dicit *Celsus* Ætate pejor concubitus quam Hyeme, id in siccis corporibus & calidis maxime obtinet. Venus pessimam Febrim excitat, unde dicitur Venus Febris mater ἡ ἀφροδιτηὸν πυρετον μήτηρ, quia monente *Sanctorio* maxima ibi sit mutatio generis nervosi. Si quis sibi velit discere legem, in primo examine ægri hæc capita recolat, semper inveniet causam Febris, si inveniatur causa, tum patet natura Febris, imo etiam Diagnosis & Prognosis; sed in omnibus his est aliquid, quod *Hippocrates* τὸ Θεῖον vocavit, id est, semper in Epidemicis, & nunquam in Sporadicis, sed in Epidemicis est adeo latens, ut Veteres Astronomi

mi illud à sideribus derivaverint, sic *Virgilius* dicit de miseranda cæli tempestate, qui occiderat; *Justinus* dicit de sidere Pestilentiali afflata exire &c. quando de morbis Epidemicis agit, sic morbi ad Deorum iras referebantur, unde Sacri vocati sunt, quod *Hippocrates* risit, sed stimulus nullius ponderis ratione sensuum nostrorum potest corpus mutare, ut omnes fere morbos cognitos habeat, sit fœmina Passioni Hystericæ obnoxia, quales multæ sunt, habeatur $\frac{1}{1000}$ pars grani Zibethi ponatur ad nares ut hauriat vaporem, cadit fere Apoplectica & moritur, si ponderetur $\frac{1}{1000}$ grani haberet idem pondus, & tamen corpus quod centum & sexaginta libras ponderat in omni motu est immutatum, sic homines sunt, qui Rosarum, alii qui alium odorem ferre non possunt, quin incidant in lethalem Febrim, multi à Missione Sanguinis, multi ab alia re sic affici possunt, si nunc tale quid in aëre ratione exhalationum Moschi, Zibethi, nonne caderent homines Apoplectici, & mutaretur corpus, si nunc hi homines olfactu privati & nemo cognosceret, & fœmina quoque non cognosceret, qua re illa inciderit in morbum, cujus causam investigare non potest, hoc absolute nisi per effectus cognosci potest, sed hæ causæ sunt paucæ, forte Pestis, Variolæ, & Morbilli hujusmodi causas habent, pono nunc, quod corpus sese optime habeat, sed quod Febris simplicissima sit orta, jam volo inquirere, quid fiet, si à sola hac causa orta Febris fiat, & nulla alia accesserit. Hactenus ergo cognoscimus Febrium naturam, nam Physice ipsas pro lubitu facere possumus, excepto subtili illo, in quo indagan-

do

do nostros sensus subsistere debent, verum proximam hujus inde natæ Febris causam cognoscimus, quæ communis jam explicata est, verum causas remotas, quæ quam plurimæ & nostris sensibus non observandæ existunt ignoramus.

§. 587. Pulchrum est Medico cognoscere effectus Physicos dependentes à Febre, verum sciendum prius, me hic sumere corpus perfecte sanum, in quo nil est nisi velocior humorum circulatio, non sumo hic effectus particularis cujusdam Febris, sed tales, quæ in omni Febre communes sunt, & quod febrile dicitur in omni Febre.

Celerior. Hoc est, quia ponitur simplicissima Febris; hinc hic nil fit nisi velocior cordis contractio, quod in omni Febre est, sed hæc est sanguinis cardiaci expulsio, non vero dico, quod fiat major sanguinis circulatio per cor, hoc enim nescio, sed scio, quod sanguis nunc citius expellatur quam ante.

Propulsio. Si enim cor plus liquidi expellat, plus propellit, arteriæ debent vi sequenti cedere, ergo propulsio celer, quæ non est ubique sed circa cor à resistentia maxima in extremis, hinc circulatio prope cor longe celerior videtur.

Stagnantium agitatio. Ut si laboret quis obesus valida Febre. Dicunt Medici vix ægrum evasurum, quia humores nimis agitabuntur (*de humeuren worden gaande*) hoc petitum est ab experientia; calescit valide, adeps miscetur sanguini, si jam humor sit talis, ut possit nocere, oriuntur pessima symptomata, vidi semper in obesis, ubi inciderunt in Febrim pessimam, hoc accidisse, quia sanguis fiebat nimis pinguis & ama-

rus, hinc humores antea stagnantes & quieti sub mole & pondere nocentes reaffunduntur sanguini, & fit omnium permistio, aut in quiescente manet liquor stagnans & à motu redditur sanguini. Duplex est liquidum. 1. In viis ubi circulatio est perpetua, 2. in quibus stagnatio aliqualis, ut in oleo pinguedine inter ossa & musculos; hinc omnis Febris, qui in sano accidit, liquefacit, movet omnia, maxime vero pinguedinem. Stagnant liquida, ut in Ventriculis & aliis cavitatibus corporis, Cerebri, Thoracis, Pericardii, Peritonæi, Vaginæ Tunicæ, Scroti, sed tum sunt simul extra vasa, quando vero augetur circulatio, tum humores qui extra vasa stagnabant, debent alienos motus producere. Omnis Febris, quæ alicujus momenti est, agit plus liquida per arterias & per venas quam ante, ergo multa, quæ stagnabant, propellunt, stagnatio etiam fit 1. in venis, nam certus sum per experimenta, sanguinem in venis posse stagnare per multos dies, sed non credendum sanguinem per venas velociter fluere, secat enim Chirurgus venam maximam, nil fere sanguinis accipiet, ergo sanguis hic fere pro stagnante haberi potest, sed Febre accedente velociter & celeriter movetur. 2. In folliculis extra vasa secretoria & in omnibus glandulis vel secretoriis vel loculis, vel conglobatis vel conglomeratis. 3. In receptaculis, sic urina in pelvi renum & in vesica stagnat, sic semen stagnat in ductu Higmoriano, in Epididymidibus, in vesiculis seminalibus, & in cavis locis prostatarum, sic lac stagnat in mammis. 4. Stagnatio fit in Tunica Vesiculari, vel in tunica Adiposa, ibi enim potest pinguedo per multos annos nunquam exiens hærere. 5. Me-

dulla

dulla in ossibus, ergo in sano corpore sunt humores stagnantes, hi fusi liquidiores redduntur, per pressionem vasorum exprimuntur, aucto motu circulatorio expelluntur, Febris facit hæc, ergo Febris multa stagnantia solvit, movet & permiscet.

Permistio. Hippocrates nos olim ex suis observationibus monuit, quod si corpora macilenta Febribus obnoxia reddantur, minus periclitentur; corpora vero obesa extinguantur, semper ratio patet, nam omne, quod in homine superpondium lucratur, est pinguedo, equus rhedarius est fere lignum, & nil habet nisi musculos, arterias, venas, pellem & ossa, sed si ille fiat triplo gravior & ponderosior, an habet plus sanguinis? non, nam totum superpondium est pinguedo, si nunc in homine obeso fiat Febris, quæ fundit pinguedinem, hæc permiscetur cum venis, defertur ad arterias Capillares, habebit suffocationem ad vasa capillaria, omnia hæc commiscentur cum sanguine, quæ antea secreta & diversa sunt à sanguine, sed hæc non ferre possumus, sic *clarissimus Ruyschius* observavit in equo subito mortuo (quod Belgæ vocant *bevangen*) aperto Abdomine incredibilem copiam fusæ pinguedinis in cavo Abdominis, quæ tanta erat, ut vasa creparent & dimitterent oleum. Quod nunc de pinguedine dico, verum est de omni stagnante humore, nam omnes humores stagnantes sunt in venis, venæ vero oriuntur ab arteriarum extremitate, uti in Physiologicis docui vel ex cavo quodam vel ab extremitate corporis, quatenus bibunt humores introrsum. Hinc falsum est, quod omnes venæ oriantur ab arteriis, sed saltem unum genus venarum, sed omnes venæ bibentes eunt ad ve-

nas nunquam ad arterias, vinum assumptum & intra os detentum & resorbtum nunquam venit ab arteriis, argentum vivum per frictiones it per venas, sed nunquam venit ab arteriis, cum nunc tales venæ bibant, ubique intelligitur, quod hæ fusum liquorum haurientes bibant.

Subactio. Veteres perturbatos humores sic vocarunt, sic serum, sic bilis in Hydropicis potest in sanguinem ire, sic humor Cancrosus & Lues Venerea facere possunt, ut soluta talia mala circulatoria in corpore faciant, *subactio* vocatur *reductio*, *ut non noceat*, *nocere est circulationem destruere*. Ergo *resistens* est *quod circulationem lædit*, illud quod sic resistit, per Febrim patitur mutationem, si hæc patiatur, ut non resistat, fit subactum, pone quod parva particula vitrea intra manum introducta & non educta, statim partes pressæ tument, illud tumere est, quod vasa premantur versus frustum, quo magis hoc fit, eo minus potest excidere, æque ac qui pilum in manu continet, quo fortius ille manum comprimit, eo minus excipere potest, tum fit Inflammatio, & oritur Febris, quæ destruit vascula, quæ ibi sunt, hæc vascula compressa in pus vertuntur, & frustum excidit, tum est subactum, sic si vasa habeant resistentiam, tum premuntur & versus resistentiam franguntur, jam si intra sanguinis massam infundantur per cibos, medicamenta, venena acria & ingerantur corpora sistentia motum & facientia obstaculum, itidem oritur Febris, nec hoc obstaculum tolli potest sine Febre; quia Febris majori motu impactum resolvere tentat, & sic fit subactio.

Hippocrates vocavit naturam totum corpus cum om-

omnibus viribus, si nunc hoc obstaculum ita attenuari possit, ut fluere possit, sistitur causa, si nunc sistatur Febris, antequam hoc fiat, oritur Scirrhus & morbus longe pejor quam Febris; hinc Febris optime ab *Hippocrate* consideratur tanquam causa, quæ subigit naturam mali, & sic subigendo juvat, & si hoc non fiat, oritur Scirrhus nunquam sanabilis, scitis jam quid de usu Corticis Peruviani & simul de aliis, remediis tenendum sit, illa materiam liquefactam figunt, hinc patet, unde Tertiani & Quartani Hydropici & Icterici fiant, & demum sic moriantur, quia Febris est suffocata, hinc non manebit pervigilium Febris, sic Febres plurimæ elapsa Æstate erant cum Inflammatione levissima hepatis, quæ excitabantur à natura, ut illud infarctum subigeretur, sed Medici Empirici stiterunt Febres, & non usi remediis idoneis statim ægri fiebant Icterici, bile subeunte massam sanguineam tumebant & languebant.

Coctio est *humoris crudi vel peregrini mutatio in naturalem*, omnis coctio fit per Febrim, ipsa enim Pestis non nisi hac coctione superatur, humores peregrini vel crudi vocantur, qui fluere possunt, sed nondum nutriri, nec in corpus nostrum immutari, sed è contrario humorum circulum turbant. Hæc coctio apud veteres Pepasmos vocabatur, nam veteres duplicem statuebant coctionem, unam *πέψιν* alteram *πέπασμον* vocabant. *πέψις* est crudi non naturalis assimilatio in naturale, ut ciborum, potuum & aëris, qui panem accipit, sumit crudum, fit tamen ex hoc crudo sanguis, facultas, quæ hoc facit, vocatur *πέψις*. *πέπασμος* est *humoris morbosi reductio in non morbosum*, quando Febri gravedinosa laboratis totum corpus est grave, tor-

pet, caput eſt hebes, ſed ſi diluentia aſſumantur, totus morbus ceſſat. Natura ſuſcitet Febrim, hæc Febris facit, ut fluat, hæc eſt coctio humoris crudi morboſi, hæc coctio à veteribus tanti facta & ab *Hippocrate* maxime eſt exculta, quæ ſemper fit per Febres, nam ſine Febre materia Febris non coquitur, ſed intacta manet, requiritur etiam motus plusquam naturalis, ubi humores plus reſiſtunt quam naturaliter: hæc Febris ergo eſt maximum inſtrumentum πεπασμοῦ.

Secretio cocti. vocatur, quando id, quod primum obſtaculum fecit, nunc per Febrim reducitur, ut fluere poſſit, ſicque fluat, ut mutet circulationem à circulatione prima, tum vocatur materia Febris mota, hæc poteſt pati metaſtaſin, hoc eſt, tranſmigrationem, ſi hæc materia ad loca naturalia puta os per ſalivam, pectus per phlegma, cutim per ſudorem. Æſophagum & ventriculum per vomitum, inteſtina per Diarrhæam, renes per Diureſin pellitur, tum eſt ſecretio facta, ſed hæc eſt mutatio non perfecta, aliter eſſet circulatio, ergo requiritur paulo major motus vel Febris; hinc fit nunquam bona circulatio niſi in actu Febris, inde nox inquieta ante acceſſionem eſt quibuſcunque judicatio fit, notante Hippocrate in Aphoriſmis, vid. Pr. Alpin. d. præſ. vit. & mort. ægr. p. 376. edit. ult.

Criſis vocatur *illa corporis ægrotantis conditio, in qua exſpectanda eſt maxima mutatio*, non dico evacuatio, nam ſine illa Criſis fieri poteſt, hanc veteres vocarunt litem oriundam inter viam & morbum, tanquam per partes ſibi mutuo oppoſitas, hinc judicium vocarunt, quia in unam vel alteram partem lis tunc temporis eſt decidenda, vel Criſis eſt cocti determinatio ad locum

locum ubi minus nocet; denique Crisis est duplex, consideravit *Hippocrates* quod in corpore esset aliquid naturale & præternaturale. Naturale, quod de vita, & sanitate cordis arteriarum pulsu, secretione & excretione dicitur, omnia hæc simul sumpta vocabat naturam, sed in morbo erit, quid contra seu citra, seu præter naturam; hoc vocabat morbosum & aggregatum morbi, uti alterum aggregatum vitæ, quando bilanx nunc huc nunc illud inclinat, si natura præponderet, actum est de vita, quando corpus erat in tali statu, dicebat esse in Crisi, non quod in incremento erat, ut multi male intellexerunt, sed omne tempus, in quo magnæ mutationes versus salutem & versus mortem, vocatur Crisis, adeoque est judicium, ubi singulæ partes agunt, & causa ergo est in judicio, vocabulum hoc quoque sumitur pro judicio naturæ facto, & tum significat Crisis, quod vita triumphatrix judex tulerit hostem seu materiam morbi expulerit, hæc Crisis fit per Febrim, & si Febris ante Crisin desinat, nunquam erit sanus sive à natura, sive à Medico ita facta sit, si vero vel Medicus vel natura nimiam Febrim excitet, æger mori potest.

Stimulo. Sæpe fit Febris à solo stimulo non à materia, ut si sanissimus acceperit Miasma Variolosum, incidit in Febrem acutam sine materia, sic homo, qui coram Pestilentiali est, hauritur tantummodo ejus efflatum, Peste corripitur, hic est ille irritator stimulus, qui per motum in sanguine suscitatum, ejus corruptionem producit, quæ non pendet ab illo stimulo, sed ab humorum circumductione aucta per illum stimulum, sic v. g. intimus alicujus amicus videat suum integerrimum incidere in manus latro-

num, ſtimulatur & ſpiritibus quaſi appellitur ad illum juvandum, unde tantus fit ſtimulus, ut Febris oriatur, ſed ſine materia, ſic etiam veteres eam diſtinxerunt, ſed Febris cum materia oritur, ſi v. g. æger habeat vomicam in hepate, ex quo pus continuo producitur, illud ſanguini miſcetur, quæ communicatio pro effectu ſuo habet Febrim, quod maxime notandum eſt Medico, nam Febris in principio orta à ſolo ſtimulo hoc domato ſanatur, & nil amplius de Febre ſequitur ſtimulus, ille tantum eſt ſopiendus. Verum ſi ille mutaverit ſanguinem in denſum inflammatorium, tum non juvat ſtimulum hunc tollere, ſed diatheſin hanc inflammatoriam productam à ſtimulo, ſic Peſtis incipientis miaſma peſtilentiale ſtimulans ſi compeſcerem, auferrem totam Peſtem, verum ſi jam ille irritator eo uſque progreſſus fuerit, ut ſanguinem inflammatorium effecerit, & anthracem & ad inguina bubones generaverit, tum irritum erit Peſtem curare velle ſolo obtuſo ſtimulo, ſic ſi Febris interna, pura, caſta, exquiſita fuerit abſque ulla Cacochymia ſed tantummodo à ſimplici ſtimulo Epidemico orto, cortice Peruviano dato, certo certius tota Febris curabitur, & nil mutabitur in corpore, nec ulla Criſis expectanda ſeu ulla evacuantia &c. inſtituenda, tantum ſtimulus ille eſt auferendus, & tum Febris ſublata erit, verum ſi Cacochymia adfuerit vel ſimilis alius morbus, exhibeatur Cortex Peruvianus, tollitur quidem Febris, ſed an poſtmodum corpus ſit futurum ſanius cum illa Cacochymia ſine Febre quam cum ea, hoc judicium penes Medicum eſſe debet. Febris vel ſtimulo vel coagulo producitur, nil enim in Febre præter ſtimulum, excitat cor

ad

celeriorem compulsionem vel resistentiam ad capillaria vasa, & dato alterutro, sequitur alterum, tamen stimulans facit coagulum, & coagulum facit stimulum, v. g. homo sanus habet sanguinem dilutum, si homo currat plusquam potest, sanguis evadit quasi Pleuriticus habens crustam coriaceam, hinc stimulus non mutat corpus, sed liquidum expellendo facit sanguinem crassum. Circulatio maxime agit in resistens peregrinum, hinc in id fit maxima arctatio, agitatio & mutatio; Febris enim effectus est vasa exhaurire, saliva spicula promovere, spirituosa dissipare, oleosa attenuata & minus blanda adeoque fœtida reddere, terrea non subigendo compaginare & compingere in unam massam cum oleo & salibus; v. g. si violentus cucurrerim, febricitabo, at hæc est Febris Ephemera, nec ibi humores erant antea corrupti, ut excitarent Febrim, sed si Febris per triduum durasset, taliter mutasset humores, & hi fuissent hujus effectus non causa. Sic multi Medici incusant Cacochymiam pro causa Febris, cum tamen sit ipsius Febris sæpissime productum & à Febre natum.

In morbosam indolem. Si hominis corpus perfecte valeat, habet omnes humores perfectissime bonos, sed oritur Febris simplex, tum per admistionem, quæ prius stagnabant, per dissipationem tenuioris, per coctionem spissioris, fiunt Inflammatorii & Suppuratorii &c. vidi susceptum Miasma Variolosum, quod tam parvum erat, ut ratione sensuum nostrorum pro nullo haberi possit, nisi sanguinem, sanguis erat purissimus & defæcatissimus, si sequenti die morbus maneat, mitte sanguinem, erit Pleuriticus, ubi Febris per aliquot dies sic duravit, mitto

C 5 iterum

iterum Sanguinem, erit plenus pure. Si variolosæ pustulæ per totum corpus sint, totus sanguis mutatur in Ichorem, unde hoc? certe à Febre, quia Febris est, nam hæc mutatio non fuisset facta, nisi Febris non adfuisset.

Indolem aptam. Hæc mirabilis est efficacia Febrium, quod in historia clarius patebit, sic qui accipiunt venena insulsa, Febre violenta laborant, sed Febris assuefacit corpus, ut dein aërem & venena melius & impune ferant, & qui semel bis terve Peste laborant, conversantur cum Peste infectis, nec inficiuntur, quia eorum corpus assuetum est, sic qui Variolis non laboravit, accenditur, si accedat ad Variolosum, non vero, qui eas perpessus est, nam cubabit cum Varioloso, nec multum nocebit. Nulla mutatio fit in corpore à consuetis ad insueta, quin per Febrim fiat, homo assuetus certo motui corporis, certo aëri, certo cibo, certo potui, tunc bene valet, sed ubi hæc mutat incidit in Febrim. *Celsus* optime dixit; qui bene sanus experiri debet, ut corpus non extinguatur, ut omnia ferre possit, hoc omni experimentorum genere confirmare possum, qui semel laboravit Morbillis, ille per hanc Febrim aptus est, ut possit cum omnibus morbilliosis conversari, omnes qui semel Peste laboraverunt, eandem Pestem nunquam accipient, docuit hoc quoque Pestis, quæ intra boves præterito anno regnabat, nam omnis bos, qui semel Peste afflictus reconvaluit, erat duplex carior, ergo videtis, quod illi morbi, qui per miasma producunt Febrim, reddant, corpora apta ad illum morbum nunquam accipiendum, sed morbi, qui non habent Febrim, hoc proprium non habent. Lues Venerea est opposita Febri,

febri, hinc nemo Lue Venerea afflictus Peste corripietur sed qui semel Lue Venerea curati sunt, æque rursus in morbos Venereos incidere possunt, ergo Febris nunquam sistenda, sed moderanda, ubi natura excitat Febrim, ut se liberet & à recidiva præservet.

Incrassatio. Id optime explicat ***Hippocrates***, per violentas Febres liquidissima & mitissima exhalant, crassissima, pinguia & terrestria compaginantur in unum, hinc sæpe febricitantibus ultimo Obstructionibus dirissimis laborant, homo per semestre Febre laborans sæpe ubique Scirrhos accipit, quæ Febris semper producit sitim, quæ oritur. 1. Quoties diluens aquosum deficit, 2. salina acria exsuperant, & 3. ubi pingue terrestre nimis abundat, quod diluendum est. Vide Observationes *Boneti.*

Dolor. Nam sanguis acrior in salibus & spissus in partibus terrestribus facit dolorem, sed unde dolor? in Febribus imprimis in Intermittentibus ratio est manifesta ex *Ridleo*, qui docuit, quod arteriæ, quæ petunt integumenta cerebri introeant & venæ exeant per idem foramen, sed quod omnes arteriæ, quæ ad inferiora vadunt, introeant per eosdem canales, & venæ per alios canales redeant, & quia sanguis stagnat, oritur dolor, quia sanguis stagnans comprimit venas, hinc venæ per idem foramen egredientes comprimuntur, & tum Duræ Matris arteriæ tenduntur, sed quare tum non moriuntur, quoniam omnes arteriæ Duræ Matris reconduntur inter duplicaturam ejus, sed si arteria patiatur talia in ventriculis cerebri, Apoplectici fiunt ægri.

Anxietas est perceptio molesta, quæ in mente oritur, & quando circulationis fines incipit sentire,

nam aliter definire non possum. 2. Quoniam sanguis in arteriis pulmonalibus sistitur, ut cor dextrum sanguinem non movere possit; tum illis oritur quasi immenso pondere comprimerentur pectus & Abdomen; 3 si Spasmo contrahantur vasa minima, ut non possint transmittere sanguinem, uti in Hypochondriacis & Hystericis videmus. 4. Quoties per hepar sanguis non potest libere fluere, tum sanguis per venas Cæliacas & Mesentericas sistitur & retropellitur ad Abdomen, & ibi quasi suffocatus simul repercutitur. 5. Quando intestina Spasmo contrahuntur, tum oritur anxietas ab aëre distento, ergo anxietas est perceptio molesta omnis conditionis, unde initium & fines circulationis sentiuntur, quemadmodum dolor est quando nervosa pars sic tenditur, ut jam jam rumpenda sit.

Debilitas adest quoque ob dissipata liquidissima. Vel quando musculi non moveri possunt per inflationem liquidi nervosi & arteriosi.

Lassitudo est impotentia muscularis ad motum cum sensu quodam doloris immobilitatis & gravitatis partes afficientes; nam quemadmodum itinerando defatigamur à motu aucto sanguinis per musculos moti, hinc lassitudo fit ob motum nimium aut ob stagnationes.

Gravitas est ablatum in parte vel in toto æquilibrium, id est, si æqualis per partem non fit circulatio, tum oritur in illa parte gravitas v. g. homo trecentas libras ponderans nil sentit, totum corpus est tamen agile, ut uno articulo pollicis pedis innitatur, si tale corpus insideat natibus, non dicit, hæ partes dolent, sed simulac æquilibrium est sublatum; & liquidum libere fluere non potest, oritur gravitas, si hoc brachium

brachium ita ligaretur, ut venæ sanguinem non reddere possint, sentirem pondus, vel simulac sanguis arteriosus vel liquor spirituosus vel nervosus non influit, quia minima vasa quiescunt, hinc coalescunt & fit gravitas.

A'νορεξία. Deus dedit causas, quibus ingesta in nutriendi naturam digerere possunt, quando illæ causæ sunt præsentes circa ventriculum, tum semper in mente est sensus, qui vocatur appetitus, quando oritur Febris non sunt causæ in corpore, quæ alimentum in nutrimentum convertere possunt, si vero hæ desint, tum quoque appetitus deficit, scio vos cogitare appetitum esse ubi non convenit edere, sed scio, quod comestio nocere possit, at quod homo se bene haberet, si non ederet, nego; in appetitu Canino edunt carnes fumo induratas &c. & male se habent, sed si hi homines nil assumerent, pejus se haberent, nam nil citius necat quam fames, hinc quando Febris sic corripit humores, succum Pancreaticum, succum biliosum, ut non convertat in nutrimentum, non erit nutritio. Appetitus dicitur fieri ab attritu humorum, sed fit tam per tritum quam per bonos humores, ergo causa deficiente appetitus destruitur.

§. 588 Per lentorem non intelligo inspissationem sanguinis vel ejus viscositatem, nil minus, sed omne obstaculum qualecunque ortum ad minima vasa capillaria.

Irritatio brevis. Si stimulus ille irritans lenior & brevius duravit, & non sit malæ indolis, ut humores corrumpat, vocatur illa vulgo Febris Expurgatrix, & certo est saluberrima, quæ corpus repurgat. v. g. in Ephemera lentor facile & brevi solvi poteft. Ut tollatur Febris

requiritur, ut tollatur causa data ante duplex, nam semper duplex causa Febrim facit, una naturalis, quæ impedit liberum transfluxum per vasa capillaria; secunda, id est, stimulus, qui agitat villos musculos cordis & arteriarum, ut vi lentissime premant hæc liquida, quo ergo & fere ausim dicere hanc rem per experimenta probari, si morbus acutus Pleuritis occupet corpus cum lentore Inflammatorio, illa Febris vix terminabitur, & lentor vix prius solvetur, nisi ante 21. diem, sed si sanguinis lentor in Febre Ephemera levissime excutiatur, brevi intra paucas horas dissipabitur. 2. Est hic stimulus, qui licet omnes humores sint boni, per solam vim stimuli sanguinem reddere potest malignum & crassum, si homo sanus accipiat variolosum contagium, quantillum illud sit, tremet, friget, accipit Variolas, hic aliquid committitur corpori, quod illud movere potest, movet sic sanguinem, ut fiat inflammatorius, si nunc Febris habeat materiam lentam pro causa mali, quod ex Missione Sanguinis videtur, quo illa tenacitas solvitur facilius; eo Febris est levior; solutio fit per Missionem Sanguinis & diluentia. 3, Quo stimulus facilius emitti potest, eo facilius curatur Febris & contra. Si hominis sanguis fit fere ut corium tensum. 1. Ille non intra viginti quatuor dies solvetur, licet mittetur sanguis, fomenta ad vasa laxanda applicentur & dentur diluentia & salina ad incidendum, tamen nil efficitur. In Febribus Quartanis videmus lentissimos humores hærere imprimis circa splenem, Pancreas & Hepar, illi humores lenti faciunt, ut illæ Febres ad quatuor, quinque vel sex annos durare possint, imprimis si utantur medicamentis liquidissima dissipantibus, & 4.

quo stimulus est acrior, & minus potest expedire, eo Febris diutius durat, utinam sciremus quid ille stimulus sit. Nam quis mortalium hoc potest concipere, quod si hic hæreat æger Variolis obsessus & ingrediantur decem homines, qui Variolas passi sunt, cum illo possint comedere, bibere &c. ut nil sentiant, sed si unus accedat, qui non laboravit Variolis, ille ab ægri visu fere afficitur, seu si præsens sit, inhalat modo ægri halitum, accipit Variolas, qui stimulus non desinet nisi decimo quarto die suppuratione facta, ergo tota ratio, qua hujus hominis humores sic mutantur, est in eo, quod halitum adduxit, sic jam non amplius dubitatur de Variolis insititis, nempe si pus variolosum injiciatur in venas; tum fiunt Variolæ; hoc venenum variolosum tantillum in vestigiis suscitat Febrim cum dolore Capitis, Anxietate, Delirio, Convulsione, sequenti die mittitur Sanguis, dentur Sudorifera, Clysmata injiciantur, diluentibus & salibus datis non mitificabitur Febris, sed perget; hinc producet Inflammationem, quarta die illa Inflammatio attolli incipiet, septimo die suppurabitur, decimo, undecimo usque ad decimum quartum diem omnes humores sunt facti pus, & corpus est plenum abscessibus: an non omnis hæc sequela & humorum mutatio pendet ab illo stimulo, & per hunc stimulum omnes humores in pus mutati sunt, vidi enim manifeste in Britanno Studioso fuisse tantam puris copiam collectam, ut duo ingentia Apostemata producta fuerint nunc videtis, quid per stimulum intelligatur, sic ut nunc hic stimulus in Variolis est, alius potest esse in Peste, alius in Febre Ardente, alius in certa specie Pleuritidis, alius in certa specie

Peripneumoniæ, hinc ftimulum nifi per effecta intelligere poffumus. Ille eft optimus Medicus, qui ftimulum natum fine corporis læfione reddere poteft inertem, hoc in Febre Tertiana & Quartana poffumus, nam fic à folo ftimulo tutiffime tollitur, fed non ita, fi à lentore oriatur; ftimulum in Pefte *Hippocrates* vocavit *Sacrum* vel τὸ Θεῖον.

Concurfu. Nam aliquando morbi funt cum valido ftimulo & cum lentore, tum ægri plerumque moriuntur, ars enim habet limites, non enim poffumus fanare omnes Febres, fed tantum iftas, quas natura fanabiles facit, & fi hoc poteftis, eftis optimi Medici, fed omnis ftimulus fufceptus in fanguine tolli non poteft, vide *Hippocratem* in Epidemicis, fic veteres Medici parentes & cognatos viderunt mori, fed fi aliquid fieri poffet, hoc fiat mitificando ftimulum & lentorem diffolvendo.

§. 589. Si velitis bene proficere, componite Thema ex variis & felectis Auctoribus, & videte quofnam morbos Febris fanat; nam Febris Acuta fanat omnes morbos, qui oriuntur à fubita mutatione in fex rebus non naturalibus, nam inde Febrim oriri nimis notum eft, & illa Febris corpus relinquit difpofitum, ut fex res non naturales ferat fine Febre. 2. Febris curat omnes morbos contagiofos, difponit corpora ad auferendam lethalitatem, quæ orta fuiffet à fimili caufa, fcimus per experimenta Afiatica, quod fi Variolæ mitioris generis infundantur in corpus non laborantis Variolis, excitant Variolas, & tum hæ difponunt ejus fanguinem, ut ille homo poftea à Variolis non afficiatur, ergo omnes morbi contagiofi plerumque per Febrim fubiguntur, ut ferri poffint. 3. Omnes morbos,

bos curat, qui à lentore, ut materia hæreat in certo corporis loco, ut v. g. levis Apoplexia orta à lentore corticem cerebri obsidente solvitur à Febre. Omnes morbi Spasmodici, Epileptici, si v. g. Spasmi sunt ad musculos Gastrocnemios seu insultus Epileptici, si illis morbis superveniat Febris, dissolvitur fomes & liberi sunt ægri ab his morbis, habui senem, cui ex dirissima Podagra supervenit Quartana, quam habuit per biennium, quam optime tulit, & liber postea à Podagra fuit, idem verum est de Mania & omnibus morbis spirituum, ut loquuntur Britanni; nunc videndum est, qualis Febris ad hos sanandos morbos requiratur, imo dixerim forte, quod omnes morbi saltem plurimi, quos Medici curant per Antiscorbutica fortia, Antispasmodica fortia, Antiepileptica, lentori oppo ta, non prius curentur, quam Febri inducta, hinc omnis methodus medendi in morbis Chronicis consistit in eo, ut faciamus Febrim, quando morbum curamus per frictiones, sudores, vomitus, diarrhæas, vesicatoria, sales alcalinos fixos, oleosos, seu macilentos, aromata &c. facimus semper Febrim; sic Febris Continua, Tertiana, Quartana superveniens Paralysi, si non fuerit Apoplexia, Paralysin solvit, & sic morbi obstinatissimi Febre curantur; si velim ægrum Quartana laborantem sanare, prius mihi est animadvertendum, an non sit Scirrhosa diathesis; si hoc non inveniam, curare possum per stimulum quovis modo excitatum, v. g. volo per Diaphoresin curare, sumo Centaurium Minus, quod non fallit in Febribus, conficio exinde vinum, jubeo, ut de hoc vino omni bihorio diei unciam unam assumat ante frigus febrile, inde corpus incalescit, frigus anticipatur,

tur, urina fit rubra, sitis magna, calor major & æger erit liber à Quartana, sed hæc curatio fit per Febrim inductam, tamen non fit perfecta Febris continua, quæ curatio fit, quia major ille calor depellit frigus Quartanæ, sed tunc plerumque mutatur in mitissimam Febrim Continuam; sed si fortissima Sudorifera incaute dentur, fit Febris Continua cum dolore capitis &c. & sic Febris Quartana evadit cito lethalis, & omnis medicina nostra eatenus efficax est, quatenus facit Febrim Continuam sed mitem, & si natura hanc Febrim prodat, tum curat. Mulier Chlorosi laborans perfecte languet toto corpore, vix motus apparet in sanguine, pallet, urinam excernit pellucidam, aquosam, albam, color ejus sanguinis est loturæ carnis similis, coloris subviridis, pellucidi, albi, si Medicus huic det fortissima aromatica, certissime hunc morbum sanat. v. g. Myrrham, Aloën, Corticem Magellanum, Piper &c. quibus miscet Chalybem, dat ipsi sumendam hujus medicamenti satis magnam quantitatem; dum incipit sanari, genas rubras accipit, ut conqueratur Medico de calore, siti & perfecte febricitat, quæ Febris unum superstes erit remedium, ut subigeretur illa materies. Consideramus cum *Hippocrate* & *Sydenhamo*, quod Febris per Febrim sit tollenda, si obstructio per Febrim orta sit, quomodo tollatur, nisi per Febrim, id est, majorem motum, hoc enim intenditur continuatio Febris non tanta ut noceat, sed ut solvatur, subigatur & coquatur obstructum, hinc major est Medicus, qui opportune excitare potest Febrim, quam tollere causam. Coqui spumam, ab aqua ebullienti separant, sed si debilis fiat ebullitio, spuma non ejicitur supra; si minus ebulliat, omne

omne humidum diſſipatur & conſumitur, idem fit in corpore, ſi Febris debilis ſit, non reſolvitur obſtructum, ſi nimia, omnes humores atteruntur; hinc maxima hæc ſit regula in morbo Acuto vel Chronico Febrim tantam excitare, quæ requiritur ad reducendos in ſtatum naturalem humores, at ne procuratur nimium, ubi forte materia eſt reſoluta; hinc ille non eſt bonus Medicus, qui tollit Febrim non nocituram.

§. 590. Hæc unica diviſio continet maxima *Hippocratis* ſcripta ſed temporis brevitas requirit, ut breviter ſaltem dicamus, non cogitare debetis, quod dum Febris appellatur, morbus idem maneat, nam qui dicunt, ſic curatur Febris, auctores decipiunt, *Hippocrates* Febrim ſpectat, ut morbum valde diviſum.

Initium Febris eſt finis ſanitatis, ergo finis ſanitatis eſt initium Febris, & paulo antequam erat Febris, erat ſanitas, nam initium Febris erat ſanitati proximum, uti Febris erit in fine, quando in ſanitatem abibit, hinc materia Febris eſt ſtimulans; hæc minima vocantur initium Febris, hinc ſupputabat ſapiens ille Vir, cogitans eſt aliquid in corpore præter ſanitatem, & hoc quod in corpore præter ſanitatem eſt, facit initium Febris, quid fiet de hac Febre? hoc nemo ſcit, nam homo tantum ſemel horret, ſupputabat jam, nunc ſequitur Febris augmentum, quid fiet? ſanitas minor, & cauſa fiunt omni momento majores, quamdiu hoc pergit vires naturæ minuendo, & vires vitæ augendo, tamdiu vocatur augmentum Febris, ſed tamdiu vocabat vetus ſchola ἐπακμή, quod ſignificat illud tempus, in quo natura ſanitatis minuitur, & natura morbi augetur, ἀκμή ſeu *ſtatus* ſignificat, quando cauſa Febrem faciens omni momento aucto-

ſtat,

ſtat, & vita eſt imminuta, ille quietus ſtatus vocabatur ἀκμὴ morbi ſeu *conditio Phyſica*, in quam potuit reduci conditio corpus humani ab aucta natura, ſequebatur tempus, quod vocabatur decrementum, quod eſt decurſus temporis febrilis in quo ſanitatis cauſæ quotidie augebantur, ejus initium ab ἀκμὴ & ejus finis in perfecta ſanitate, totum hoc tempus vocabatur παρακμὴ à παρὰ *ultra* ſeu *poſt*, & ἀκμὴ ſtatus, ergo eſt imminutio Febris, quæ inde vocatur παρακμαστικα, hinc ἀρχὴ, αὔξησις, ἐπίδοσις, ἀνάβασις, idem ſignificant, & Latine dicitur vigor morbi, vide *Celſum*. Tamen quando febricitans incipit torpere, frigere, rigere, tum eſt ἀρχὴ, altero die ubi pejus ſe habet, eſt αὔξησις itemque tertio die, id eſt, tendens ad ἀκμὴν, ubi quarto die vel ad ſummum quinto pervenit, eſt ἀκμὴ ſeu *vigor*, ſexto die ſtatus eſt, ut in αὔξησι & παρακμὴ ſeu deſcenſus ad ἀκμὴ, tunc dicitur Febris Paracmaſtica, ubi deſinit, & indicat; vocatur Criſis, in quo ſtatu maxima mutatio eſt exſpectanda, & proinde deſinit vel in ſalutem vel morbum vel mortem vel evacuationem materiæ, quæ fecit morbum, ſi hæc eſſet, perfecte vocabatur criſis μεταστατικὴ materiam migrare faciens, non educens; hinc apoſtaſis critica. Quæritur an dies certus decretorius Criſeos ſit, aut qui determinat mortem vel ſanitatem, ut dies nonus, decimus quartus &c. numerante *Hippocrate*? reſpondetur, hæc vero pro varia ætate, diæta, regione, regimine mire variant, v. g. Sporadicæ Tertianæ Vernales raro durant ultra tres periodos; ut ſi Autumno invaſerint; malo autem regimine unum vel alterum menſem durant, hinc non ſemper juxta *Hippocratem* Tertianae ſeptem periodis terminantur, ſed obſer-

vandum

vandum, quod ipsa manente diversitates variæ sunt.

Mutatio est vel in sanitatem vel in alium morbum, quo semel recidiva intelliguntur, vel in mortem, tum hæc Febris est distinguenda vel in acutis vel in aliis Febribus, nam in rerum natura est commune iter, sed stimulus variat, sic omnes inflammatoriæ Diatheses ascendunt per septem dies. octavo die stant, & decimo quarto die ægri sunt sanati, si morbus sit lentior, ad vigesimum primum diem percurrit, imo ad octuagesimum quintum, uti *Hippocrates* observavit, non possumus ergo certo dicere, quod illæ Febres sint, quasi plantæ & animalia, quæ certo tempore crescunt & desinunt, uti *Sydenhamus* credidit. Quantum ex libris *Hippocratis* videmus, ille tantum Febris impetum videbat, & si ille tolerabilis esset, dabat Ptysanum, commendabat abstinentiam & quietem, ut natura sanare posset coquendo, separando, & expellendo, sed si Febris esset tanta, ut corpus destruere posset, moderabat, si videret Febrim deficere, malum per calefacientia curabat, si vero aliquid divinum esset in morbis, dabat aliud remedium, quod ipsi soli erat notum, uti discimus *ex Artaxerxis Epistola*; hoc remedium sapiens hic Vir in suis scriptis non descripsit. Sed hodie putant Medici se debere tollere Febrim, Galenici mittunt Sanguinem & nesciunt, quare, non attendunt ad rupturam vasorum, sed ad solum nomen Febris, sic alii simili ratione in omni Febre adhibent pulverem Cornachini, alii dant Vomitoria, alii pulverem Sudoriferum, alii pulveres absorbentes, omnes conantur tollere Febrim; hinc quæ hic dixi, non sunt tam multiplicia, si modo Medici non

tur-

turbarent institutum naturæ, si dicas, fiat Missio Sanguinis, debes te examinare, an possis reddere rationem serenissimo Medico, cur velles mittere Sanguinem; omnes Medici, qui legerunt *Hippocratem*, dicunt, *Hippocrates* hic non valet, nam Febris non curatur, sed illi non curant, omnes enim Febres Peripneumonicæ Pleuriticæ sequuntur tempus ita, ut habet *Hippocrates* ne uno momento excepto, sed in iis tamen non multa mutamus. Dixit *Hippocrates*, Tertiana exquisita septem diebus absolvitur, res est vera, sed relinquatur suo genio, si enim facias nimium calorem, Febris non nimia est legitima, si frigus plus produces per subductionem sanguinis tum non est legitima curatio, tamen mutasti, ergo in omni multum discriminis in uno ab alio tempore.

§. 591. Sequuntur pulcherrima in Febribus observata. Triplex semper erit exitus, vel sanitas, vel morbus, vel mors. At rarissimi inveniuntur auctores, qui notarunt vel docent, quomodo hæc diversa sequantur, doctrinam hanc ergo proponamus.

§. 592. *Vitio Destructi*. Dicitur vita nostra suspensa pendere, quasi bulla æquali textu illorum filamentorum, profecto credibile est, quod filamentum, quod duxit aranea, vel bombyx sit rude, si comparetur cum canalibus, per quos fit vita, intelligo ultima stamina cerebri & cerebelli, si nunc aucta velocitate per impetum hæc minima conterantur, est mors, quæ non apparebit ullo signo, nam hæc minima non videmus neque mille simul sumpta, sed quibus signis hæc Febris cognoscitur? respondetur per Deliria, & omnes, quos mori videmus, per Deliria à vasorum minimorum de-

stru-

ſtructione moriuntur, idem de vaſis pulmonum & cortice cerebelli verum eſt, ſic viri clariſſimi incidentes iſtiuſmodi cadavera, omnia bona inveniunt, & mirantur, cur hi ægri mortui ſunt, ſed hi viri celeberrimi ultimas has telas non videre poſſunt.

Vaſa vitalia. Nam omnis aucta velocitas ſanguinis auget momentum ſolidorum, unde fluida urgentur, comprimuntur, graviora fiunt, & conſolidantur inter ſe, tum evadunt tam tenacia, ut per vaſa cerebri & cerebelli & pulmonum tranſire nequeant & moriantur à materia tenaci, ſi hæc materia in cerebro deveniat, tum quoque moriuntur Delirio, ſi vero in Thorace, moriuntur Peripneumonia cum ſumma anxietate ad pectus, vel ſi materia infundatur in loca Intercoſtalia, tum ſtatim inde oritur Inflammatio, quia materia tam craſſa per hæc vaſa minima tranſire non poteſt.

Aut per ea &c. ut Venæ Lacteæ, Venæ Meſeraicæ, ſi per Febrim hæ aphthis obducentur, ut nihil ſorbere poſſint ægri, moriuntur, quia ab Æſophago uſque ad inteſtinum Cæcum omnia ſunt una cruſta immeabili Aphthis obſeſſa, hinc via chyli eſt interclusa, ergo moriuntur ægri ab aphthis diu poſtquam Febris deſit.

Ulcera aphthoſa. Omnes Phyſicæ rationes, quibus homo à Febre moritur vel mortuus eſt, huc referuntur, quando ergo es coram febricitante, & rogas te ipſum, an hic æger periclitatur, ut moriatur à Febre, cogitas eſt impoſſibile, uti ille æger moriatur, niſi quin tenerrima vaſa deſtructa vel quoniam liquidum minus preſſum in tantam tenacitatem evadat, ut per vaſa fluere non poſſit, vel quin Inflammatio

matio vel Suppuratio &c. oriatur, circa partes, quæ faciunt, ut homo moriatur, sed si Febris augeatur, & Deliria oriuntur, cogitas hoc Delirium oritur, quia vasa minima atteruntur, & destruuntur, ergo periculo mortis versatur æger, & simulac hoc cognosco, video unde metus mortis à nimio scilicet motu, mitto Sanguinem, Clysmata, Balnea, potum aquæ nitrosæ, omnia diluentia &c. suadeo, & si impetus non adsit, debeo abstinere aut crearem alium morbum, sed si Delirium suffocativum adsit, calor magnus, pulsus non violentus, humores sic degenerant, ut crassescentes transire non possint, tum aliæ viæ sunt insistendæ, quia nimia est incrassatio in vasis Capillaribus, vel forte circa organa vitalia Æsophagi, Intestinorum, Ventriculi, Coli malum hæret, tum damus purgantia ex Rheo & simul magnam mellis copiam.

§. 593. Quomodo Febris mortem faciat, dixi, quænam mutationes Physicæ huic corpori accidant, antequam ultima mutatio mors accidat, quoque enarravi, nec cognosco alios modos, per quos Febris in mortem tendit nisi hoc, ago enim hic solum de morte producenda per Febrim. Quomodo Febris alium morbum à se diversum creët? hic rursus est magna circumspectione opus.

Dum lædit. Nam omnis nimia Febris agitatio, reddit omnes Febres longiores, omnis fibræ elongatio cæteris partibus facit fibram accedere ad dissolutionem, fibra vero, qua parte dissoluta est, non est elastica, nam chorda discissa non trahit se in mutuos amplexus ubi divisa erit, sic elongatio membranarum, fibrarum & vasculorum minimorum se disponere inci-

incipit, ut amittat elasticitatem, si Febris hoc faciat, oritur per hanc Febrim jam sanatam omnis morbus, qui ex ipsa laxitate oritur, nempe omnes Febres Quartanæ, omnes Febres Phthisicæ, omnes Tertianæ, si protrahantur diutius, si violentissimæ sint in accessu, corpus disponunt ad Hydropem, tument pedes & viscera Abdominalia, & vix est casus, qui excipitur, ergo Febris exhausto succo vasorum consolidat, firmat, de hac hic non ago, sed post nimiam agitationem vasa læduntur, ut destruantur, & quidem ut hinc sequantur morbi, qui à continuitate læsa oriuntur, vide Caput *de Vulneribus*. Sic Febris quoque rumpit minimas arteriolas ut in pulmonibus, à quibus vidi homines illico mortuos, ut sanguis Asperam arteriam &c. oppleret, videmus rupturam vasorum in renibus, in intestinis, unde Dysenteria & Hæmorrhagia narium, quæ in Febribus sæpe ad mortem contingunt, ergo Febris, qua Febris, vasa lædere potest, ut destruat, & sic producit morbos, qui à continuitate læsa & liquidis effusis producuntur.

Vasa. Quatenus diametri vasorum augentur, hinc humor turbatur per errorem loci, tum pars crassior derivatur in dilatatos canales minimos, & facit omne morborum genus, à Febribus distinctum, v. g. nimis violenta agitatio pellit sanguineam partem in vasa serosa, ut postea tota facies ruberrima sit, cum scilicet, vasa serifera sic facta sunt sanguifera? ergo omne morborum genus fit à Febribus, hæc fiunt à Febribus licet non tendant in mortem, hinc possunt liquidiora dissipari, & reliqua inspissari, ut restet *Cacochymia*, quæ est *degeneratio humorum à naturali indole, ut functiones læ-*

dat, quid est evidentius, quin ibi humidissima dissipentur per vim Febris & crassa relinquantur, licet non eat in mortem, tamen in alium morbum, *Hippocrates* dicit in Febribus excutitur id, quod mobile, facile superabile & spirituosum est, hinc aquosum, mite & spirituosum diffiatur, manet minus solubile, oleosum & terrestre, & hæc tria si coquantur in piceam materiam, manent in corpore, tum corpus laborat alio morbo à coagulo, dicis, cur tum non mors sequatur, sed inter hanc extremitatem & mortem sunt infiniti gradus, ergo hinc infiniti morbi, quia humorum Cacochymia fieri poterit.

Nimis debili &c. Quando Febris nimis impar est resolvendo. Febris est motus in corpore, ut projiciatur sanguis velocior per pulmones, arterias & per totum corpus, ut hac ratione omnes mutationes producat, quæ ex velocitate projectili aucta sequi possunt, sæpe vero vita est tam debilis, ut Febrim facere non possit, quæ oritur à causa materiali dissolvenda per Febrim, si nunc Febris non sit tam efficax, materia Febris abest, & causa remanet, de his recens Medicina nil habet, Venæ Sectio resolvit quidem eatenus, quatenus impetum minuit, & vasa laxat, occasionem diluendi dat, & eatenus solvit, sed per se non, si nunc coagulum excitet Febrim, & Febris sit tam parva, ut non moveat coagulum, omnia stagnant, & oritur species mortis, quæ vocatur maligna, & species morborum Chronicorum; ponite oriri spissitudinem mucosam in serosa sanguinis parte & ponite hanc materiam deponi ad cerebelli corticem, incipiet ille homo laborare Febri seu Catarrho vel Rheumatismo febrili, & hæc Febris vix

vix apparebit: si vero mittatur Sanguis & dentur diluentia, Febris assurget, & coagulum dissolvetur, si vero Febris non assurgat, æger Lethargicus moritur vel gravitatem capitis habet, memoria & judicio carens, sicut nunc hoc hic pono, idem in Febribus Inflammatoriis verum est, si nunc diathesis inflammatoria sanguinis obsideat corticem cerebri & cerebelli, tota Febris desinet, spiritus non refluunt, manet diathesis inflammatoria, & æger moritur sine Febre comatosus, aut si non tendat in mortem, pars obsessa erit, & orietur labefactatio illius functionis, quæ inde pendebat, requiritur tamen à Medico, ut mittat Sanguinem, sed si à Sanguinis Missione non decrescat, non resolvetur, ergo æque magnus motus, quam parvus nocet, sed producit tres morbos per metastasin seu transmigrationem materiæ de loco in locum,

Materiam Criticam. Hoc est tempore, quo magna judicia fiunt, si illo tempore moveatur materia, & auferatur in vasa, ubi major angustatio occupabit hæc, tum prior morbus erit ablatus, sed sequetur novus, notante *Hippocrate.* Angina cum Febre movens materiam & per venas deducens in pulmonem facit Peripneumoniam lethalem, si vero non lethalis facit ulcera pulmonum seu Phthisin &c. vel si hæc materia tendat in Scirrhum facit tubercula in pulmonibus per metastasin, ergo materia critica ferri potest primo in vasa obstructa, si nunc unus locus plus obstructus sit; ibi materia plus hæret, pone corpus esse laxum, habere vasa æquabiliter laxa, pone tum caput illud frigori exponi, tum statim materia ibi sistitur, sic sæpe contingit, si ægri laborent morbo acuto, & leniant

niant ſitim potu frigido, in Icterum incident, quoniam hepar ventriculo incumbens conſtringitur, tum quidem vaſa maxima aperta manent, in quibus bilis intrat, vel oriuntur alii morbi, nam inde ſiſtitur ſanguis, imo exinde infinita deduci poſſunt.

Vel fertur in vaſa dilatata. Noſtrum corpus eſt ſic conſtructum, ut quot diverſa liquida, tot in diverſa vaſa vehantur, ſanguis non venit in vaſa Serifera, nec ſerum in Lymphatica, nec lympha in vaſa quarti generis, & ſi liquidum, quod eſt in vaſis uno gradu craſſioribus, non veniat in vaſa uno gradu ſubtiliora, non fit morbus, ſed ſi in morbo adeo dilatentur vaſa, ut accipiant liquidum peregrinum, tum orietur novus morbus per quæcunque loca.

Rupta. Infinita ſunt exempla, ubi vaſa Sanguinea primi generis rumpuntur in naribus, unde materia critica deponitur, & venæ manent ita apertæ, ut nunquam claudentur, ita multi ægri Hæmorrhagia Acuta laborarunt, ſed hoc de arteriis craſſis verum eſt, & quod ſæpe in vaſis Pulmonalibus, Inteſtinalibus, Uterinis & Ventriculi fiet, unde certe morbi principes oriuntur.

Maculæ rubræ. Sunt collectiones humorum craſſorum in glandulis ſubcutaneis, ubi hæ in corpore febrili apparent ut effectus, ibi ſanguis eſt ingreſſus in loca aliena.

Puſtulæ. Uti maculæ rubræ in acutis, ſic etiam puſtulæ fiunt, ſunt parva Eryſipelata vel parvæ Phlegmones.

Eryſipelata, quæ ſunt obſtructiones in vaſis ſub Epidermide & eſt quaſi pannus ruber per corpus, explicui in capite de *Inflammatione*.

Morbillorum varia genera ſunt periculoſa & minus

minus periculosa, sunt autem Morbilli proprie talis morbus, ubi æger valde febricitat, nulla alia re in initio apparente, sed secundo, tertio, quarto vel quinto vel sexto die prærumpunt sub Epidermide maculæ lividæ vel nigræ, quæ dein desquammantur.

Variolæ. sunt Phlegmones parvæ sub cute, & in veras Phlegmones vel Abscessus abeuntes, oriuntur à Febre præcedenti determinante materiam in vasa minima, si vero ista vasa jam dilatata sunt, illud venenum abit, hoc fit in hominibus, qui Variolis & Peste laborarunt, ibi id, quod acceptum rursus absque noxa dimittit extrorsum, sed qui Variolas vel Pestem non habuerunt, ibi quia non satis dilatata sunt, venenum hæret.

Bubones. Ut in Peste, quia tunc fit curatio per metastasin & deponitur materies morbifica ad hunc locum, vide *Diemerbroekium* & descriptionem Pestis Massiliensis.

Parotides fiunt ex materia febrili violentissime mota in partem & hæ sunt præsentes in Febribus, ubi omnes hæ apparent, ibi semper est aliquid Pestilentiale, nam in Peste nulli homines, nisi per Parotides vel Anthraces vel Bubones sanantur, sed illæ Febres, quæ hæc in interiora deponunt, sunt molestissimæ, sic Pleuritis est obstructio orta in loco, ubi nullus est exitus, si enim hæc oriretur in dorso manus, fieret Suppuratio sine ullo periculo, sed si in Pleuritide suppuratio fiat, facit Empyema & Phthisin &c.

Abscessus; significat semper Suppurationem vel secretionem vel aggregationem materiæ morbificæ ex toto systemate segregatæ in hunc vel illum locum, si hic fiat Suppuratio, tum

fit saltem una species Abscessus, sed hæc plerumque curatur per Suppurationem, hinc abscessus postea à Chirurgis pro Suppuratione habetur.

Scirrhi fere semper fiunt à Febre præcedente, nisi causa externa sit, quæ deponit materiam in folliculis, scitis, quod omnis folliculus sit membrana duplex, inter duplicaturam sunt vasa, quæ in cavum ampullæ transsudant liquidum collectum, quod tum in locum destinatum exit, si nunc illa vasa in membrana ampullæ ita sint dilatata, ut non humores tenues sed crassos effundant in cavum ampullæ, tum hoc liquidum ibi hæret, & fit obstructio extra vasa, extra venas, & extra arterias, id est, in vasis extra circulationem positis, hinc vix resolvitur Obstructio, omnia durescunt, exsiccantur & nunquam emolliuntur, quia materia extra vasa vitalia hæret, hinc à Febribus mulieres Scirrhos in mammis accipiunt, nam ex centum mulieribus lactantibus nonaginta novem laborant Febre, quia materia stagnat ad uterum, unde tot mala videtis diversa à Febre oriri.

Cachexia est *degeneratio corporis à statu Solidorum & Fluidorum ad vitam requisitorum in talem indolem, ut functiones destruantur seu lædantur*, quæ est nutrito, si nunc destruantur Solida & Fluida, Cachexia oriri potest, ut Febris effectus, quando nempe Febris nimis fortiter agit.

Gangræna fit, si tota moles nimis agitetur. Omnis Febris fit vel à nimis parva vel à nimis magna agitatione, vel à tali mutatione vasorum, unde humores perturbati mutantur, hinc si Medicus extinguat Febrim, antequam oporteat,

teat, tum illud coagulum derivatur ad quædam viscera, unde tot mala & languores oriuntur, & hoc fit ut plurimum, quando inopportune subministratur Cortex Peruvianus, hinc Medicus debet considerare, an illa sit tollenda necne, nam si illud coagulum deponatur ad hepar, inde fit Icterus.

§. 594. Quomodo Febris sanatur? multa experimenta institui, ut discerem, & viderem, quomodo sanatio fieret, putabam primo omnes Febres sanari posse, sed vidi ægros æque sanatos, qui nullum medicamentum acceperunt, quam qui medicamentum assumpserunt, hinc medicamenta non sanant Febrim, sed natura, inde vidi, quot modis homo à Febribus liberaretur, & quo usque hactenus perspexi vidi ad duo posse referri.

Insanitatem. Sanitas vocatur *perfecta facultas excolendarum omnium functionum sine dolore, sine molestia, cum levamine & specie oblectamenti & constantiæ*; si Febris in sanitatem eat, significat, quod functiones in Febre læsæ iterum fiant integræ post Febrim ablatam, ergo debet nil plus vel minus esse quam ante, pono nunc, quod homo perfecte sanus sit, & quod nullum morbum medium pati debeat.

Expellit. Hæc est prima methodus, qua natura utitur, si Obstructio fit in corpore, oritur Febris, hæc solvit obstructionem, materiam obstructam adeo tenuem reddendo, ut sine ullo sensu ex corpore perspiret, hæc sanatio vocatur Diaphoretica, hinc à *Paracelso* & *Helmontio* discimus, dicit enim *Paracelsus*, qui Febrim sanat, ut effectus sit sensibilis, facit morbum, sive sit per Vomitum, sive per Diuresin, sive per sedes, &c. sed dicit, materia Febris tam tenuis

nuis eſt reddenda, ut ſine ſenſu vel læſione totum corpus liberet ſcilicet per perſpirationem.

Materialem. Febris dicitur materiam habere, quoniam in cauſa eſt vel Plethora vel Cacochymia, hæc rurſus eſt vel ſeroſa vel viſcoſa, vel inflammatoria, ichoroſa vel purulenta, vel in corpore aliquid cancroſum hæret, vel in inteſtino eſt aliquid infectum, & hæ ſunt cauſæ pro catarcticæ.

Hunc impetum ſopit. Si Febris ſopiat materiam, erit major agitatio, hæc ſiſtetur, ſi omnis ſanguis in omnes venas æqualiter deduci poſſit, quia omnes venæ ſunt latiores, ergo una cauſa tenax Febris naturalis tam ſubtiliter ſolvi debet, ut ſine ullo ſenſu vel functionis læſione eliminetur per ſolam corporis vim, ut ille motus omnia verſus ultima ſic reddat patentia, ut liber itus ſit in venas, quamdiu nunc diverſitas in parte manet, hæc duo facienda ſunt, hæc eſt vis reſolutionis ſine ullo morbo, ſine ulla metaſtaſi; hinc etiamſi cor nunc celerius movetur, attamen ſi poſſim expedire capillaria, tunc ſolvitur Febris, quia tunc ſanguis diſtributus per omnia illa vaſa, in venis quieſcit redux, Febre laborantis corpus ſit prius grave, caput hebes, appetitus deſtruitur, os ſit pituitoſum, urina ſpumoſa, artus delaſſati quaſi fuſtigati, ſi nunc abſtineant à nimio cibo, potum tenuem calentem aſſumat, motum moderatum adhibeat, brevi poſt ſe rurſus ſanus dicit, ſi tum hic decurſus examinetur, fuit Febris à lentore, quæ reſoluta eſt per dilutionem, ſi gravior ſit, non cedit his, & ſiunt pejora mala.

Secundus modus, qua Febris curatur eſt alium mor-

morbum parvum inducendo, & tum vocatur curatio per crisin; *Paracelsus* dicit, qui exspectat crisin, non intelligit artem, sed tunc nemo Medicorum intelligeret artem, sed gaudemus, ut sub labore criseos possimus liberare ægrum à tormentis è longinquo. Accidit aliquando, ut materia lenta sic hæreat in vasis, ut magnam excitet Febrim, sæpe tunc possit transire ex arteriis in venas; sed hæc materia tam peregrina est, ut irritando reliqua vasa suscitet & ad locum aliquem deponatur vel ejiciatur, sic per crisin solvitur vel per urinam crassam hypostaticam, aliquando per sudorem, ut plurimum levi sudore judicatur Ephemera, Intermittens in Paroxysmo, Continua vero in fine. Hic sudor distinguendus est à sudore symptomatico & viscido lethali, aliquando per salivam, Diarrhæam, irritatis fibrillis per vomitum. Materia Febris erat, quæ faciebat stimulum, hæc excitat novum morbum, quia non tam subtilis est, ut per omnia vasa eat, tum vasa per stimulum liberant corpus, hinc Vomitus, Diarrhæa &c. hæc secunda sanatio est tam perfecta ut prior, sed est sanatio per Abscessum, at antequam materia ex loco veteri eat, oritur novus morbus, si hæc post coctionem & statum morbi fiant, fere intra quatuordecim dies sanatur morbus, tamen non omnes Febres per crisin intra quatuordecim dies sanantur.

Notem. Quia pars non perfecte sana non potest æque bene circulare ac cæteræ, hinc fiet stimulus, qui vocatur crisis Febris, quæ post coctionem oritur, hoc est post obstaculi illius eo usque factam resolutionem, ut possit utcunque circulare cum cæteris, unde cum hæc materies se applicat ad omnia vasa, quando acce-

dit ad vasa sibi idonea, per ea exibit, & e corpore secernetur, hoc est nobile observatum *Hippocratis*.

Sudor est bonus 1. Quando materia acris volatilis ut in Peste & omnibus morbis Pestilentialibus. 2. Post peractam coctionem non ante, quia Febrim insigniter augent, nam non datur ullum Diaphoreticum, quod in paulo majori dosi assumptum, Febrem non faciat, quamdiu ergo est Febris ἐπακμὴ augetur Diaphoresis, non parcatur humor blandus in sanguine, qui Diaphoresi expellitur, monente *Sydenhamo*.

Saliva. Præsertim in morbis Acutis, ut in omnibus Variolis & morbis Aphtosis, quam plurima enim exstant exempla, quæ pessime sese habuerunt, cum expuere non poterant, non loquor de salivatione Mercuriali sed naturali.

Vomitus. Quo stimulo materia ex intestinis in ventriculum se exonerat, ergo patet, quod per vomitum tota massa sanguinis à fæcibus liberetur.

Diarrhœa. Quando nempe in Duodenum ex hepate venit, unde sit Diarrhœa Critica; idem dici debet de Diarrhœa; per quam non tantum ventriculus sed omnes, qui conficiundæ bili, pancreati & chylo inserviunt, humores repurgantur.

Urina. est vero cloaca seu sentina, per quam sanguis depuratur, estque ejus verum lixivium; hinc in Febribus Criticis vulgaribus fere decimo quarto die habetur hæc dispositio vel Pleuritide, Peripneumonia, &c. vulgaribus septem diebus ascendit, descendit, septem, decimo quarto habetur Crisis. Jam sequitur tertia methodus.

§. 595. *Materies male* scilicet, quæ primo Febrim

brim fecerat, ita ut perfecte assimulata sit humoribus sanis, quis est qui Febre optima Ephemera per duas vel tres horas laboraverit, qui bibit Coffe vel simile quid, & qui post duas vel tres horas non levamen senserit, quin capitis dolor abierit, quin lumborum dolor cessaverit, & quin humores æqualiter circularint? hæc Febris humores ita resolvit, ut iterum sani fuerint; hæc resolutio vocatur assimilans, nam materia peregrina per Febrim ita subigitur, ut fiat cum sanguine homogenea; hinc omnes naturæ viæ ad hæc tria reduci possunt, ergo est triplex methodus 1. per Diaphoresin, id est, resolutionem stimuli, quam voluit *Sanctorius*. 2. Per Criticam dispositionem, id est, per resolutionem materiei. 3. Per assimilationem cocti, id est, per mutationem materiæ morbosæ in bonum, quæ materies etsi fluere fuisset potens, subactione tamen adhuc indigebat, ut assimilaretur. Hæc omnia ab ipso *Hippocrate* sed sparsim sunt observata, unde patet, quod natura aliquando per corporis Diaphoresin, aliquando per Pepasmum curat.

§. 596. *Genius* vocatur singularis natura, qua illa Febris à statu sano sensibiliter se distinguit, ergo à statu sano per omnia Phænomena percurrendum est, & quo Febris plus divergit à sanitate, eo est periculosior & eo minus facilis resolutio. Canon hic non fallit, si Medicus non turbet naturam, v. g. vocor ad ægrum prima hora, qua Febri laborat, cogita, hæc Febris potest esse lethalis, unde hoc scio, si omnia insueta fiant præter naturam & præter sanitatem Febris erit lethalis, sed si parum à sanitate & lento gradu decedit, diu durabit, & non erit periculosa, 2. si videam Febrim intra

duos dies adeo violentam, ut omnes functiones læsæ sint, tertio die erit mors, si in Febre Ardente hunc tertium diem effugerit, protrahitur morbus, si hic protrahatur, scio Febrim tertio die stare & decimo quarto sanatum iri; omnes vulgares homines suspirant ad nonum diem ex eo præjudicio, quod eam attingentes sanati erunt, idque fit eo fundamento, quia nonus dies est Decretorius in Acutis & tum tantum descendit morbus quantum ascendit. *Hippocrates* dicit, omnes Febres, exceptis Variolis & Anomalis continuæ putridæ Synochi quot dies in ascensu tot in descensu impendunt, primo die violentissime mutantur, secundus dies est pejor, jam metus est, ne mutetur cras, si cras non sit pejor, stat morbus, nil mutat, erit perfecte quarto die ut secundo; & quinto die ut primo, & sexto ut tertio die erit sanus vel occisus; Febris ascendit per septem dies quotidie gravior, stat octavo die, hinc si ille æger illud ferre non possit, ante nonum diem moritur, si hunc supervixerit, tum Febris nono die erit ut septimo, decimo die ut sexto, undecimo die ut quinto, & decimo quarto die ut primo; & post decimum quartum diem sanus erit æger, hoc fit quando morbi non turbantur, si vero subduxeris sanguinem, & purgaveris, non adscendit ad decimum quartum diem, sed vacillabit, & morbus erit penitus anomalus & irregularis. Si æger primo die fuerit lassatus & quasi fustigatus, secundo vomens, tertio & quarto anxius, quinto delirans (pono nulla adhibita esse externe vel interne turbantia) descensus iisdem diebus se eodem modo habebit, si Febris ascendat ultra dimidium diei, non erit Ephemera, si tantum per duodecim horas adscendat, termi-

minata erit. Febris cognoscitur esse præsens, ubi pulsus est frequentior, & talis aliquamdiu manet, tum vocatur Febris. Febris Intermittens cognoscitur futura, si cito adscendat, stet, desinat, & corpus post finem non sanum relinquat, prævidetur tum altera Febris. Febris Continua cognoscitur futura, quando cito adscendens cito desinens corpus perfecte liberum relinquit, sed si Febris lente adscendat, lente stet & declinet, est lenta. Medicus facile curabit Febrim, si non turbet naturam, quæ tantum tunc est adjuvanda, nisi sciat has Febres esse Epidemicas, nam v. g. si sciam Pleuritides nunc esse Epidemicas, statim atque videbo hominem iisdem symptomatibus corripi ac alii, primo die mittam Sanguinem, quia scio naturam solam, si sibi relinquatur, tunc creaturam Suppurationem, quam evitare oportet.

§. 597. In his differt summopere bonus Medicus ab Empyrico (ut ante dixi) non artis est Febrim tollere, sed opportune eam conservare, si non minitetur magnum periculum, non tollo, sed adero secundo die ut observem omnes mutationes, hinc dantur quædam medicamenta, quæ non turbant, ut oculi Cancri, aqua Hordei, & similia quæ Febri tollendæ non satis fortia sunt, nec non turbantia, si tam magna sit Febris, ut ferri non possit ad octavum diem, inquiro causam, si calor sit maximus, mitto Sanguinem, do Nitrosa refrigerantia, sed Sanguis non est mittendus nimia copia, ne quid hærens maneat futurum postea causa mali Chronici, si vero Febris sit minor, præscribenda sunt lenia talia Diluentia, Emulsiones, Syrupi diluti, Julapia, nec Medicus interea parum sollicitus sit de exitu morbi, sed semper sit attentus; si

morbus à die octavo decrescit, tum decimo quarto die habebitur crisis. Si motus naturæ sit nimis languidus, tum do Cardiaca, quæ omnia Febrim faciunt, ut vinum Cardiacum optimum, & omnia aromata, si motus hic nimius excitetur, paululum minuendus est. Natura Febris noscitur 1. per stimula & obstacula nata. 2. Per causas Proægumenas, 3. per causas Procatarcticas, 4 per Epidemiam peculiarem. An febris cito desinat, patet ex idea cito adscendentis, & desinentis, tum non erit diu, si functiones vitales non lædat, ut Cor, Pulmones, Cerebrum, & Cerebellum, si vero hæ functiones sint læsæ, tum est Febris valde periculosa; hæc vero est de gradibus.

§. 598. Legi supra hanc rem plurimos auctores, & nullum inveni, qui diceret, hæc est causa quare hanc curam instituam, exceptis duobus magnis viris *Hippocrate* & *Sydenhamo*, præter hos nullum excipio. Cum ad studia me applicui, primo legi juxta Chronologiam annorum omnes quotquot exstabant auctores, in Medicina notos, qui pauci sunt, tum perveni ad descriptores, qui exstant plurimi, & puto hoc fuisse maximum in studiis meis, unde emolumentum percepi.

Generalis. Hic dabo generalem curationem omnium Febrium, id est, quod commune est in omnibus Febribus solum & individuum hic pertractabimus, non autem hic est curæ Tertianæ, Quartanæ, Quotidianæ Febris &c. nam generalem ejus curam dare est impossibile, quia in illis sunt superaccidentia, sine quibus Febris esse possit, horum classes singulatim pertractandæ sunt, sed quatenus habet id, quod commune est omni Febri, poterit curari sequenti methodo, ergo

ergo cura generalis non curabit omnes Febres sed tantum id, quod commune est in omni Febri jam explicatum, sic si Febres fuerint Intermittentes legitimæ à solo stimulo ortæ, Cortex Peruvianus ad unciam unam datus intra spatium, quod intercurrit inter Febrim & Febrim citissime eos sanat auferendo illam celeriorem cordis contractionem; hinc impossibile est tradere generalem methodum curandi, sed tantum illud, quod omnibus Febribus est commune, quod ex *Hippocrate* ad quatuor canones reduxi, quorum applicatione optime curantur Febres.

1. His prospiciendum est, antequam morbus sit finitus, ne moriatur æger. *Hippocrates* dicit, non modo conservanda est vita, sed omne, quod ad integram sanitatem requiritur, vires consulere consistit in bonitate humorum & solidorum, & in motu temperato. Si duo homines laborant Febricula, unus animam vix ducere potest, ita ejus pulmo opprimatur, alter libere respirat, jam patet, quod plus virium sit in illo, qui non suffocationis metus incurrit, omnes reliquæ functiones, quæ in sanitate perfecta aderant, erant sanæ, ergo hoc est certissimum; quod in omni Febre facere debeamus, ut vita & vires vitæ perennent, nec aboliantur, omnis ergo Medicus, qui Febrim curet, cogitare debet, hic est vita & adhuc superest functio, hinc mihi est incumbendum, ne periclitentur & minores fiant.

2. *Acre stimulans.* Nam non habeo aliud vocabulum, per hoc intelligo omne illud, unde Febris oritur, tanquam causa motus violentioris, ille stimulus est auferendus, id est, quæcunque causa irritans illiminanda vel corrigenda est, hinc si quis à stimulo Crapulari Febre laboret,

ret, ſtimulus ille aufertur per largiorem potum aquæ tepidæ paucæ vino miſtæ vel infuſum Thee vel Coffe, ſi homo valde moveat corpus, habet Febrim, ſi aſſumpſerit ſalem acrem Alcalinum, idem accidit; nunc hæc omnia ſub uno vocabulo comprehendere volumus, nempe ſtimulans acre vel qualecunque fuerit, quod Febrim facit, excitat talem motum, hoc iners eſt reddendum vel è corpore educendum v. g. aliquis bibit nimium vini, ſi dem aquam tepidam, ut vinum diluat, æger erit ſanus & acre ablatum, corrigendo & diluendo, ſed omne irritans habebit ſuum oppoſitum, eſt in rerum natura cauſa, quæ facit Febrim Peſtilentialem, uti eſt, quæ æquivalet illi cauſæ, & quaſi apponitur, facit, ut non fiat Peſtis, & cauſa, quæ facit Varioloſum Contagium, ſed habet ſuum oppoſitum, quod hoc verum ſit, exinde patet, quia omnes Variolæ ſponte deſinunt, omnis Peſtis ſponte deſinit, unde fit, ut boves ante annum demortui ſunt, jam vero non moriantur amplius, eſt cauſa, quæ hoc ſuperavit, ſi hunc ſtimulum non ignoraremus, hanc cauſam tollere poſſemus. v. g. Si quis hauſerit vaporem accenſi Sulphuris, inde ejus pulmones contracti Aſthma producunt, fit Peripneumonia & morietur æger, ſed ſi deter illi ægro Spiritus Alcalinus Urinoſus, vel Spiritus Salis Ammoniaci, tum hoc medicamentum facit, ut illud acidum non ſit acidum, ſed convertet in Tartarum Vitriolatum, illud Alcali hic correxit id, quod fecit Febrim & Peripneumoniam, ergo omnis Medicus, qui vocatur ad curandum ægrum Febre laborantem & de vitæ functionibus conſervandis cogitet, 2. illi eſt inquirendum, ut inveniat cauſam irritantem, quam

quam expellere vel per suum Antidotum curare debet, & felix erit Medicus, qui multa talia Antidota novit, hæc res est tam clara, ut nil evidentius, si homo hauserit dragmam unam Mercurii Sublimati Corrosivi, ille morietur, nam habebit partem gangrænosam intra pauca momenta, Convulsiones, Vomitus & Dysenteriam, sed quando causa, hoc faciens, est acidum Salis Marini hærens ad glebam metallicam Mercurialem, hoc Mercuriale additum acido Salis Marini facit, ut nil resistere possit nisi dragma una olei Tartari, nam scio unciam unam olei Tartari posse destruere uncias duas spiritus Salis Marini, si ergo diluatur hoc oleum in aqua & detur potandum, tum spiritus acidus Salis Marini fit Sal Marinus & Argentum Vivum erit Præcipitatum iners, hacque ratione stimulus erit exemptus, si nunc quis hauserit Arsenicum, delabitur in Febrim, quæ nullo modo exstingui potest, non enim scio, quod ullus Medicus Chemicus manifestaverit Antidotum contra hoc exquisitum venenum, ut in Mercurio Sublimato, hinc tantum noscimus oleum & aquam, quibus expellimus & delinimus, sed non habemus venenum oppositum, & qui hoc cognoscerent, essent summi Medici, nam illi perverterent omnia mala.

3. Per lentorem non intelligo, ut sæpe monui, viscositatem vel tenacitatem quandam sanguinis, sed tantum omne obstaculum, quod liberam circulationem impedire potest, hoc uno vocabulo omnes causas qualescunque, quæ faciunt ut resistentia sit ad vasa Capillaria, ne æqualiter transmittantur humores, voco lentorem, imo lentor potest esse sanguis æque fluidus imo fluidior ac antea, modo ille in vasa aliena intret, hinc

hinc talem ſanguinem fluidiorem lentorem, nomino, nam magis generale non cognoſco, ſi vitam ſervem, ſtimulantem cauſam compeſco, lentorem diſſolvo, & Febrim ſiſto, ſed Febris eſt conditio actuoſa, hinc Febris mutavit corpus per mutationes, quæ vocantur Symptomata, ſi Febris tollitur Cortice Peruviano, in hoc caſu aufertur quidem ſtimulus, ut cauſa Febris, non ejus effectus, v. g. homo Febre viginti quatuor horas laboravit, ponite rubram ſanguinis partem iviſſe in cerebri corticem & ægrum delirare, ponite nunc Febrim eſſe ſublatam, manebit tamen æger delirans, licet Febris fuerit ſublata, remanſit tamen Febris effectus, quotidie tamen oritur neceſſitas, ut Medico Febris ſit tollenda; hæc ſunt omnia, quæ in Praxi Medicâ concipere potui, ubi vocamur ad conſilium febrile, cogitate nunc quod omne, quod Febre laboranti facere poſſim, ſit, quod 1. coner ſuſtinere vitam, 2. cauſam auferre, vel ut cauſam attenuando mobiliorem reddam, vel ut effectum Febris tollam; hæc res eſt maximi momenti, nam ſi in primo conſilio hoc fiat, bene dirigitur morbus, ſi Medicus ſit felix, ſi vero non, tamen ſucceſſus animadvertitur; v. g. vocaris ad hominem, qui Hæmoptoe prægreſſa laboravit, tum invenis hunc ægrum Febri laborare hora, qua chylus fertur ad ſanguinem, antequam hæc Febris tollatur, primo Medico eſt videndum, qualis victus, cibus vel potus ſit, qualis ſomnus, vigiliæ, excreta, retenta, & animi pathemata, ſi inde inveniatur effectus Febris, tum alia vita illi ægro eſt præſcribenda.

4. Video Febrim fieri ab obſtaculo & matutino tempore deeſſe, an hæc Febris à ſtimulo? certe

certe ab utroque, omne Heteroclitum facit Febrim, vinum non assuetum facit Febrim, homo, qui nunquam carnem comedit, accipiet Febrim, si ille carnem edat, homo, qui ex aëre humidissimo in siccissimum v. g. Italiam defertur, accipiet Febrim, & illud, quod hic facit stimulum, est pus, quod sanguini communicatur. Quis nunc est Febris effectus? despumare hoc pus in sanguinem receptum, si velis Febrim tollere, tibi corrigenda est fomes irritans, nam si Febris irritans tollatur non ablato acri, tum Febris, quatenus movet, nunquam tolli potest, sed stimulus relinquitur, qui postea ægrum suffocat; testantur hoc quotidiana exempla eorum, qui per Corticem Peruvianum Febrim tollunt; simulac ille homo novum chylum in venas accipit, tum ille chylus transire non potens per pulmonem fractum & intortum accumulatur, qui vasa extendens facit novam quasi vomicam, hinc in pulmonibus excitatur Febris proposito naturæ, si tum Febris tollatur, suffocatur æger, sed dentur levia, quæ facile per pulmonem transire possunt, ut est v. g. lac cum duabus vel tribus partibus aquæ cum sapone, saccharo, vel melle, si æger tale quid assumat, omni semi-hora Febricula aderit, sed tum illa Febris depopulata erit; hinc effecta sunt prævenienda, & symptomata mitiganda. Medici, qui frequentioribus Practicis uno die sæpe viginti vel triginta ægros vident, debent secum habere quoddam memoriale, quoad causam & prognosin, si videam hominem subito incidere in Febrim violentissimam, antequam morbus finietur, forte materia deposita erit ad cerebrum, tum æger incipiet delirare & soporosus fieri, & quia illa dispositio est periculosa,

culosa, curabo solum id symptoma, relicto altero morbo.

§. 599. Vires vocantur omne illud Physicum, quod erat in homine ante Febrim, & quod adhuc est in Febre sanitas, id est, omnes causæ in ægro superstites ex sanitate ut v. g. sanguis bonus, bilis bona, succus Pancreaticus bonus &c. hæc bona conservari debent. Vita conservatur, si vasa & liquida conserventur, hoc fit curando 1. ut sufficiens liquidi copia pro viribus venis recipiatur. 2. Ut tam facile fluat, quantum requiritur ad vitam, 3. ut cor habeat vim requisitam recepta pellendi ad partes conservandas. Hinc veteres commendaverunt Cardiaca, sed male dicta, nam Cardia significat orificium superius ventriculi, sed Barbare obtinuit horum usus, Latinis tanquam Cordialia, sed Græci magis Cardiaca dixerunt, quia vires cordis augent, ergo vires arteriarum, & his augetur circulatio; hinc Cardiaca Medicina seu Cordialis est, quæ vitæ vires sustinet, & quia cor est causa princeps motuum, hinc ejus vires sunt restituendæ. Cardiaca sunt duplicia, vel supplentia humores bonos, vel moventia stimulo humores inertes. Primum Cardiacum est cibus & potus, sed illi cibi & potus quales dixi in *Materia Medica* §. 28. No. 1. secundo debent esse talia, quæ possunt digeri in Ventriculo, Intestinis, Vasis Lacteis, Cryptis lumborum, Ductu Thoracico, Venis & Pulmonibus, ubi fit secunda digestio & quæ facile digeruntur in arteriis Capillaribus, nam ibi est tertia digestio; furibundo enim vinum propinare est eum occidere, Febri Ardenti spiritum vini exhibere idem est, si in animi Deliquium cadat æger, tum vires resuscitandi sunt iis, quæ supplent humori-

bus

bus & replent inanita; dandi ſunt cibi & potus, qui facile digeruntur & paucas fæces poſt ſe relinquunt, potus ordinarius ſit Hippocraticus ex Hordeo non decorticato, ergo in Acutiſſima Febre tantum hoc dabo, quia non Cremorem facit, ſi vero excorticetur, tum dabit majorem Cremorem, hinc potero illo uti, quando Febris erit minus intenſa, dari etiam poteſt ſemper lac cum quatuor partibus aquæ, hoc parum aceſcit, & non abibit in grumos caſeoſos, ſi autem hoc rite procedat, tum ſecundo die potero dare ſerum lactis aut lac dilutum tribus aut duabus partibus aquæ cum ſyrupo Violarum, ne caſeſcat. Tertio die dabo panem coctum cum ſucco Citri &c. vel aliquid ſimile cum ſucco Aurantiorum &c. quarto die ſi tempus ſit Ceraſorum vel Ribeſiorum, coquam ea in aqua & faciam Ptiſanam, ſi nunc ſumpſerit lac ebutyratum cum Pomis coctum vel ſerum lactis idem efficiet.

Putredini adverſis. Hoc eſt Alcaleſcentia ſalium & Ranceſcentia oleorum, contraria medicamenta danda ſunt in hiſce caſibus, nam in vi Febris eſt putredo, partim à ſtimulo, partim à remora. Omnis Febris Acuta in genere generabit humorem ſibi naturalem, id eſt, Alcalinum, & ejus effectus eſt corruptio humorum in putridam naturam vergens.

Siti contraria eſt aqua, & omne, quod conſervat, ne putreſcant humores & reſiſtit putredinis impetui, nam aliter ſitis fit ſemper major.

Appetitui. Ille cibus eſt eligendus, quem appetunt, nam raro videmus, quod febricitantes aliquid appetant, quod ipſis non proſit, appetunt enim aquoſa, acidula, horrent calida &

pin-

pinguia, sed amant, quæ placent Ventriculo, ago hic in genere de Febribus, nam Febris Hectica plus requirit succos acidos quam alia, sed inde sequitur Tussis, quæ temperanda est, sed quando simpliciter ago de Febribus, scio, quod ille cibus vel potus, quem æger appetit, sit solus idoneus, si vero alia symptomata adsint, tum generalia instituere oportet. Nauseæ & horroris causæ sæpe sunt Medici, porrigentes ægro diviti jus carnium, carnes assatas &c. sed contraria illi sunt danda, hinc semper in omni morbo, ubi humores sunt alcalescentes, putrescentes, detur serum lactis vel Hordei vel Avenæ decoctum, levissimum acidulum, & omne acidum non fermentatum cum magna copia aquæ, unde ægri feliciter sanantur.

Causa morbi. Si morbus sit ab acido, jura carnium prosunt, si ab Alcalina materia, jura carnium obsunt, hinc cum omnes Phthises oriantur pulmone corrupto, si utantur sero lactis optime valent, sed si morbus habeat sequentia symptomata, nempe tussiculam, ingentem sitim; maximum calorem, ingentem siccitatem, cibi aquosi nempe Hordeum cum aqua coctum ad spissitudinem lactis cum melle, vel lac defloratum & succi Pomorum Acidulorum vel Cerasorum egregii sunt, sed si frigiditas & appetitus ingens adsint, tum alcalescentia dari poterunt. Si homo sit macilentissimus, adhibenda sunt olea Lini, Amygdalarum Dulcium &c. si vero sit obesus, oleo scatet, huic dentur macilentissima, ut potus tenues, aciduli & nitrosi, abstineatur ab omni oleo, & sic de cæteris est judicandum. Quandoque per absurdissima remedia Febrim expulsam fuisse quam plurima habentur exempla v. g. multi ægri

gri eam profligarunt, assumpto Halece bene salito &c. Medicus vetat, nihilominus æger Medicum fallens comedit pro lubitu & sanatur. Basis liquidorum assumptorum in Febre sunt Aqua, Hydrogala, basis solidorum Farinacea, & reliqua facile digerenda, morbo contraria statim proposita.

§. 600. Si sitis & calor modum excesserit, cibi aquosi, subaciduli & refrigerantes sunt porrigendi, si magna humorum inspissatio comitetur Febrim, conducet cibus, qui humores iterum reddit fluidos & meabiles, ut est v. g. aqua parum decocta cum Hordeo, si æger laboret Febri v. g. Peripneumonia vel Pleuritide, dandi sunt cibi, qui obstaculum auferunt, *Hippocrates* hic tantummodo dabat aquam cum Hordeo crudo coctam, nil præterea, in Febribus Pestilentialibus Gelatinam Cornu Cervi, addito pauco acido, ut putredo avertatur, hæc Gelatina conducit in morbis non diu durantibus; in Febre summopere in putredinem vergente non reperitur sanguis inspissatus, sed penitus dissolutus, ut ab exhausto contagio venenata fieri solet, ut in Variolis & Morbillis, &c. in hisce casibus licet uti inspissantibus, ut spiritu Vitrioli vel oleo Vitrioli potui misto. Si sanguis vergat in putredinem non præscribenda est Gelatina Cornu Cervi, verum si in illud putridum non vergat, hæc Gelatina libere dari potest, sed hic notandum est, quod vinum in Febribus circa tempus Criseos datum, Crisin acceleret, & una hora totam Crisin sæpe expellit.

Quo abest. Hippocrates notavit in Libro de *Diæta Acutorum*, quod tempus Apurexiæ sit opportunum ad nutriendum, sed si non sit Apurexia, tum cibus est dandus eo tempore, quo mor-

morbus fit levior, hinc in morbis acutis, quo Febres semper adscendunt, detur Ptisana, sed postea detur Avena, si hora sexta æger habeat Paroxysmum, duas vel tres horas ante non dandi sunt cibi, sed tantum potus dilutus; si hæc observentur, raro peccatur; in Febre Intermittente detur potus pro dilutione non pro refectione, in Continuis tempore, quo Febres sunt mitissimæ, & æger minus febricitat; in Quotidianis nunquam ad tempus accedentis vesperæ, nam nox aggravat ægrum. Si detur victus in Febribus Continuis, quando Febris est minima, tum impediuntur Obstructiones, quæ oriuntur, si in Febris vigore victus præscriptus fuisset.

§. 601. *Parca.* Quin tum non obruitur sanguis peregrino corpore admixto, non suffocatur pulmo, ad cujus vasorum angustias primo appellet, hacque ratione ventriculus facile digerit, & se ipsum exonerat.

Repetita. Quantum scilicet requiritur ad vires sustinendas; hinc in Febribus Continuis Acutis omni hora cibus sed paucus est dandus, nam tot moriuntur ægri, quia cibus nimia quantitate una vice porrigitur, sic Ptisana *Hippocrates* ad unciam unam data omni hora facilius admittitur, quam si libra integra una vice detur. Falluntur Medici, qui credunt febricitantes nil comedere debere, didici enim nil esse, quod humores nostros plus exasperet, quam Febris, hinc si manserint tres dies nil dando ægris, tum eorum sanguinis sales & olea magis alcalescunt, ergo tantum in hac re est incumbendum, ut dentur cibi cum conditionibus præscriptis, non vero oleosa, quæ non facile digeruntur.

Viscera,

Viscera maxime laborant, si cruda & non facile meabilia in corpus ingerantur.

§. 602. Qua copia sit dandus cibus in febricitantibus, scire debemus ex diversis circumstantiis, nam ex regulis antea datis certissime scimus, quamdiu Febris sit duratura.

Vis est illa potestas augens stimulum circulationis, quem producet cibus acceptus, hinc stimulo vel tenacitate peccare potest; vis cibi est ergo duplex 1. tenacitas, qua repugnat facile dissolvi & superari, 2. vocatur effectus, qui facit, ut cibus in sanguinem receptus plus minusve sanguinem movebit. Vis ergo determinat cibi virtutes, sic aquosum enervat potius quam fulcit, quod autem est meracius, ut salsum Aromaticum, oleum acre magis irritat & stimulat, hinc vis proprie est motus, qui à ciborum non tam quantitate quam qualitate oritur.

1. *Dies. Hippocrates* monuit Febres Acutas durare ab uno die usque ad sexaginta dies, si prævideam, quod Febris tantum uno die sit duratura, tum nullum cibum do, sed solum potum tenuem. Scio, quod tantum unum diem duret, si intra duodecim horas habet suam ἀκμὴν, tum prævideo, quod post duodecim horas desinat, adeoque nil do, nec si Febris intra octo horas stet, nam si tum cibus detur, suffocatur æger; proinde ex Epidemicis patet, quibus modis morbi adscendunt, si Febris per quatuordecim dies duret, ægri non poterunt tamdiu jejunare, hinc nono die cibus est dandus, ut æger ad morbi exitum ferre possit, ergo nemo victum dabit, nisi qui sciat genium morbi, qui à præviso tempore durationis febrilis cognoscitur. Si scias, Febrim duraturam biduum, & tunc futuram crisin,

non opus est, ut multum de cibo sis sollicitus, per biduum enim facile feret inediam, & sic minimum fit periculum; si Febris per duodecim horas vel vehementissime currat, adscendat, & hora decima tertia stet, illa Febris non durabit ultra viginti quatuor horas, si vehementissime duret per tres dies, raro quartum attingit, prima & secunda die nil cibi darem, nisi Ptisanam *Hippocratis* cum syrupo Violarum, sed si judices Febrim per octo, decem vel quatuordecim duraturam, quod cognoscitur, si lenissime invadat & non intermittat, tum ægro cibus est dandus, ut per hos quatuordecim dies subsistere & omni hoc tempore valere contra vim morbi possit, Febris quæ sesqui die increscit, quarto die sanata est, si per tres ascendat, quarto die stat, & septimo sanabitur.

Quo brevior morbus. Si sciam, quod morbus sit duraturus per quatuordecim dies, primo die do cibum v. g. Ptisanam coctam, quæ Cremoris lactis spissitudinem refert, si secundo die morbus invalescat, do eandem Ptisanam sed morbo debiliorem, tertio die longe debiliorem, octavo die nil nisi tantum diluentia, nono die do ut septimo, decimo ut sexto, & decimoquarto die ut primo, hæc est regula Hippocratica memoriæ mandanda, ubi Febris per tres dies adscendit, primo die do aquam puram, cui Hordeum incoxi, & non permitto ut Ptisana vel Cremor detur, nolo enim accelerare sanguinis motum, nec obruere pulmones, secundo die nil do nisi aquam Hordei cum succo Limonum vel pauxillo syrupo Limonum, quinto die do levem cibum.

2. *Ex ætate.* Omne animal, quo origini propius, eo minus, fert abstinentiam, quia tam for-

fortiter increſcit, in ætate virili facilius inedia fertur ob copiam olei, tunc in corpore exiſtentis; homo ſenex non fert inediam, hinc non oportet ſtrictam diætam ſenibus aut infantibus præſcribere, aut corpus ab inedia ſuccumberet, ſed à decimo ſexto anno uſque ad quinquageſimum annum abſtinere poſſunt à cibis; ergo generalis regula febricitantibus hæc ſit, infantibus dabitur plus & ſæpius ita & ſenibus, media ætate licet plus detrahere.

3. Tantum ut habeat vires, quibus poſſit materiam morboſam expellere, hinc male agunt, qui febricitantibus omnia prohibent, omne vinum, omne aliud corroborans v. g. ſi quis Febre Æſtiva Ardente laboret, Sanguine miſſo, clyſmate injecto ut fieri debet, balneoque inſtituto, non abſtinebit à cibis aliter enim humores fierent acerrimi, ſed dentur cibi nutrientes, ut lac ebutyratum cum aqua Hordei, Ceraſis, ſi adſint Poma acido dulcia, non nocebunt; ergo generalis regula hæc eſt; quo fortior morbus, eo magis dilutus ſit cibus v. g. in Ephemera nil dabo, quod nutriet, quia facile per diem patitur inediam, ſi duratura ſit Febris per quatriduum, non dabo niſi tenuiſſimum cibum, ſi Febris adſcendat uſque ad ſeptimum diem, non prohibetur æger ab omni cibo, nec ſolum tenuem cibus aſſumet, ſed etiam ut nutriat, & materiam morboſam ſuperet aut expellat. Si quatuordecim dies duratura ſit Febris, ut Continua jam graſſante & prævideam die decimo quarto liberaturum iri ægrum, tum non abſtineat, ſed cibum ſumat paulo minus, tertio die iterum minus, ſitque cibus, quo Febris major, ſemper minor copia & tenuior natura: in ἀκμῇ victus debet eſſe tenuiſſimus, quæ magna

mutatio est pugna ultimæ naturæ & morbi, nam omnis homo labefactatur, postquam comedit, nemo tam alacris est post prandium quam ante; tum omnes sumus hebetes: hinc in ἀκμῆ dilutiora danda sunt, & quo magis ab ἀκμῆ distamus eo crassiora, si Febris decimo quarto die terminetur, si tum primo die dentur tenuissima, non continuare potest usque ad ἀκμὴν, si ergo primo die dentur tenuissima, ad ἀκμὴν deficit corpus, sed do primo die Ptisanam, octavo die spissiorem, quia sanitas morbo validior est, secundo die sanitas erit debilior, do ergo dilutiorem cibum, octavo die do tam dilutum ut aqua, nono die ut septimo, decimo ut sexto &c. non vero dandæ sunt carnes similiaque toto decursu morbi. A multis audivi Practicis, secundo die non opus est dari cibos, natura non indiget, inquiunt, sed eget maxime, ut acrimonia necessario humoribus concilianda superetur, quæ fiet à continuo illo motu & hæc temperari non potest nisi per blandum, recentem & renovatum chylum, non poterit æger hunc cibum ingerere octavo die, morbi enim vigor est maximus, ergo non potest dari tempore magis opportuno, quam ubi sanitas adhuc triumphat supra morbum, id est, primo die; ergo tunc non nocebit, hæc ingestio non fit in supplementum liquidi, sed ad demulcendam nimiam acrimoniam v. g. primo die est dandum decoctum Hordei satis crassum, secundo dilutius, sumendo majorem copiam aquæ minorem farinæ, tertio adhuc dilutius & sic porro, octavo die aqua Hordei levissima, descendendo paulo crassiorem, si quid autem dicant octavo die, nil est dandum, nam tunc temporis est humorum nostrorum transvectio

in

in alcalescentiam, hoc verum est, sed ferendum illud, si enim crassum & crudum chylum tunc temporis humoribus miscerem, ἀκμὴ supplebo, & totam œconomiam confligantem turbabo, hinc ex duobus malis unum eligendum, quod prævalet. Si Febris duratura sit per septem dies inde judico eam adscensuram ad quartum diem, & dein descensuram, quarto die est dandus cibus tenuissimus, quinto die idem ac tertio, sexto idem ac secundo, septimo ut primo.

4. *A loco.* Qui in gelidissimo solo inhabitant, non tam facile ferunt inediam, quam qui in locis Meridionalibus.

Facile. Inter duos Tropicos & Æquatorem vix nisi Horæis fructibus, aqua copiosissima, Oryza & Milio utuntur ægri.

Difficile. Hinc Medici, qui in calidissimis regionibus summa cum laude Praxin exercuerunt, venientes ad Boreales incolas pessime operantur, quia est Clima multo frigidius, idem si ex frigidissimo migrent in calidissimum locum, mirantur se spe ita frustrari, nam membra, quæ strictiora uti in Hyeme multum differunt à laxioribus uti Æstate, & omnes nostri humores assuescunt se ad illa, quæ sæpius reiterantur, nam illi homines, qui soliti sunt semel uno die edendo vitam sustentare, simulac venit illa hora esuriunt, dentesque pruriunt, similiter contingit iis bis de die edentibus. Hispanis & Italis abstinentia est gratissima, quia sani parum edunt, idque tenuius, ac in Suecia & Norwegia plus comeditur.

5. Tempestas anni facit præcise, quod facit diversitas climatum in diversis locis, sic in media Æstate nulla aromatica placebunt, verum aquosa: hoc est universale verum, non modo

in morbis, sed etiam in sanitate ut docemur in *Epistola Dioclis Caristii ad Antigonum Regem* maxime commendabili, Hyeme cibus sit durus & siccus, Æstate tenuissimus, & Autumno medius. Hæc medicina est simplicissima sed verissima, hinc diversitas est curæ Hyeme ac Æstate. Qui sub gelu febricitant, habent digestionem fortiorem, id, quod *Hippocrates* satis accurate observavit, quantum vasa sunt contractiora, & sic plus caloris naturalis faciunt, tum in eodem morbo meraciora dare debes, quam urgente Æstate dedisses. *Hippocrates* dicit ventres Hyeme natura calidissimos esse, scimus enim, quod Æstate corpora sint multo laxiora, Hyeme vero multo constrictiora, unde magis indigent & digestiones celerrime fiunt.

6 Hoc repugnat vulgari doctrinæ, ipse enim vulgus sic argumentatur; ille febricitat, in sanitate debacchatur edendo & bibendo, jam facile inediam ferre potest, abstinentia non erit ei molesta, quæ falsissima est argumentatio; nulli enim homines cæteris paribus difficilius ferunt retardationem prandii vel cœnæ, quam qui soliti sunt his temporibus sese maxime ingurgitare esculentis & potulentis, nulli facilius, quam qui parum edere sunt soliti, hic enim paucis in Febribus contenti vivunt, verum prioribus interdum concedimus vinum bibere, jura carnium comedere &c. sic legibus tamen præscriptis, sic novi hominem, qui omni vespera assuetus erat tantum vini bibere ad incipientem usque ebrietatem, tales homines si dormierint & mane surgant, omnia fere membra tremunt, & imparia sunt motibus muscularibus exercendis, ratio est quia vasa assueta huic plenitudini manere fere sunt vacua, hæc est causa tremoris,

nam

nam ad hunc discutiendum omni mane coacti sunt suas replere & inflare venas, ut iterum distendantur, si tremor abeat, membra suum perficiunt motum. Nunquam felices eritis in tractatione febricitantium, nisi hoc observetis, iis, qui frugaliter vivere soliti sunt, danda sunt paucissima, dum febricitant ut etiam levissima, offenduntur, si paulo meraciora assumant, at iis, qui helluones Bacchanalia instituunt, aqua non contenti sunt; vidi id nuper in Prætore pagi vicini, qui inciderat in morbum violentum, aberat Medicus ordinarius noscens hominis vitam, ordinarius adveniens præscripsit largum vini Rhenani potum, dicens scio qualis muria huic corpori conducit, unde melius se habuit, alius jam præscripserat diætam strictam, unde pejus se habuit; homo sobrius potest ferre inediam & non sentiet tremorem. Nil pejus est quam subito mutare consuetudinem, licet pessimis in meliora fiat mutatio, hoc semper in Praxi animadverti, hinc ægri, qui largis epulis assueti sunt, nunquam inedia sunt tractandi; aliter necamus ægros, v. g. qui largis potibus assueti sunt, si iis detur aqua, male se habent; mulieres ex cibo & potu generant omni mense Plethoram, quam per Menstrua evacuant, hinc post aliquot annos earum corpus huic evacuationi ita assuetum est, ut intra viginti octo dies impleri & intra biduum depleri debeant, & nisi hoc fiat, male se habent; qui bis comedunt omni die, eorum vasa ita sunt assueta, ut bis impleantur & bis depleantur, aliter fit morbus.

7. Hinc quando nescimus, quantum cibi æger sumere debet ad sanitatem suam, oportet incipere à levissimis, sensim augere dosin & ad-

vertere quando hæc copia & qualitas sat magna erit, primo die igitur dandum admodum parum, deinde rogandus est æger quomodo se habeat, si dicat se non inde male habere, tunc poterimus augere cibum & potum, & quando advertemus hoc nocere; aliquantulum debemus minuere dosin; hinc omnis æger debet tantum sumere, quantum ferre potest; omnis fames est causa Physica, quæ pro effectu debet dissolvere & corrodere, si nil des, agit in humores; in Pleuritide & Phrenitide &c. detur ægro quantum ferre potest, si minus des, æque peccas quam si plus des, si intra quatuor horas ab assumptis ventriculus gravetur &c. subducendus est cibus, si deficiat æger, paulo plus est dandus. Medicus, qui vult Febrim curare, debet primo vitæ consulere, medicamenta, quæ hoc faciunt vocamus Cardiaca, hæc bene sustinentur, si bene capiamus, quod ad vitam humor idoneus & ejus motus requirantur, ille vel habetur ex ingestis & præparatur per vires corporis; hoc vocatur Diæta ægrotantium, & hoc est primum Cardiacum genus, alterum est eorum, quæ motum augent, nam possunt omnia in corpore esse æque ac ante & tamen mors, uti in suffocatis patet, ergo secundum genus est eorum, quæ materiam in corpore per stimulum movent & propellunt, nunc Medicus debet meditari, an in Febribus stimulus movens requiratur, si ille non requiratur (uti raro requiritur) Diæta debet esse tenuis, hinc aqua est commune Cordiale in iis, qui humores nimis crassos habent, aliqua abstinentia, & Venæ Sectio sunt optima Cardiaca in illis, qui suffocantur Plethora, raro requiritur motus humorum, hinc raro conveniunt Cardiaca, quod

solus

ſolus *Sydenham* bene conſideravit, ſummum eſt præjudicium apud Medicos, ubi ægrum viribus dejectum vident, ſtatim dant ſpiritus, aquam Theriacalem, Tincturas Bezoardicas, Sales Volatiles Oleoſos, Spiritus Stillatitios &c. hæc omnia æque male, vidi in deſcriptione Peſtis Maſſilienſis, quod deſcribant morbum calidiſſimum, dicunt in Ætiologia, quod morbus ſit ingens dejectio ſpirituum, quod an verum ſit nec ne in medio relinquo, hinc adhibuerunt medicamenta, ut ſpiritus excitentur, & dicunt, licet omnia adhiberentur, quod tamen nil efficerent; recenſent Tincturam Bezoardicam, Theriacalem, Diaſcordium, ſpiritum Theriacalem, ſpiritum Cornu Cervi, ſal Cornu Cervi, & nullum fere remedium præter hæc, fatentur ſimul, quod omnia hæc medicamenta licet optima nulli profuerint, mirum non eſt, ſi enim morbus ſubito vires proſternat, nam eſt a defectu circulationis, hinc exinde quod nimis vires & quia liquores adacti in minima vaſa pulmonum & cerebri. Nunc ſatisfecimus primæ indicationi; qua Medicus debet facere, ut homo aptus ſit ſuſtinere morbum, morbi decurſum & morbi finem. Ex his ſeptem regulis puro hauriri poſſe omne, quod de Diæta febricitantium dici poteſt.

§. 603. Acre eſt illud corpus; cujus partes cohærent fortiter intra ſe, ut totum corpus conflatum inde rigidum fiat, 1. ſolum & denſum, 2. figura tali, ut rigidum & denſum corpus motum quem accipit per pauciſſima puncta, id eſt, per apicem acutiſſimum applicet corpori in pauciſſimis punctis, & omnem motum acceptum ita communicet, hinc ſeparationem & dilacerationem facit, aliam acris ideam non

habeo, idque vel externe applicatum vel interne ingeſtum aut natum eſt; hinc non eſt corpus tam ſanum, quin Medici intra unam horam Febrim facere poſſint, hoc in omni vulnere, contuſione, combuſtione accidit, ſic ante dixi de infante, qui habebat acum corpori infixam, & inde Febrim acceperat, quæ non prius ſanabatur, niſi prius acus educta eſſet.

Externe. Impacta vulneri faciunt Febrim, quæ non ceſſat; niſi à natura vel manu Chirurgica ejecta fuerint; ſi ſaluberrimo homini ſub pinguedine intruderetur fruſtum vitri, fieret Inflammatio, Suppuratio vel Febris ſtimulando, ſi Raphani Ruſticani ſcobem cuti applicetur & ſupponatur veſica Suilla, orietur ſumma titillatio, pruritus, calor, dolor, & ſi per dimidiam horam ille calor duret, cutis erit exeſa, & homo febricitabit.

Stimulantium. Quæ in cutem agunt, totumque nervoſum genus concutiunt, movent, hinc totum corpus immutant.

Rubefacientium. Hæc ſunt corpora externa, quæ abſque motu cuti impoſita, Eryſipelas faciunt, id eſt, rubram Inflammationem ſine tumore, ſic fermentum panis acris cum multo ſale & aceto agit.

Rodentia ſunt corpora, quæ à corporis calore agitata vaſa abſcindunt, ut ſunt Veſicantia, Corroſiva ignis, hinc Corrodentia faciunt Febrim, ut Mercurius Præcipitatus, & Mercurius Sublimatus, aut ſi lateat in Trochiſcis Vigonis falſo de Minio dictis, Lapis Infernalis, oleum Vitrioli & ſimilia, ſi oriantur in cute ſtigmata, fit Febris.

Veſicantia ſunt illa, quæ vaſa minima à ſuppoſito corpore cutaneo in Epidermidem porrecta,

recta, abscindunt, hinc hanc solam relinquunt integram, & vasa abrupta humores effundunt, qui in bullas collecti removent cuticulam, quatenus ligacula minima exporrecta à succumbentibus in Epidermidem abscinduntur; hinc non amplius exhalant & locus maxime dolet, hinc si applicentur Cantharides ad cutim hominis frigidissimi, in quo non est Febris, habebit illico calorem, sitim, urinam acrem cum pulsu veloci & Febrim, Epidermis in bullas elevatur, his discissis humor effluit, & villosa crusta sub Epidermide tecta mirifice dolet; hoc est unum ex optimis stimulantibus, nempe ubi Febris in morbis frigidis est excitanda.

Caustica sunt illa, quæ non modo in vesicas cuticulam attollunt, sed quæ vasa sub hac cute quasi descindunt & partes comburunt.

Septica sunt illa, quæ partes sanas in putredinem mutant, nam σήπω significat *putrefacio* ergo Septicum est, quod tabefaciendo humores inficit & ex statu sano in putredinem mutat, hinc sunt venena, postea oriuntur Phlegmone, Gangræna vel similia mala. Calx viva non est adeo acris, nam habet saporem subdulcem stipticum, sed si urinæ, sanguini vel alteri corporis parti admisceatur, facit nostros sales Ammoniacos penitus igneos. Cantharides ad duodecim grana assumptæ creant sitim, Inflammationem, faucium fætorem, Stranguriam, & in toto corpore Febrim vi septica, si hæc humoribus permisceantur, eundem creant effectum.

Venena sunt illa, quæ penitus destruunt, hinc in corporibus facile mobilibus pessimas Febres producunt, ergo verissime dixerunt Arabes, quod si inertissimis & languentibus, in

quibus tota mali ratio, hæreret in laxitate & inertia humorum, venenum Cantharidum sanguini admisceretur, vel externe applicaretur, inde Febrim orituram, quæ ipsis salutaris foret, hinc patet venenum Cantharidum facere Febrim proin vesicantia, rodentia & reliqua similia applicata Febrim producunt, hinc multi sunt, qui Febres per Cantharides sanare volunt, licet hæ in facile mobilibus corporibus pessimam creent Febrim, inde Medicus scit causam extremam Febrim producere, ergo si sine manifesta causa, sine Cacochymia prægressa, sine ullo morbo præterito oriatur calor, frigus, motus vehementior, qui à violenta Febri, ut causa dependet, hæc omnia stimulum acre in corpore receptum notant, si stimulus fuerit externus, removendus est, sic Medicus sanat Tertianam & Quartanam, si Febrim ante frigus febrile inducere possit, ob quam causam rusticus in vicino pago colligebat Ranunculi Pratensis radiculas contusas, quas inter interstitia digitorum cum bono successu in Intermittentibus trihorio ante Febrim applicabat faciebatque dolorem, calorem & Febrim, unde hi ægri curabantur, verum idem voluit tentare in Febribus Æstivis & Continuis sed sinistro cum successu.

Auferendum. Quando illud oblatum est, an tum Febris est sublata? non, sed locus est fovendus aqua tepida, mellitis, decocto emolliente, ut omne acre extrorsum eluatur, si v. g. esset infans Continua Febri laborans, & uti in hisce casibus accidit, convulsionibus satis vehementibus inde natis stipatis, si tunc ut quidam Medici solent vesicantia præscriberentur contra illas Convulsiones, hæc faciunt Febrim, & fiunt pejores Convulsiones, alius Medicus ad-

advocatus nesciens hæc applicata esse, quidquid tentet per Antipyretica, Antispasmodica &c. morbum tollere nec fomitem exstinguere potest, inquirit ergo ab amicis, an nil fuerit huic puerulo applicatum? referunt ei vesicatorium, licet hoc auferat, tamen locus adhuc dolet, infans valde sitit, locus ille est detergendus & fovendus cum decocto lactis & mellis, floribus Althææ, farina Tritici, hacque ratione brevissime sanitatis restitutio erit facta; sic Calx viva externe applicata mutat sales nostros Ammoniacos in igneos, si vero intra assumantur, corpus tabefacit & putrefacit, sic à Cantharidibus corpori appositis fiet plerumque in corporibus facilè mobilibus urinæ stillicidium, & Febris ingens, quæ tolli non poterunt, relicto stimulo, sic si corpori sanissimo applicetur Raphani Rusticani recentis rasura & superimponatur emplastrum, locus ille ardebit & Escharam gangrænosam contrahet, hinc hæc & similia vesicantia in usum venire possunt, ubi lentor Febris est excutiendus, verum si fuerit Inflammatio alicubi in vesiculis Pulmonalibus, pessime agunt, nam horum effectus est tantum circulationem accelerare, & proin tenax solvere, hinc ubi stimulus peccat, ab his est abstinendum, nam augebunt Febrim & ægrum in magnum conjicient periculum, sic si v. g. detur albumen ovi putrefacti ad granum semis & hepar piscium in eadem quantitate & involvatur externe foliolo auri, erit maximum Septicum, si externe hæreat, idem præstabit, hinc in Acutis à stimulantibus cavendum est, ergo locus fovendus est Emollientibus Topicis applicatis forma decocti &c. vel unguento Aureo & Populeo, quæ externe applicata extrema

 ner-

nervorum detergent & inungunt, nam hoc unguentem est optimum in malis à stimulante materia; Unguentum Nutritum dolores tollit, ab omni acri provenientes, ut Chirurgi pro Diis eos habeant, qui hoc applicant, his unguentis inungitur pars Erysipelacea, Phlegmonodes &c. hinc quando Cantharides violentissime agunt, & Medicus nocte excitatur, ut sæpe fit, putat ægrum Calculo laborare, nam reddit guttas sanguiferas per renes, hinc acre est removendum & locus fovendus lacte, cui incoquantur flores Althææ, tunc curatur morbus, quatenus fit ab acre. Si illud acre à combustione fiat, ut quando nempe homo in ignem incidit, tum Febrim & Inflammationem accipit, hinc assumenda sunt mollissima medicamenta, & his locus est obruendus, talia sunt decoctum Avenæ imprimis in lacte dulci, decoctum farinaceum, emulsiones seminum Cydoniorum factæ in aqua Spermatis Ranarum vel aqua Rosarum, unde partes contritæ emolliuntur, hacque ratione diathesis febrilis tollitur, si homini, qui linimenta & fomenta cum oleo mista ferre non possit, talia applicentur, accipiet Phlegmonem & Erysipelas, ex hisce dictis patet, quod Medicus acri manente nunquam Febrim tollet.

§. 604. *Acre irritans interne* ut est primo omnis Inflammatio, nam omnis Inflammatio est tensio ad rupturam usque multorum nervulorum simul, hi nervi ad rupturam tensi faciunt semper Febrim, si ergo in loco Inflammatio fit, semper adest stimulus febrilis, qui si non tollatur, non tollitur Febris, Inflammatio cerebri in Phrenitide & Paraphrenitide, Inflammatio Faucium, Laryngis, Pharyngis, Pleu-

Pleuræ, Pulmonum, Inteſtinorum, Stomachi, Meſenterii, Renum, Veſicæ, Vaginæ muſculorum in Rheumatiſmo, tendinum ultimorum in Podagra, &c. quæ omnia faciunt Febrim, hinc ſi velis tollere, tibi cauſa eſt tollenda, aliter non curatur Febris, nil pejus eſt, quam in Febribus ſtatim ad ſpecifica recurrere, nam ſi Pleuritis adſit, æger Febre laborat, qui non tollitur ullis ſpecificis, niſi tollatur Inflammatio, idem de cerebro & quocunque loco corporis verum eſt; nam omnis Inflammatio ſic tendit nervos minimos, ut maxime doleant & hæc irritatio auget Inflammationem, hæc fit ab acri rodente externe vel interne hærente, & Febris non poteſt ſanari, niſi fuerit ſanata Inflammatio, an vero hæc ſanari poteſt? non, niſi fuerit reſolubilis, vel tunc ſi non reſolvi poſſit, degenerat in Suppurationem & Gangrænam &c. manebunt toto illo tempore Inflammatio, dolor & Febris, & omnia applicata fruſtra tentantur, ſic ſi vis Febrim illam tollere Cortice Peruviano, auferes ſtimulum, ſed ab Inflammatione ibi hærente renovatur Febris, quænam ergo hic loci eſt methodus, Antipyretica? Antiphlogiſtica nulla alia, ſi jam hæc methodus applicetur Tertianæ & Quartanæ, moreretur æger infallibiliter, vide *Sydenhamum*, nam evaderet Hydropicus, illoque morbo exſtingueretur, & ſic Tertianæ & Quartanæ fere omnes curantur per aromatica acria Diaphoretica, ſed ſi hanc methodum Febribus inflammatis applicare velles, occideres miſeros ægros.

Suppurationis. Nulla pars ſine Febre ſuppuratur, ſi Febrim vis tollere, prius Suppuratio eſt tibi tollenda, nam ubi eſt Suppuratio, ibi eſt perpetua Febris, omnis chylus abit in novum

pus,

pus, hinc ibi quotidie Suppuratio, quæ expectorat Phlegmata, tum fit nova Febris ad locum secundo si puris materia rapiatur in venas, facit Febrim, hinc si vis Febrim tollere, tolle Cacochymiam, nam remedium qualecunque fuerit, non juvabit, nisi antea Suppuratio tollatur. Si fomes Suppurationis hæreat in corpore, ille continuo generabit pus, illud stagnans evadit acrius & subtilius, erodet margines sanas, rapitur in sanguinem, fit Phthisicus, exspuet pus, & non male inde se habebit, nisi quod langueat, hoc modo etiam oritur Febris Hectica à Cacochymia purulenta, ad hanc curandam requiritur, ut Vomica illa auferatur, ut illud pus separetur à loco illo antiquo. Sanguis non est mittendus, si in hepate sit Vomica, certe vix curabitur, nisi methodo prædicta, attamen ars adhuc quid solatium hisce adferre potest, sed sub certis conditionibus omne, quod hic à prudenti Medico fieri potest, est, ut sanguis tam tenuis reddatur, ut fluat instar aquæ, sed tunc miseri, si haud difficulter moveri possint, sudoribus diffluunt, tumque hæc methodus nil proderit, verum si corpus tam forte & robustum sit, ut magna copia aquosi haurire, retinere & mobilem reddere possit, plerumque feliciter juvantur bibendo v. g. decoctum radicis Chinæ, Salsaparillæ, Bardanæ, Scorsoneræ & similium leviusculorum detergentium ad libras una die, Febres curat & fomitem exstinguit, sic hac methodo Phthisici, qui corpus habent tam forte, ut horum abluentium copiam ferre possint, felicissime curantur. Cortex Peruvianus tollit Febrim, quatenus nascitur ex illa causa, de qua dicetur in Febribus Intermittentibus, sed non tollit illam Inflammationem quæ facit Febrim,

hinc illi, qui dederunt hunc Corticem in aliis ut in Continuis vel in Hecticis Phthisicisque pessundarunt ægrum, ut voluit facere *Morton*, vide *ejus casum.* Hinc quando vult Medicus curare Febrim, debet quærere, quænam sit causa naturalis Febris, quænam irritans, quænam stimulans sit, ergo non poterit Febrim tollere nisi sublato illo stimulo vel acri &c.

Sphacelus. Propter Inflammationes ad margines vivas, qualis Febris observatur in ipsis senibus moribundis præ debilitate, quando habent Sphacelum ad extrema.

Cancri. Non hic loquor tantum de Cancris in Mammis, sed etiam sub Axillis, in Parotidibus, Submaxillaribus, Sublingualibus glandulis, in palato oris hærente, in interno labio, tonsillis, in parte postica & laterali Æsophagi, ubi duæ illæ glandulæ sitæ sunt, in intestinis, utero, vagina orificio uteri, Pancreate, Mesenterio &c. locis glandulosis, inde sæpe oritur Febris Hectica ob putridum illum Ichorem sanguini mistum.

Cariei ossis. Tunc semper in Periosteo tam interno quam externo fit dolor & Inflammatio; sic Lues Venerea, ubi cariem ossis producet, facit Febrim, idem de Spina Ventosa verum est, & rarissime homo invenitur, qui Odontalgia laborat à dentibus cariosis, quin semper quodammodo febricitabit, hinc Febris non tollitur, nisi prius auferatur putridum.

Ichoris. Omnes humores peregrini sanguini venoso misti semper Febrim faciunt, si Vomica sit in hepate, ubi putrida biliosa materia hæret in sacculo, inficit totum hepar per venam Portarum, venitur in sanguinem, oritur Febris Hepatica cum Ictero, si instatur impetus vel stimulus

lus febrilis, male agitur, causa enim in acri hæret, si vero velis Febrim tollere, fiat hoc per diluvium & inundationem aquæ Spandanæ vel per decocta herbarum Splanchnicarum, Taraxaci, Acetosæ, ut eluatur, & stagnans materia acris scilicet excutiatur, inde patet, quam multiplex sit Febrium curatio, si homo sanissimus per fascinationem Vomicam in hepate accipere posset, statim acciperet Febrim Hecticam, hinc illud acre est res maximo studio & acerrima indagine digna, nam curabilitas Febrium hæret in curabilitate vel in incurabilitate horum fomittm.

Lymphæ. Homo v. g. laborat Hydropo morbo à Febre remotissimo, attamen Hydropici sæpissime curantur Antipyreticis, sed remedia Antipyretica Febres Intermittentes quoque sanant sic v. g. Centaurium Minus largius epotum in initio Hydropis est summum remedium, atque præclarius non datur illo in Febribus Intermittentibus, sic Absynthium prius medicamentum fere æque certe agit ut Cortex Peruvianus pro Febribus Intermittentibus, & est commendatissimum non sine jure, nam tollit illas Febres, attamen idem medicamentum tollit quoque Hydropem incipientem, idem verum est de Marrubio, Scordio, Radice Gentianæ, salibus lixiviosis; quæ in initio Febris Intermittentis frigidæ & in principio Hydropis infaillibilia fere sunt remedia, verum aqua collecta in Hydrope putrescens fit acerrima, fætida, & alcalina, quæ antea pellucida, blanda, inodora, leviter subsalsa erat, hinc ille æger secum fert illud balneum vaporis fætidissimi ichoris, qui difflatus omnes partes afficit, in Febre Ardentissima urina nunquam est tam fætida tamque pauca

pauca copia, quam est in Hydrope in Abdomine suffocato, an jam Absynthium, Centaurium, Marrubium remedia forent huic Febri curanda? non remedia dixerim sed venena, nam in hoc morbi statu conveniunt spiritus salis, spiritus Nitri Sulphuris per Campanam, acetum &c. & hæc ad hanc Febrim maxime sunt conducentia, hinc patet quam varius potest esse ille stimulus febrilis & qualis sub nostram potestatem incurrat, & quam diversa non modo sed penitus contraindicantia exigat remedia, ergo hæc ex capitibus traditis prius tollenda sunt, hinc Medici prudentes nil promittunt, Empirici facilem curam promittunt, at ubi nil præstitum est, redeunt ægri ad priores Medicos, sed tamen fateri debemus, quod non possimus semper illud acre tollere, v. g. si oriatur à veneno, quod ut dicit *Plinius* de serpente quadam, quæ Seps dicebatur in Africa, cujus morsus putrefaciebat homini totum Panniculum Adiposum, idem dicendum de miasmatibus omnibus Venereis, Variolosis &c. In miasmate Venereo, quo homo est senior, eo facilior & pejor est infectio, hinc in his stimulis incognitis est petenda curatio ab indole symptomatum v. g. in Variolis per effectum miasmatis convertitur sanguis in pus; si benignius sit, vel in Gangrænam si malignius, vel in Ichorem si pessimum, tum ego semper curavi hos morbos tanquam Phlogisticos nempe Venæ Sectione, diluentibus Antisepticis, &c.

§. 605. Hæc est Asiatica methodus, in calidis istis regionibus, scilicet si homines essent fatigati ad hospitium suum accedentes, pro prima refectione bibebant aquam, & pedes in pelves immissi à servis suis fricabantur, tum bibebant

bant Coffe vel in aliis regionibus Thee, vel aliquid aliud illi regioni ſimile, in quo potu nil ſpirituoſi reperitur, tum ſe in aëre placido ponunt dormituri, ſi nimis efferveſceret ſanguis, tum ſumebant Pomum Aurantiorum, ſuccum recentem Citri & ſic curabantur.

1. *A motu nimio.* Nemo enim eſt, qui plus ſe moverit, quam corpus ſuſtinere poteſt, quin corpus habeat Febrim, homo non aſſuetus laborare, labores ſummos faciens habebit ſummam Febrim, nullus eſt, qui Febrim ab Ephemera uſque ad Peſtem per motum producere non poſſit, nam per motum nimis magnum poteſt fieri metaſtaſis omnium humorum in loca non debita, ſi ſanguis in minima cerebri vaſcula adigatur, æger laborabit Phrenitide, Caro, ut tandem mors ſubſequatur, ſi ſanguis rapiatur intra minima pulmonum vaſcula, homo laborabit Peripneumonia, ſi in arterias Intercoſtales, Pleuritde, vide Caput *de Morbis ex excuſſu circulationis* ubi dixi, quod in robuſtiſſimis per exorbitationem motus Febrim inducere poſſimus, ſi nunc Febris inducta ſit, quatenus muſculi voluntarii ſtimulum faciunt, debet corpus quieſcere, ut omnes muſculi quieſcant.

Quiete. Ut omnino nil moveat, tam blande reſpiret quam poteſt, caveat corpus multum invertere, ponat illud commodiſſima poſitura, dum enim muſculi non agunt, venæ laxantur, ſanguis incipit temperari & in motu moderari, incipit parum quieſcere, quia jam hæret in venis explicabilis, & quia non urgetur per muſculos antea valide motos, hinc recedit parum à corde.

Animi. Hoc eſt, æger eſt deducendus, ubi nul-

nullum objectum externum in sensus externos agere potest, in locum tenebricosum, frigidum, nil illi est imprimendum, quod affectus facere possit, ita ut æger sit in somno & quiete perfectissima.

Humectantibus. Statim porrigenda est satis magna quantitas farinosorum aut subcremoraceorum aquosorum, horum omnium optimæ sunt Emulsiones Amygdalarum Dulcium, seminum Papaveris, quatuor seminum frigidorum majorum & minorum, Hordei & Avenæ, quæ certe omnibus fere palmam præripiunt, modo largiori dosi hauriantur, prosunt etiam Ptisana & potus ex Malva, Parietaria, & Papavere Erratico, externe pediluvia & balnea.

Diluentia prosunt, quia tenuissima motu sunt dissipata; hæc sunt aquosa maxime calida affatim hausta, si dicam alibi diluentia (ut ea ante explicavi) tum semper fomenta, balnea, pediluvia, potus aquosus, clysmata & hæc omnia semper simul intelligo.

Lenientia sunt omnes potus ex Hordeo & Tritico confecti, ex Amygdalis Decorticatis, serum lactis non acescens, jura carnium tenuia non acida, non acria, oleum Amygdalarum Dulcium recenter expressum, Emulsa ex Avena cruda, quod est egregium medicamentum hominibus, qui valde se moverunt, vel nimis defatigati sunt, in Asia quando homines se nimium movent & defatigati sunt, adhibent balnea ad genua usque, dein potum sumunt ex Oryza cum aqua cocta. Hic vero intelligo, si morbus sit à motu & non fecerit Inflammationem, si vero adsit Inflammatio, tum ad numerum præcedentem pertinet, ubi dixi

de

de Inflammatione tollenda, nondum etiam Inflammationem Ichorosam, Suppuratoriam &c. hic suppono, tum semper hac methodo tolletur, cavendum etiam est ab acribus salibus lixiviosis &c. quamvis uncia semis spiritus vini non noceat, si magna aquæ copia superbibatur, si vinum addatur aquæ refrigerat, si parca copia addatur, ut una vigesima aut vegesima quinta pars.

3. *Calore.* Tunc oriri solent Febres Continuæ & Ardentes, ut contingit Æstivo tempore, si v. g. rami abscissi à Tiliis arboribus ab Ebulo vel Sambuco vel Rosis vel Populo vel Salice plantentur in aquam nitrosam, vel sine Nitro, tum illi rami per frondes faciunt emanare copiam aquæ, hæc aqua aërem inficit, tum laxantur pulmonum vasa, nil enim magis tollit calorem, quam venarum laxatio, quia tum sanguis non tam cito redit ad cor; eodem scopo fonticuli Boyleani inservire possunt, quibus aqua projicitur, vel his deficientibus miscetur aquæ commune Sal aut Nitrum, præterita Febri Epidemica anno 1719 jussi pavimenta cubiculorum frigida aqua aspergere, & ægri statim se melius habuerunt.

Exhalatione. Aër ille est temperandus, id est, non reducendus ad summum frigus sed per gradus successivos à suo excedente calore reducendus est ad moderatum, nam si summus æstus mutaretur in gelidissimum frigus, ægri illico necarentur, sed hoc fit sensim per gradus sine sensu (ut loquuntur) eo usque est temperandus, ut solet plerumque esse in initio Maji vel in initio Aprilis, sic possum aquam Æstate calidam paucis minutis reddere tam frigidam, ut si frigus foret uno gradu altius, congelasceret, v. g. inspergendo

gendo Salem Ammoniacum Nitrum vel Salem Marinum, tum fit actuofum frigus, fi talis aqua difpergatur per pavimentum, vel ex alto deftillet in pelvim æneam fuppofitam, poffum illum locum reducere ad illum gradum frigoris Thermofcopio appenfo, qualem requirit ars.

Plantis. Aqua fola non tantum frigefacit, quam fi exhalet ex plantis, fic Salix per medium difciffa vel ramus ingens Sambuci, Populi, Betulæ, Fagi &c. ponatur in vafe in medio cameræ arena repleto, hinc implantentur rami florentes Sambuci, & orietur amiciffimum naturæ refrigerium ex ipfo odore non ingrato.

Potu aquæ. Nil magis temperat calorem quam aqua, laxat fanguinem nimis ponderofum, reddit minus compactum & magis meabilem, laxat vafa & enervat ftimulum, fi addam fuccum Limoniorum, Ribefiorum, Rob Sambuci, tanto melior eft potus, uti & Nitrum, qui potiffimum refrigerat, Sal Ammoniacum affumptum calefacit, Sal Marinum & Gemmæ & Boracis ftimulando calefaciunt, at Nitrum refrigerat, fi vero Nitrum nimia copia adhibeatur, tum fanguis fit acer, hinc ratione acris Nitrum ftimulat & calorem producit, non vero frigus.

Nitrofæ. Acidum tollit putrefactiones, calida putrefactionem faciunt & augent, hoc patet in carnibus quæ in Æftate calidiffima per unam horam putrefcunt, aceto vero afperfo, putredo arcetur, fi affundatur liquor alcalefcens, eo citius hoc fit, corpus ergo eft minuendum per acidula, quæ nulla meliora funt quam fubacida, id eft, quæ plurimum olei fubtiliffimi gerunt & acida naturalia & ftillatitia, huc quoque referendi funt fucci Horæi, hinc inter falia nullum

lum magis convenit quam Nitrum, quod à putredine corpus ſervans non gravat.

Vini. Vinum culpatur à plurimis, & tanquam venenum è foro Medico proſcribitur, ſed re vera arcanum eſt in Febribus, ſola enim aqua non tantum refrigerabit, quam ſi pauxillo vini Moſellani vel Rhenani detur, pura enim aqua in corpore ne quidquam efficit, niſi à noſtra vi in actum deducatur, hinc, ſi tum vini parum admixtum habeat, non nocet, ſed potius quantum ad vaſa actuoſa reddenda requiritur, eſt optimum remedium tali formula.

℞. Vini Rhenani ℥vj
Succi Citri ℥j
Sacchari ℥ij
Aq. ſimpl. Hordei ℥LX
in quo diſſolve Nitri ʒj vel ʒij

Hoc medicamento aſſumpto, maxime refocillatur æger, vidi ægros in diſcrimine vitæ præ ſiccitate & calore, quibus prohibebatur potus, quos ſtatim hoc remedio reſtitui, huc faciunt Limonadæ, Citronadæ &c. parum ſimul, ſed ſæpe dandæ.

Cibo ſubacido. Ut ſerum lactis, lac ebutyratum, aut

℞. Aqua communis ℔ iv.
Vini Rhenani ℥vj
Nitri puri ʒj
Succi Limon. ℥x
Syrup. Mororum aut Ceraſor. q. ſ.
M.

aut de Acetoſa item poma acidula matura maxime conducunt.

Do-

Demulcente. Galenus optime dicit, aqua sola modo alluit, non humectat, nec commiscetur, quibus affunditur, sed simul cum Amygdalis, Farinis aut seminibus subacta, si ingeratur, multum boni præstat; hinc nulla huic scopo magis satisfaciunt quam Emulsiones vel dicta vulgo emulsa facta ex Avena excorticata tali modo

℞. Avenæ Excorticat. aq. ℥xx
Succi Limon. ℥j
Syrup. Violar. ℥ij.
M.

hic cibus sic præparatus, placidus & gratissimus est, satisfaciens tamen scopo vel ex sero lactis cum farina Avenæ tali modo

℞. Seri lactis ovilli vel
vaccini recentis ℔j
Avenæ in farinam
redactæ ℥ij
M. F. Pulticula tenuis,

qua si assiduo utatur æger, Febris curatur, sic etiam lac defloratum cum Ribesiis, Grossulis, Moris, Cerasis, vel Rob Ribesiorum &c. Sambuci, Limonis & Cydoniis.

Salito. Multi Medici abhorrent salina, sed ubi nimius calor adest, ibi redduntur humores Alcalini, si lac nimis coquatur, redditur alcalinum, ova redduntur alcalina, si nimis igni imponantur, hinc quando tantus est calor, non peccatur, dando leviora salina, quæ vasa stimulare non possunt; optimus sal, qui eligi potest nostro scopo est Nitrum, omnis sal quidem

dem hic conveniret, si modo abessent ejus pondus & acrimonia, sic si unum granum salis detur contra Calidas Febres. Febris augetur, si detur Sal Ammoniacus, ipse est nimis acer, si Sal Marinus est nimis ponderosus, sed Nitrum est quasi ambiguum & facilius obedit, hinc à natura subigi posse videtur, hinc Nitrum solum convenit methodo nostra paratum, vide Processus Chemicos, aliud salinum hic necesse non est, nisi sumantur præparata ex Tartaro vel Tartarum ipsum.

Medicamenta quæ simpliciter calorem impediunt, ut aquosa laxantia, diluentia, & omne acre mitificantia, hæ tres conditiones in aqua sunt, sed quia sanguinis pars oleosa & terrestris coire conatur, hinc Saponacea sunt addenda, quæ tamen non acria sunt, nec haud minus tamen putredini resistunt, talia sunt acida, ut supra, Sapones ergo acidi esse debent, hinc *Hippocrates* sumebat Oxymel dilutum cum aqua, quod summum est contra Febres Calidas arcanum, sed parum ingratum est, ars provecta huc usque delicatiora præparare potest, quæ tamen ejusdem sunt indolis & efficaciæ ac est Oxymel *Hippocratis*, sic sumimus v. g. unciam unam Syrupi Violarum, quod Oxysaccharum est saponaceum, cui additur pro divitibus succi Pomorum Aurantiorum ad gratum saporem acidum, hoc jam compositum diluatur in magna copia aquæ vel sumatur Tartarus Crudus vel Cremor Tartari, sunt omnia acido oleosa, quæ soluta omnia aperiunt & resolvunt, vel Nitrum depuratum sola fusione paratum, vel Nitrum Ablutum, vel Sal Polychrestus vel Prunellæ, vel Nitrum Solutum in decocto florum Papaveris Rhæados rubri, unde fiunt crystalli rubri, qui in morbis acutis pro maximo arcano habentur

& quia Magnates medicamenta respuunt, nisi sint pretiossimi, hinc hoc titulo pretiosissimi medicamenti insignitum est, ex his omnibus sapones spiritus fieri possunt cum Rob Sambuci, Ribesii, Cerasorum: præterito anno in Febre Epidemica dabam decoctum Tamarindorum; addebam Syrupum Mororum aut Cerasorum nigrorum pro ditioribus, vel succum Citri cum syrupo Violarum.

℞. Aq. Stillat. Sambuci ℥v
Nitri puri ℈j
Syrup. Moror. ℥j
M. F. Mixtura.

his salibus supra dictis adduntur Diluentia ad laxandum diluendum & ad melius acre mitificandum, hæc vario modo adhibentur nempe per Balnea, Pediluvia; Gargarizationes, Clysmata, Potus &c. alia hic non sunt, nam si famosissima & pretiosissima illa medicamenta ut Radix Contrajervæ, Serpentariæ, Virginianæ applicentur, nocent, quia non agunt, nisi quatenus calorem augent, quod sic pejorem statum morbi efficiet, verum si ad Crisin disponatur materies, & natura se movere incipiat, jam locum habere poterunt, & sic audivimus centenos ægros, quando cum aliis Medicis ægros tractamus, conquerentes de anxietatibus, Erysipelate, Phlegmone &c. quod indevenit, quia Theriacalia, Alexipharmaca, Alexiteria, omnia ex calefacientibus petita ægris suis suppeditarunt, si vobis ergo occurrat Febris Calida, hæc proposita vos nunquam desistent, & nunquam sub illis subministratis errabitis, si jam Inflammatio simul adfuerit, mitte largiter Sanguinem, ut omnia vasa debilitentur, omnia

farinosa aquosa conveniunt in Febribus Calidis, nullis exceptis, & quo calidior Febris, eo plura acidula danda sunt, sic aqua cum farina Avenæ palmam omnibus præripit, & succus Limoniorum, præter omnia reliqua, acetum melle temperatum vel saccharo prævalet, si major sit calor, spiritus Salis, spiritus Sulphuris per Campanam misceri possunt ad gratum acorem, ut aqua farinosa cum Nitro & tunc hæc includunt fere omnia, imo in infantibus tantum solo Nitro utor.

3. Aër humidus creat Febres, quia laxat nimis vasa, hinc facilius in his fiunt errores loci, unde Inflammationes & postea Febres oriuntur, præsertim post aërem pluviosum, nebulas diuturnas Barometro depresso multi incidunt in Febres admodum malignas.

Foco. Hæc flamma, si per latum caminum abire possit, calefaciendo non nocet, nihilominus tamen aërem valde exsiccat, qua ratione multum prodest.

Ligna. quæ multum hæc præstant v. g. ligna Quercina, Buccina, Cornina, Juniperina, sed quia talia tam pretiosa sunt, hinc sumantur tantum fragmenta Buccini ligni & quisquiliæ, quæ supersunt ab operibus, quæ dum comburuntur, spargunt vapores aromaticos humidum discutientes, tales sunt herbæ aromaticæ, ut Mentha, Marrubium, Origanum, Dictamnus, folia Fæniculi, Rorismarini, quæ in camera ponuntur in papyris ut aër horum effluviis plenus sit, sic accendi potest Olibanum, Thus, Mastiches, & Succinum.

4. Est vis quædam venenata septica hærens in aëre, vel tale contagiosum miasma; quod insinuatum humoribus, eos in putredinem convertit,

vertit, & qualecunque hoc fuerit, semper erit acre putrefactum, quod in Peste adeo est velox, ut breviffime vi sua septica destruat totum corpus, & ignoratur, quid hoc sit, quod humores tam cito inficit, quidam dicunt hoc oriri à fœtore, sed illi hos erident, qui coria præparantes in locis putridiffima exhalantibus versantur, & tamen sunt saniffimi; hinc omnia hic intelliguntur, quæ spectant ad acrem stimulum, quando Febris oritur à vi septica, tum Venæ Sectio, Purgatio, Clysmata, Cardiaca, Vesicantia, & Balnea nil prosunt, hæ Febres vocantur malignæ, ab his Febribus sæpe deletur integra regio, quæ Febris non tollitur, nisi auferatur stimulus. Sunt loci, qui infesti sunt omnibus animalibus, ut ille locus in Italia dictus *Grotta del cane* seu *Avernus* veterum, ubi quæcunque animalia moriuntur exspirante ibi halitu, vide *Virgilium*, qui dicit illud contingere ovibus non de cæteris animalibus loquens, sed hodie scitur, quod ille halitus sit infestus omnibus animalibus hunc locum habitantibus, hoc vocarunt Medici κακὸν σήπτικόν, sed etiam sunt alii loci, ubi peculiare quædam animalia moriuntur, non autem alius speciei, vide *Virgilium* de Peste Boum, Equorum & Suum, jam vero *magnus Hippocrates* considerans hoc nasci à talibus causis, quas nemo assequi poterat, vocavit τὸ θεῖον, id est, Divinum quid, si nunc quæratur, quid sit remedii contra hoc difficilis erit responsio, nam nunc Scarlatinæ Febres, nunc Pestis, nunc Variolæ oriuntur; hinc ab aëre Febres Variolosæ, Morbillosæ, Rheumaticæ, Dysentericæ &c. hactenus caremus bonis observationibus, ut dicamus, quid subsit; æger hac hora veneno varioloso infectus per quatuordecim dies acceptit

cepit ichorem, licet Medici adhibebant omnia remedia, omnemque methodum, quam noverint; hinc qui laborant Contagio Variolofo à ftimulo liberari non poffunt, nifi prius Suppuratio inducatur, & omnis fanguis convertatur in pus, hinc aër eft confiderandus tanquam ducens in putredinem per ftimulos, videtur hic effe eventus fcilicet generatio omnium humorum ex commutatione blanda in putredinem, nam ægri Variolis laborantes fætent, totum eorum caput olet fæpe inftar fætidiffimi cadaveris, hinc vocatur fepticum, ergo optimum eft, ut aër mundificetur.

Nitro. Infpergitur Nitrum prunæ ardenti impofito cinere carbonis atri, qui fefe immifcens huic flammæ fit vapor acidus volatilis, nec unquam quiefcit, fed oberrat undequaque volatilis, hoc eft Nitrum volatile acidum, quod folum novi & manet Nitrum, fi aër corruptus fit ut in Pefte, narrat *Helmontius*, quod illi, qui veftes fuas imbuerant hoc vapore à Pefte in caftris immunes manferint, fic ufu venit illud maxime in Nofocomiis publicis, ubi vulnerati, fuppurati, gangrænofi, & omnis generis decumbentes patientes adfunt, hinc fætores exhalant putridos, alii inhalent, & fic una omnes inficiunt, miferrimi funt illi, qui capitis vulneribus laborant, qui hunc aërem ferre non valentes plerumque inde moriuntur. Vide *Proceffum de Nitro*, illud fal eft fummum Prophylacticum contra Peftem.

Pulvis Pyrius. conftat Sulphure, Nitro & Carbonibus, fumus Sulphuris effet quidem optimus fed intolerabilis pulmonibus, hinc circa loca fulphurea raro Peftes occurrunt, fi jam Sulphur Nitro miftum accendatur, flamma amifit

amisit vim Sulphuris, sed permiscendo se Nitro multo simul meliora evadunt, observatum est in Peste ultima Lugduni Batavorum, quod si ante fores demum imponeretur talis suffumigatio ex Sulphure, Aceto & Nitro, nulli ex illis essent Peste corrupti; hoc vapore omne acre extinguebatur.

Vapore aceti. In Asia sequens cura etiam instituitur, clausa janua in camera patulo camino acetum ponitur eo in calore, ut exhalet, observatum est, quod loca, ubi acetum sit, nunquam Peste fuerint infesta, nam quando aër acetum vel nitrum habet, videtur resistere putredini, corpus variolosum igni, acido, nitro vel Muriæ submersum non putrescit, & pars gangrænosa & variolosa non corrumpitur, ulterius observando patet, quod homines quid egerunt, ubi acetum destillatur, optime se habuerunt tempore Febrium, novi per experimenta hic facta, quod nullus æger perierit, qui acetosis usus est, vel Sale Marino cum largissima copia pultis avenaceæ, quod decoctum maxime acescit. Optimum est etiam in Peste lavare omnia vestimenta in aceto, antequam imponantur corpori, & Medicus accedens ad ægros Peste correptos debet in ore tenere spongiam aceto imbutam & nullum aërem attrahere nisi per hanc spongiam.

Sale. Si Sal Marinus prunis injiciatur, dat vaporem adhuc æque fortem ac Nitrum; dum committitur prunis, totus ille sal fit Volatilis, unde spiritu salis totus aër impragnatur, & hac ratione illud sal mutatur totum in acidum, vide *Processus nostros Chemicos de Sale Marino*, hoc fuit quibusdam summum arcanum, nam sal est summum contra putrefactionem.

5. *Animi affectibus*; in his elucet Medici

prudentia, effectus non compescuntur nisi per contrarios, homo iratissimus stans stricto gladio, si Prætorem videat, statim metuens recondit gladium, hinc multi Medici laudati sunt summi, quod proponere semper sciverint præcedentibus contraria, metus & ira sunt effectus plane contrarii, vidi sæpe morbos ab animi effectibus non superandos, nec sedandos, quia contraria vix adduci poterant.

Varietate objectorum, ut sæpe minuendo objecta, renovando alia, reponendo, tacendo, deducendo in alia loca, & sic decipere objectis ægros & hi Medici vocantur splendidi mendaces. In ira Febricitantium adhibenda sunt talia, in quibus aliquis metus, hac ratione ira tollitur, nam metus maximum est ejus remedium.

Anodynis. Si hæc non juvent, danda sunt ultimo Opiata, non vero in initio, nec jam magna dosi, sed tantummodo prius per parvam, antequam geminetur major; hinc si præcedentia non suffecerint, tum proponenda est ægro Nepenthes Heleni, id est, Opium, quod nascitur prope Thebas in Ægypto, ubi Helena hoc habuit, nam certe quando Opiata, vel Diacodiata dentur, satisfaciunt optime huic indicationi. Nepenthes Heleni referuntur in animi affectibus, quia obliviosam somnolentiam inducunt.

6. Illud enim est evidentissimum, quod homo possit tanta copia Acidorum uti, ut illud acidum, quod Febri repugnat, tanta vi ingeratur, ut fiat stimulus, & per hunc stimulum Febris excitari possit, acida plerumque Febri resistunt, sed quando sales alcalescentes & putridi mutantur in sales compositos, tum homines febricitant, quod ex victu noscitur. Quando illa

illa curanda est Febris & qualia danda sunt, cognoscitur ex capite de Acido.

Diluenda. Nam larga copia aquæ, tum vis sua perit, si v. g. quis bibisset dragmam unam Olei Vitrioli, gangrænosus fiet stomachus, at si dragma una Olei Vitrioli fuisset diluta in libras quatuor aquæ, non nocuisset; idem de Mercurio Sublimato aliisque verum.

Demulcendo oleo Amygdalarum Dulcium vel Lini recenter expresso, si cibi acres, acidi vel alcalescentes suo effectu in humoribus excitarint Febrim, quomodo illa curanda est, qualia danda sunt, cognoscitur ex Capite de Acido Spontaneo, primo per Diluentia, secundo per Demulcentia blanda suboleosa, si permisceantur acido, id reddunt iners Oleo Vitrioli, si blandis oleosis mucilaginosis corporibus misceatur, perdit acrimoniam; huc faciunt Gelatina animalium, non Emulsiones vegetabilium, quia acescunt & acidum augent; hinc mirantur, quare in infantibus Emulsiones blandæ, quæ in adultis juvant, non prosint, ratio patet, quia in acidum permutantur. Gelatina Cornu Cervi, carnium macilentarum & similia prosunt, demulcent, quatenus sunt spissa mucilaginosa, acidum infringunt, quatenus sunt alcalescentia.

Absorbendo. Hæc sunt omnia illa, quæ acidum in se trahunt, & sibi uniunt, talia sunt metalla, inter quæ eminet ferrum, fossilia terrestria maxima sunt Ostrocodermata, & ex his imprimis, docente *Hombergio*, pulvis testarum Ostrearum, inter terrestria eminet bolus Armena. Tum ex salibus contraria, ut post effervescentiam fiat sal enixus quidam per Diaphoresin facile secernitur, & omni debili pallido infanti solo lacte materno nutrito hæc maxime

sunt frequentia, hinc in infantibus per hæc maxima fit cura scilicet per oculos Cancrorum, Cretam, Matrem Perlarum, Perlas Orientales & Occidentales, Corallia rubra, Lapidem Cancrorum, Mandibulas Lucii Piscis, Calcem Ostreorum, Calcem Mutulorum, quæ in ætate puerili & debili pulchre Febres curant, hinc vim febrifugam iis adscripserunt Medici. Nunc videtis quando verum est, quod sales alcalini Febrem tollant, scilicet quando Febres ab acido oriuntur, videtis quoque, ubi pulveres Testacei Creta Coralli rubri, Ostrocodermata Febrim tollant, quando scilicet Febris ab acido, hinc tantum Febres puerorum & puellarum, quæ ab acido in iis sunt, non à laxa temperie, his non debet dari aqua ad diluendum, sed oculi Cancri & similia. Fæminis prodest sal dilutum seu sal fixum semi-alcalinum, nempe si Febre laborent ab acido. Omnia autem salia, quæ vulgo hic laudantur, non prosunt nisi in Febribus ab hac causa ortis, id est, peccante acido, pituita vel inertia.

7. *Salinis.* Sal, quo vulgo utitur culina, est Marinum, in Borealibus regionibus, ubi mare non propinquum est, sale fossili vel Gemmæ utuntur, unde ab horum abusu uti & à Sale Marino Febres pessimæ & fere incurabiles oriuntur, maxime Scorbuticæ non facile delendæ, sic fuit puella, quæ salem undequaque collectum devoraret, unde incidit in Febrem Hecticam tanta cum exsiccatione totius corporis, ut Sceleton obtulerit ante mortem, eodem modo afficiuntur per mare vehentes, nisi cocta cum aqua salsa & salsamenta edentes sine fere quibusdam interpositis, hinc omnes tales maxime inclinant ad Scorbutum, Sal Marinum est in nobis indomabile acre & grave,

&

& si jam his suis tribus facultatibus agat in minima cerebri vel pulmonum vascula majori motu excitato facile destruentur, si quis sanus unciam unam vel duas Salis Marini pauca aqua diluta biberit, febricitabit; idem accidit illis, qui carnibus fumo induratis sale conditis vel ex piscibus & quadrupedibus utuntur. Quando navigatores deveniunt ad loca Africæ, ubi pluviæ decidunt per longum tempus, tunc si bibant ex illa aqua, male omnes se habent; vide *Tractatum Glauberi* dictum *Salus Batavorum per mare currentium*, ubi ille auctor optime commendat usum spiritus Nitri & omnium acidorum, hic est methodus sanandarum Febrium ab indole Scorbutica.

Diluendo. Aquæ Granenses & Spadanæ has Febres feliciter curant; & nulla Febre magis conveniunt, quam in Scorbuto Muriatico, id est, qui oritur à nimia copia Salis Marini ingesti, vel aquosa ut Thee, Coffe, serum lactis, lac ebutyratum, Hydrogala, quæ omnem salinam materiam abluunt, & ad vias Urinarias ducunt, jubeo apponere Lumbis, Peritoneo &c. fomenta ex Sale Ammoniaco, aqua Petroselini, Lini &c. demulcendo per jura carnium subpinguia; recentia.

Evacuando. Nam aqua fit Diureticum & acidum per renes eluit.

Lenta &c. Simulac homines his malis obruti possunt jura carnium comedere, brevi liberantur, imprimis si herbæ molles incoxerint, uti Endivia, Acetosa, Lactuca &c.

Lixiviosa. Febris Scorbutica Nautarum vix expellenda est, nam sæpe partes illæ salinæ intricatæ sunt terræ & oleo sanguinis amurcoso ut atrabiliario, sed hoc malum inextricabile per hoc solum lixivium Calcis Vivæ curatur; Calx in Li-

xivium convertitur, si libra Calcis Vivæ coquatur in duodecim libris aquæ, tum filtretur; & ut tegatur illud medicamentum, additur huic unica una aut altera Syrup. Violar, ut coloretur lixivium hoc, & ut sapor gratus concilietur, miscetur hinc gutta una aut plures olei Cinnamomi, tunc æger non abhorret, dosis est unciæ tres: hoc est optimum remedium, nam inde fixa hærentia & impedita partim ejiciuntur, partim Volatilia redduntur, & ejicit, quæ fuerunt reconditissima, hinc in Scorbuto maxime laudaverunt Medici, sed hic loci tantum, sic in Gallis propter calidiorem indolem gentis lethale evasit, quia ibi non regnat talis Scorbutus, voluerunt etiam Galli in omnibus Febribus adhibere eandem Calcem Vivam, sed ægri loco curationis incidebant in Febres Ardentes, hinc quibus sanguis non lento sale obsidetur, contrarium fit, nam Calx Viva omnia facit Volatilia. Sal Marinus pinguedini arctissime cohæret, patet in Halecibus, Strutionibus & aliis piscibus, sic fere semper tenacissime adhæret, ubi sal est incorporatus oleoso pingui, si sal cum lardo edatur, homo triplo magis sitiet, quam si salem solum ederit, hinc pinguedo non ita facile secedit.

8. *A cibis.* Vidi homines pridie optime valentes sequenti die Febribus Ardentibus laborasse à solis tantummodo condimentis acribus aromaticis, ut Pipere, Zingibere, Alliis, Cæpis, præsertim si corpora sint, quæ ipsa ferre non possunt, sitiunt, calent, & inde Febris nascitur, nemo est tam robustus, quin assumpta dosi majori olei Cinnamomi febricitat, hoc fit præsertim à spiritibus stillatitiis inter spiritus fermentatos maxime noxiis & ab aromaticis oleosis inter aromatica, quæ aromatica maxime inflammant interiora; quando hi stimuli in sanguine

guine nimium motum faciunt, tum hæc Febris per diætam cognoscitur, & hinc oriuntur Febres Scorbuticæ Muriaticæ cum summis doloribus ad artus, his Febribus spiritus Salis Marini optimè conveniunt, uti & juscula carnium, in quibus Endivia, Lactuca & Antacida sunt cocta, hinc si sciatur à tali similive causa Febris esse orta, curatur dilutione per similia dicta.

Aquosa. Hos morbos abstinentia & potus aquosus solvunt, aqua enim est omnium inertissima, diluit omnia salina, acria, saponacea & aromatica, & deducit ad tam inertem vim, ut amplius non noceant, & per uriniferas vias eliminat, sed quædam sunt, quæ non facilè per aquam diluuntur, & tamen reddi debent non acria, per acida mollissima, illud optimè fieri solet, quæ sunt Vegetantia ut succus Citri, Aurantiorum, Cydoneorum, Limonum, Pomorum Chinæ, quibus illud malum optimè corrigitur vel si fortiora requirantur, ad ipsa vina & aceta recurrimus, si fortissima, sumitur spiritus Salis Marini vel tandem omnium fortissimum acidum, ut est oleum Vitrioli, sed quæ his superari non possunt, quia oleosa tenacitate sua in aqua dilui non possunt, tum

Saponacea sunt porrigenda, ut si acre hæreat in pingui oleoso putrefactæ, hoc per priora corrigi non poterit, huc nimirum conducunt omnes succi Horæi maturi, blandi, subaciduli, si cum saccharo & melle coquantur, vel syrupo quocunque constituunt saponem, qui æquè abstergit, quam reliqui, hinc hæc promptissimè juvant, quando homines ex usu aromatum solent laborare, si bibant Oxymel dilutum magna copia aquæ vel Vinum Rhenanum dilutum magna copia aquæ cum succo Limonum addito

saccharo, Rob Ribesiorum, Sambuci, inde fit egregium saponaceum, hæc medicamenta extinguunt calorem ortum ex aromatibus, sic omnia olea ut Amygdalarum Dulcium, Caryophyllorum, Cinnamomi, ubi acrimoniam suam impresserunt partibus mucilaginosis, saponacea requiruntur, quod artificiosum corpus ita subigit oleum, ut possit aquæ misceri & cum ea dilui, hæc vobis satis commendare non possum, si succus maturus ex uvis Vindemiarum tempore pressus hauriatur ad plures uncias, tantum efficit Diarrhœam, ut nullum officinale medicamentum ei par sit, si de ferventi adhuc musto uvis maturis post calidam tempestatem iterum bibat, labitur in Dysenteriam aquosam totum corpus exinanientem, & sic sanguis non qua sanguis, sed sub specie aquæ cineritiæ dissolutus erit, neque ob tantam partium tenuit. tem vasis Meseraicis contineri potest, hinc patet vis succorum fructuum Horæorum maturorum, qui quam maxime abstergunt, pingue solvunt ut facile exeat, ergo si moderate assumantur, patet quantum abstergeant vi sua saponacea, sic Oxymel sumitur ab *Hippocrate*, quod est optimum, nil magis Causticum esse scimus, quam oleum Cinnamomi Zeylanensis, si hoc oleum attingat labia, ea tumefacit & inflammat, idem facit oleum Caryophilli vel Nucis Myristici vel Piperis, quia sunt acria & aromatica, hæc ergo per saponacea sunt corrigenda, sic bilis est optimus sapo, Sal Volatile Oleosum bene præparatum, Saccharum, Oleosaccchara, mellita vel ipsum mel, succi Horæi maturi, hæc sunt lixivia saponacea; sed debent simul esse acida saponacea, sic acetum saccharo permistum est optimum.

℞. Aquæ

℞. Aquæ Hordei ℔ iv.
Oxymel simpl. ℥iv.
Rob Sambuci ℥iv.
M.

Bibatur quavis hora ad uncias duas calide, & superatur malum, in hoc casu ægri sanguis est diluendus maxima copia aquæ, ita ut in urina non amplius sit oleum rubrum, quod ipsi urinæ conciliat ruborem, hinc aquosa magna copia pota hæc olea ex sanguine educere debent.

Demulcendo. Nam oleum omne aroma mitificat; hæc tamen sit certa regula in Praxi, homines febricitantes si macri sint, optime curantur per Emulsiones ex oleosis, si autem ægri sint obesi, optime sanantur per blanda gelatinosa ex Horæis.

Blanda gelatinosa fiunt ex Vegetabilibus & animalibus, ut seminibus Pomorum Cydoniorum cum aqua temperatis & decoctis, ita etiam ossibus, ungulis, membranis &c. decoctis, si itaque videamus alcalescentia nimis assumpta, ut notum illud est vulgare peccatum per totam Europam assumendi Sal Volatile Oleosum aut Sal Volatile Oleosum Cornu Cervi, nam memini me vidisse inter Magnates multos, qui inter prandia his semper utebantur, his factæ sunt semper magnæ Hæmorrhagiæ & inflammationes, ibi enim aqua juvat, cui addatur leve acidum.

Alcalescentia. Nam ut aromata agunt, hinc conducunt hæc quando per aquosa diluentia, & demulcentia non possunt obtundi & per salina acida transmutari.

9. Quomodo ab his curentur ægri, dictum est

ante peculiari capite, ibi obſervatnm eſt, quod homo non ſæpius continuo poſſet edere aviculas veſcentes aliis inſectis, ut Perdices, Aquaticas aviculas Mergos, Anates aquarum, id verum eſt helluones has non diu edere potuiſſe, quin oriretur ingens nauſea, & ſæpe Febres Ardentes, ſi nil niſi talia ſine acido accipiant, tum abhorrent à cibis & eorum humores fiunt putridi. Animalia habent partes, quæ facilè putreſcunt, inter omnes vix videtur ulla pars hoc magis habere quam hepar, hinc jecinora animalium ut ſapidiſſima corpus calefaciunt, ſitim & Febrim creant, vix de hepate piſcium aliquid comedetis, quin Febre Ephemera laboraturi ſitis, hoc maximé verum eſt de illis piſcibus, qui pinguedine abundant, ut Anguillæ Decumanæ & Salmones, ſi quis nimium de his comederit, accipiet putredinem rancidam, quæ ferri non poteſt, in his caſibus conveniunt diluentia, quæ corrigunt, acida quæ emendant, oleoſa, quæ quoque emendant, ſed omnium maxime ſaponacea mellita ſubacida juvant, hinc conducit aqua cum vino Rhenano, ſpiritus Salis, Nitri, Cremor Tartari, hæc cura priori 6. 7. contraria eſt.

10. In Inſtitutionibus videmus, quod, quo ſtomachus plus repleatur, eo plus contrahatur, & plus claudantur orificia, hinc retinetur cibus, & toto ſtomacho tumente, per arterias Gaſtricas lien & hepar non eſt libera circulatio, pondus quaſi ſentitur, & circulatio ſiſtitur; ſi hoc producat Febrim, ſtomachus ſtatim eſt diluendus aqua tepida cum melle vel parum ſacchari, poſtquam cibus ſic dilutus tranſit, ſentimus ſæpe dolorem Inteſtinorum. tunc morbus eſt ſolutus, & materia ſtatim deturbatur per al-

alvum. Lardum blandum per sex horas in stomacho retentum regurgitabit æger speciе urentissimi Caustici. Hæc est Febris Ephemera, quali pueri laborant, cum convivati semper sequenti die laborent Febri, quando putrida fames ventriculum constrinxit, hinc putrescens chylus vasa Lactea ingreditur, curantur tales Febres maxime dilutione aquæ tepidæ, postquam dilutio facta est, inedia fiat, tum ventriculus vomitu solvatur, ut & alvus clysmatibus, vel sale Polychresto ad dragmam unam, si priora non juvent, tum danda sunt Vomitoria, quæ post sesqui horam vel bihorium agunt cum violentia, quæ ex Cupro optime fiunt v. g. sumatur Vitrioli ad albedinem Calcinati dragma una, diluatur in syrupo quodam, & citissime bibatur, vomitum ciet, aut si hoc non satis cito operetur, sumatur viridis aëris granum unum vel duo in syrupo Violaceo, inde statim vomitus excitabitur, at in hoc est illud incommodum, quod sapor horridus diu maneat in ore, in *Materia Medica* descripsi ea, quæ hic conducunt, & quæ sunt optima scilicet lenissima vomitoria, quæ diluendo & nauseam faciendo agunt. Hic observandum est, quod in his casibus homo vomitui se assuefacere non debet, nam inde pessima mala oriri possunt, vide Tractatum meum de *Domino de Wassenaar*.

Solutione alvi. Accidit sæpe, quod per magnam copiam ciborum ventriculus dein evacuatus nulla arte restitui possit, & sæpe maneat Paralytica distentis nimium ejus fibris; unde si videmus homines queri de incommodis hoc subsequentibus, ut Lienteria &c. semper cogitandum est, an hoc inde ortum sit, hinc tum

opus

opus eſt inedia & ſolutione alvi ut fibræ ventriculi tempus ſe reſtituendi habeant.

11. *A potu.* Hæc Febris vocatur Crapularis, Febris Ephemera, Synochus facta, quæ toties in Synochum putridum abit, uti patet in hominibus laute viventibus.

Fermentato, id eſt, omni genere liquoris vegetabilis, qui per fermentationem ſic mutatur, ut det liquorem oleoſum aquæ miſcibilem & in igne flammam concipientem, hinc hic ſolum putamus fermentata ex ſuccis uvarum, non enim differt, ipſe præparavi vinum ex duodecim diverſis generibus, unde Alcohol eduxi, ut ipſe diſtinguere non potuerim, ſic ex Fabis, Piſis, fructibus Horæis, vino, melle &c. ſemper idem eſt, qualiſcunque ſit, ſemper eſt acris, nullus enim tam blandus quantumvis ſit leviſſimus, quin oculo infuſus dolorem faciat, ſed majorem vel minorem prout magis illius mordentis vel comburentis Alcoholis adfuerit vel minus.

Fermentante. Hæc Febris eſt pejor, ſi muſtum recens magna copia ingeratur, inducit Febrim, quæ diu durat, qui eſt fermentans quod emittit tunc temporis aliquod venenum, & ſi hoc cerebrum afficiat, tum in pauca copia hominem ebrium facit, ac ſi magna vini copia feciſſet, ſic ſi quis bibat cereviſiam dictam ſalientem (Belgice *Bottelbier*) paulo poſt gula eructat vaporem, qui ad nares veniens facit ſpeciem temulentiæ, quam ferre non poſſumus, ſi vapor exhalantis cereviſiæ fermentationi poſitæ excipiatur, aliquando homo moritur, vel fit Apoplecticus. Sic ſunt exempla, quod quidam vir introiens cavum, ubi vinum recluſum erat fermentans, ilico Apoplecticus

ce-

ceciderit, postea memoria ei labefactata omnes sensus amiserit, ita vaporem per nares usque ad cerebrum attraxerat, alii uno momento necati sunt, si dolium fuerit amplum & spiraculum exiguum & mustum vel vinum maxime fermentans tum occiditur; cum tamen hi spiritus si adhibeantur, moderate languentes vires refocillent, & vitam jam jam defecturam excitant, at si his abutantur, Febres indomabiles producunt; *Cornaro* scribit *in suo tractatu de sanitate* se fuisse ætatis centum annorum, sed cum defecerint ei vires se nullo remedio labescentes vires restaurare potuisse, quia vinum suum annosum evadebat, quod tum potabat, sed si Autumno novum vinum accederet, quod erat defæcatum, tum vires restaurarentur & accedente Vere rursus labefactarentur, sed Autumno rursus restaurarentur, hinc videmus differentiam fermentantis potus.

Acido. Ut vina Mosellana, Rhenana sunt acidula postquam efferbuerint, mustum quidem est æque dulce ac est vinum Gallicum vel Hispanicum, sed post fermentationis actum acescunt. Si ægrum debes curare, qui valde deditus est ad spiritum vini & alia spirituosa, non debes te festinare, ut statim omnem potum suum adimas, sed sensim corpus assuescere debes ut hoc carere possit, nam si des aquosa, oritur Hydrops, hinc nil melius est quam sensim illum subducere, & tandem penitus tollere, hæ Febres curantur abstinentia, potu aquæ, lenissimis acidis, nitrosis, salibus, maxime illis mellitis & saponaceis, ut conserva Cydoniorum, Rosarum Rubrarum, Rob de Ribesiis, de Sambuco, de Passulis, Rob, quod fit ex succo

ſucco Uvarum, hæc cum Sapa, Muſto, Syrupo, Saccharo vel Melle miſta optima detersiva evadunt, quoniam Magnates his Febribus à lautiſſimis epulis contractis decumbunt, ſic curamus has Febres, ſi modo attendamus, an materia ſit in inteſtinis nec ne, ſi hæreat, do diluentia aquoſa, addo ſimul, quæ gratiſſima ſunt v. g.

℞. Aquæ puræ ℔iv.
Succi Limonum ℥iij.
Syrup. Violar. ℥iv.
——— Roſacei ℥j.
M.

Si bibat de hoc potu unciam unam vel duas omni bihorio ſolvitur ventriculus, diluitur quod hæret & acrimonia ibi mitificatur per oppoſita, ſi vero tum anxietas maneat, vomitus excitandus eſt, incipiat Medicus cum Oxymelle Scillitico, ſi hoc non juvet, detur Vitriolum album, vel Gilla Theophraſti, ſi tum Febris maneat, eſt ſignum, quod chylus acer & putrefaciens non modo ventriculum obſederit, ſed ſanguini ſe commiſcuerit, inſtituenda tum eſt Venæ Sectio, danda Purgatio mollis, clyſmata lenia & ſic curantur, tales Febres ſic Apoplexiam inducunt (à Febri Crapulari Apoplexia oritur) quando nimirum cibi ventriculum ſummopere extendunt, Pylorum conſtringunt, Aortam comprimunt, ſanguinem ad caput pellunt, orietur levis Febris, fit Apoplexia, legite, quæſo, *Clariſſimum Wepferum* de Apoplexia, quando nunc à crapula omnis circulatio quaſi deſinit, & perpetuo ſomno quaſi ſepulti ſunt ægri, cogitate, quod a ventriculo nimis repleto

to nimia pressio fiat ad cerebrum, hinc sanguis est subducendus, non in primo initio vomitorium est dandum ob vasorum ruptionis metum, sed tantum post Missionem Sanguinis, tum clysmata injicienda sunt acria, bis, ter vel quater de die, quando tunc manet absterfio purgantia dantur nondum vomitoria ob causam dictam, nam si in hoc casu vasa in cerebro rumpantur, omnes ægri periculo laborant, sæpe enim sequenti die post crapulam sanguis naribus eluitur, si hoc intra Cranium contingat, Apoplexia vero sequetur.

Ægri, qui à spiritu Vini Febrem acceperunt, felicius curantur, quam qui à spiritu Juniperi, & hi facilius, quam qui a spiritu Anisi, quo enim spirituosum oleosum & magis aromaticum, eo difficilius eluitur ex sanguine.

Oleoso. Sic spiritus adeo familiaris, qui destillatur ex baccis Juniperinis (Belgice *Genever*) vel spiritus destillati ex semine Anisi, Carui &c. sunt omnes pessimi, non solum fermentationem inducentes, sed tenacitate oleosa, & calida Inflammatione inextricabiles producunt Febres, sic, si quis spiritum Anisi biberit quadam majori dosi, ad minimum per tres dies febricitabit cum summo capitis dolore, & hac ratione oriuntur Febres cum Delirio & calore indomabili.

Aromatico. Ut Aqua Vitæ Matthioli, Spiritu Carminativi Sylvii, Aqua Magnanimitatis dicta &c. vulgo Cordialibus, quæ habent pro basi aromata maxime calefacientia, Orientalia & Occidentalia, pro condimentis spiritus vini, qui primo nocent suo oleo, secundo, spiritu, tertio, illo Caustico, quod minima copia adest aro-

aromaticum dictum, hæc omnia sunt pessima si nimia assumantur copia.

Acrimonia. Febris inde orta vocatur Crapularis, hæc maxime sunt vitanda in ætate juvenili & virili, vidi enim nobilem juvenem hisce adeo inclinatum, ut totus tremulus capite ad genua spasmodice contracto ab hoc spirituosorum usu in flore ætatis exstinctus sit.

12, Hic maxime est invigilandum Medico, metus enim est futuræ insaniæ, raro enim oritur Febris à vigiliis ultra modum protractis, quin subsequatur Mania, præsertim Æstate, sic vidi nobilem juvenem Studiosum; qui cum Æstate vigilasset aliquamdiu studiorum suorum culturæ & casu amici ægroti, paulo post furiosus evadit, non nisi longo tempore difficillima arte curatus fuit, simulac hæc cognoscuntur, Medicus debet hunc ægrum tractare ac si nimio motu facto Febrim accepisset, unde liquidissimum dissipatum & crassissimum fixatum fuit, hinc ille morbus est tractandus per Emollientia, Diluentia, Laxantia & corpus replendum tali materia molli facile digerenda, balnea sunt adhibenda, fotus instituendi, subaquosa, acidula & subpinguia danda sunt, tum quies imperanda, si vero natura sua non ducatur in somnum, tum decocto Hyoscyamo corpus prius bene est humectandum, postea Opiata in vino soluta sunt porrigenda; aër sit satis frigidus, dentur Emulsiones v. g.

℞. Aq. Hordei ℔iij.
Spirit. Salis Marini ʒij.
Rob. Ribesior. ℥iij.
M.

ſi de hoc medicamento æger bibat viginti quatuor horas, curabitur.

13. *Excrementis.* Hic debemus omne præjudicium deponere & ſolidum retinere; ſi multi hodierni Medici Practici viſitantes ægrum audiunt; quod intra duos vel tres dies non ſatisfecerit naturæ, ergo dicunt, neceſſario debet ſequi Febris, ſed falſa eſt hypotheſis; vidi ſæpe in morbis tractandis Medicos, quibuſcum conſulebam, urgere illud, non depoſuit alvum, ergo neceſſario inde febricitat, ſed ſimilia nunquam curo, niſi quatenus emollire debeam locum nimis conſtrictum, non autem fæces; hic omnia irritamenta nil boni faciunt, obſervavi enim ſæpius quod illa materies, quæ depoſita eſt ad inteſtinum Rectum non eat ad ſanguinem, ſed flatibus excernitur & manet integra, ſi fæx ſit iners. Omnes fere Britanni & Batavi, ſi Italiam petant & per loca illa montana peregrinentur, ubi fit maxima perſpiratio, intra octo dies alvum non ſemel deponunt, interim ſunt tunc temporis ſaniſſimi maxime voraces & nil mali ſentiunt, ventres non tumeſcunt. Febris nulla eſt præſens ſed ſi naturæ ſatisfaciunt, deponunt fæces craſſiſſimas, ſaniſſimas, ſonoras, ſi in quoddam pavimentum dilabantur; hinc ſi corpus conſuetum eſt ſæpe alvum deponere tum conſuetudini eſt ſuccurrendum tali modo

℞. Aquæ puræ calidæ ℥vj.
Mellis Albi ℥ij.
Nitri Puri ʒj.
M. F. Clyſma.

quod maxime ſolvit; omne quod ſolebat à cor-

corpore evacuari si intra corpus retinetur, retentum fit acre, acre factum excitat Febres, cum nunc illa fomes intra sanguinem non tam facile eradicatur quam si à causa externa sit, advertendum est qualis materia sit; verum inter omnia retenta nil perniciosius est quam urina, quæ stagnans putrescit, sanguini noxam infert, pessimaque mala producit, sic quoque ex Lochiis Puerperarum retentis oritur pessima Febris vel ab Hæmorrhoidibus retentis.

Alcalina. Etenim fæces raro acescunt, sed putrescendo alcalescunt, de salivosis sanguineis purulentis, spirituosis, urinosis, sudoriferis nemo dubitabit, quin alcalescant.

Acida. Ut in debilissimis hominibus & in infantibus, quorum fæces excretæ acidum spirant, cum omnia, quæ assumunt ex sua natura in acorem vergunt & nutrimentum illud ultra tempus in ventriculo retentum potest eo usque acescere, ut post summas Convulsiones infantem occidat, si lac nimis diu retineatur in mulierum uberibus, acescet, & tum oritur morbus quasi ab acido.

Oleosa. Oleum nostri corporis fit acerrimum, ubi degenerat, certo sales nostri quando summe acres sunt facti, tamen tales acrimoniam habent, quæ à puncto calefaciente statim excutitur, adde quod per aquam dilui possint, hinc non tam nocere possunt ac olea rancida, nam omne oleum hebet acrimoniam fixissimam, quæ nec aqua eluitur nec calore excutitur, hinc corpora, monente *Hippocrate*, quæ habent multam olei vim, emergunt ex Febribus Ardentibus, tum enim fit in nostro corpore pessimus stimulus vix tollendus, nunquam sal putrescit sine oleo, nec oleum, quin sal etiam putrescat,

cat, hinc humores noſtri degenerantes in alcali plerumque degenerant in ſalem oleoſum ſaponaceum. Si ſoleret excerni pingue in nobis, ut pinguis bilis, pinguis fœx alvi, pinguis urina ſi retineantur, fit Febris; hæ Febres Sapone Veneto optime curantur.

Saponacea. Non potui hactenus ex animalium humoribus producere purum ſalem, ſed ſemper oleo miſtum, cui alcaleſcens adhæreſceret, quod eſt verus ſapo. Si oleoſa ſint ſola, tunc difficillima eſt curatio, ſed tunc ut fluxilia reddantur, neceſſario ſaponacea ſunt adhibenda; hæ Febres ſunt valde periculoſæ, *Hippocrates*, dum in his occupabatur, ſpectare ſolebat Menſtruum, Sanguinem Hæmorrhoidalem, aut qui in ulceribus reddi ſolebat; ſi in morbo acuto hoc oleum rancidum & acre redditum faciat Febris cauſam, tunc nulla aquæ copia hoc ſolvere poterit, niſi ſapo cum aqua ſit miſtus, tunc materia, exibit per urinas.

Hæc reddenda fluxilia. Si tenacitatem nimiam habeant, nocebunt loco, hinc prius debent eſſe cocta, id eſt, mutata ut libere per noſtrum corpus fluere poſſint, hoc non facit aqua, quia humores lenteſcunt ſub ſpecie olei, ſed oportet ſales ſaponaceos adhibere, qui diluti in copia aquæ, hinc Mel, Caſſia, Manna, Oxymel, ſyrupi, omnes ſucci expreſſi baccarum cum ſyrupo corticum Citri & Sacchari tantum boni faciunt.

Lubricandæ. *Hippocrates* dicit, ſi materiam oleoſam velis educere, debes vias lubricare, quod fit per clyſma, potus farinoſos & nitroſos, quibus omnibus totum, quod impediebat, laxari, vel auferri ſolet.

Emissaria. Si per alvum velis subducere, da clysmata, si per Vomitum, adhibe potus lubricantes, si per vesicam, adhibe semi-cupium, si per balneum, vasa laxa, si per Hæmorrhoides, debent foveri donec sponte fluant, vel pessulis ex Aloë & Melle cum super assumpto levissimo purgante, his nihil juvantibus hirudines applicandæ sunt, & tum quando fluunt Hæmorrhoides, ægro supponatur vas aqua tepida repletum.

Vires. Ut dicit *Hippocrates* cocta si subducere debeas, debes prius illa fluxilia reddere, cocta quæ ducere debes, debes ducere per vias convenientes, has reddere lubricas, & si tale quid movendum sit move, id est, stimula vires, 1. Attendendum est Medico, an materia sit potens fluere, hoc te docet urina, si in ea apparent discedentia, & postea quæ parum quieverint subsidentia deorsum, jam tempus est requisitum, quæ materies moveri potest, tunc enim est mobilis, ergo viæ erunt aperiendæ, si natura jam languescat, quamvis materia sit præparata, & viæ apertæ sint, materies tamen sponte non excernetur, proin fibræ motrices stimulandæ sunt, sic, si quis ardore febrili laboret v. g. vel alio morbo, in quo quid est movendum & prima die apparet urina flammea, non subsidens, secundo die eodem modo se habet, tertio die obscuri quid in eo apparet, tertius dies est index quinti, ergo quinto die urina subsidebit, & hypostasis quinto die redditur, urina crassas separatas fæces ad fundum deponit, tum parata erit materies, leniter fricetur æger, ducatur in balneum vaporis, componat se ad lectum, sumat haustum vini & sudet, tunc liber erit, si materies vergat ad vias Uriniferas, hoc

co

cognoſcitur, ſi dolor circa lumbos fuerit, & Stranguria in mingendo, tum ilico dabo Radices Graminis, Petroſelini, Fœniculi, fomenta applicabo ad pectinem, perinæum, lumbos, clyſma lene injiciam fovens has partes, ut materia ducatur huc verſus, & æger liber erit à ſuo morbo; ſic ſi materia concreta fuerit ut in Hypochondriis virorum, ventriculis infantum in caſeoſam materiam, aquæ ſaponaceæ & ſales iidem hunc morbum optime reſolvunt, ſic v. g. ſumi poteſt Sapo Venetus cum vitello ovi in jure carnium pro acidis, in lacte pro alcalicis; hæc eſt cura generalis Febrium aliter quam vulgo in ſcholis traditur, ſi ſit ab acri ingeſto ſtimulus tollendus eſt. Hic tamen cum ſumma prudentia excitanda eſt paulo major circulatio vel ſudor, nam ſi tunc cutis non ſit laxata, regurgitat materies in vaſa interiora.

§. 606. Si hæc omnia ſimul fiant, tum liquida ad partes per meatus adducta facile exeunt; ſi homini, qui aſſuetus eſt omni menſe per Hæmorrhoides ſanguinem evacuare, hoc ſubito retineatur, tum ſanguis retentus iens verſus cor inducit Cacochymiam & producit Febres Cachecticas, quæ tendunt in mortem, licet Medicus omnia agat, ſi hanc viam non inſtituat, nil efficiet, hinc Medici eſt officium, ut inquirat id, quod retentum eſt, ut illud ſolvat & aperiat.

Impactum, vide *caput de Obſtructione.*

Obſtructum ſi quid in organis Sudoriferis retineatur, tum hoc compreſſo Febris manet, cutis ſqualIet, totum corpus æſtuat præ igne & ardore, & quo plura tunc dantur Diaphoretica, eo minus proficitur, ſed repleatur corpus aquoſis ſubacidulis, nitroſis, ſic diluetur materies,

vasa laxabuntur, quo facto, vide an Plethora peccet, & si vasa quædam comprimantur, Venam seca, si non prosit, deduce in balneum vaporis, tum componat corpus ad lectum modicis stragulis tectum, ut sudet. Vide *caput de Rigiditate Fibræ.*

Balneo. Hoc patet præsertim in calcinatione Spagyrica Cornu Cervi, quod optime solvitur per aquæ vaporem & melius quam si coqueretur in aqua.

Fotu. Dum balnea petimus, vaporem aquosum pulmone haurimus.

Frictu. Postquam fotæ & emollitæ sunt partes, tum frictiones multum juvant. Balneum immersivum non tantum prodest quam vapor aquæ tepidæ, adde quod pars immersa aquæ comprimatur multo plus quam cæteræ partes in aëre positæ, cum aqua sit ad minimum octogesies & quinquies ponderosior aëre.

Abrasione pilorum. Quia eorum vaginulæ tunc abrasæ ad sua extrema facilius perspirant, & tum oritur manifesta syntaxis nervorum. Nulla est pars corporis magis unctuosa quam facies & caput, quia verum oleum, ut oleum transudant, ne capilli in capite crispentur, & ne desquammetur Epidermis in facie, si homini jam pili in capite abradantur & caput tunc lixivio fricetur, ut sic expediantur pori, mirabilis contingit mutatio, ut *Sydenhamus* observat, qui dicit, se nunquam audere dimittere hominem, cui initium Phrenitidis aderat vel futurum prævidebat, nisi abraso capillitio, & sic mutatio facta fuit, quam nullis potuit impetrare medicamentis.

§. 607. Sæpe accidit, ut hominibus qui minus sani sunt (ut *Hippocrates* dixit, quos homines

mines luctatores vocavit) accidat causa, quæ sanguinem rarefacit, tum vasa extenduntur ita, ut vita labefactetur, quod ex signis Plethoræ cognoscitur, inter causas sanguinem rarefacientes nil est magis, quam calor, & post calorem spiritus vel Alcohol vini, tum Venæ Sectio est instituenda, ut superfluens copia sanguinis dimittatur, tum vasorum pressio minuitur, *Helmontii* objectio non meretur adduci, qui dicit bonum virum nunquam Sanguinem mittere, sed laniones; non autem considerasse videtur id, quod res non habet, arte nostra possunt oppleri, ut urgens liquidum proximi generis comprimat intercepta tam arteriosa quam venosa, si hoc factum sit, quæ methodus est, ut ille morbus tollatur, nisi ut minuatur sanguis, qui simulac bene diminutus est, facit, ut detumescentia vasa liberum fluxum habeant, & non scio ullum remedium esse præter hoc in hoc casu. Videmus quomodo Febris tolli possit per causam, quæ per stimulum faciebat Febrim, & consideravimus, quod hæc causa inveniri possit, exceptis paucis casibus, ubi scilicet Divinum *Hippocratis* seu Sacrum Sideratum Pestilentiale hæret, jam videbimus quanam ratione Febris sit curanda, quatenus habet obstaculum, nam in omni Febre est causa Physica, quæ cor celerius facit contrahi, in omnibus fere oritur causa resistens, ne humores ex frequenti contractione expulsi æqualiter distribuantur, hoc est, sine resistentia; hinc impossibile est curare Febrim per solius stimuli ablationem, sed sæpe debemus Febrim curare per ablationem impacti; hinc omnes Medici putant, quod Febrium curatio consistat saltem in ablatione stimuli, ergo tantum quærunt medicamenta, quæ stimulum tol-

tollunt; hi tamen non sunt tam prudentes ac *Hippocrates*, nam si Febris à solo stimulo, tum optime faciunt, sed si Febris ab alia causa excitetur cum molestia, ut oriatur major contractio, tum hoc sedari non potest, nisi causa auferatur, hinc bene spectare debemus; quomodo nunc Febris ex copia stagnantium orta tolli debeat, heri vidimus; corpus enim potest esse perfecte sanum, sed corpus quod in perfecta ἀκμὴ est, est in periculo, nam natura vel sanitas non fert, ut in meliorem statum eat, sed it in pejorem, hinc sæpe ex bona Plethora Febris oritur, si hæc adsit, ut ex signis cognoscitur, sola Missione Sanguinis tolli debet Signa Plethoræ cognoscimus, si homo vixerit in summo otio, vita beata, victu opiparo; si habeat humores blandos &c. tunc etiam si videamus magnum calorem externum, qui tamen sæpe non apparet, quia suffocatio vasorum ad cutim sæpe hunc calorem tollit, vide *caput de Plethora*.

Comprimuntur. Quando arteria major est duplo latius dilatata vasa minima accumbentia, vel ejus tunicas constituentia comprimuntur, ita ut nil transmittere possit, nam vasorum majorum dilatatio est minimorum suffocatio.

Fluorem. Plethorica corpora incipientia habere Febrim statim calidiorem habent sanguinem ergo rariorem, proin Plethora augetur, si jam illa adeo distendat vasa majora, ut per vasa minima impediatur transitus, videtur ipsi deesse nihil, verum Medicus hoc advertens debet Venam secare, licet postea æger febricitare incipiat, tunc vulgus imperitus dicit quam male ipsi cessit hæc Venæ Sectio, Febrim enim induxit, quæ antea non aderat, sed hæc Febris suffocata

focata produxisset Apoplexiam, ut eleganter observavit *Sydenham*; dein *Hippocrates* in 1. Aphorismo Sectionis 3. sed prudentes Medici debent amicos monere, vel optima sua arte redduntur sæpe infames, & dicere, quod metus sit, ne suffocetur æger, sed quod certum sit, Febrim post Venæ Sectionem superfuturam, quæ antea suppressa fuit, jam sanguis libertatem fluendi nactus velocius ducetur, sic habui Plethoricum, qui vinum usque ad temulentiam biberit, ipse domum redire nescius pedibus non satis firmis debuit domum reduci, ego cito advocatus exploravi pulsum hominis (quem sæpius admonueram sibi cavendum esse præsertim Ætate) adfuerat Chirurgus, qui ipsi ultra decem uncias sanguinis detraxerat, præsc ibebam tunc diluentia clysmata & laxantia, & paulo post iterum Vena Secta fuerat, vocabar ilico, nam res erat, ut inquiebant summi momenti, tunc vidi sanguinem usque in subligacula fluxisse, ut totus quasi nataret in suo sanguine, natura affectante hanc viam, & morbus fuit solutus, alter talis post Venæ Sectionem passam accepit Hæmorrhagiam narium, & hac ratione fuit sanatus; hinc pessime faciunt Medici, qui meticulosi differunt curam, nam tum arteriolæ in cerebro rumpuntur, & sanguis effusus ventriculos opplens Apoplexiam inducit, ut eleganter *Wepferus* observavit.

§. 608. Secundo hæret aliquando causa Febris non in materia sed in vasorum contractione, & hoc Febrim facere potest, si homo nunquam assuetus frigori, sed tepidus ex suo Musæo, fornace & igne instructo subito frigori vel aquæ frigidæ exponatur, ibi nil fit, nisi quod frigus se applicans faciat corpus solidius, contractius

quam ante, hinc in hoc homine frigus externum, pulmones & cutim externam contrahet, hoc eſt, ſanguis pellitur ab exterioribus in vaſa interiora, ergo hoc erit obſtaculum ſequenti contractione, & illud erit Febricula, uti hoc in Rheumaticis Febribus verum eſt, nam fibræ noſtri corporis plus poſſunt contrahi, ut oriatur obſtaculum, hinc attritus, ergo excitabitur calor, ſic ut nunc hoc à frigore ita per Spaſmum quoque fieri poteſt, nam omnes fibræ ſunt muſculi, hinc minima fibra circumducta eſt æque muſculus ac muſculus alii parti circumductus vel ori vel palpebris vel veſicæ, nam omnes ſunt muſculi, omnes folliculi glandulofi Sphinctere arctantur, ſic omnes corporis partes, ſi nunc obſtaculum hæreat in quadam parte, vel in contractione ventriculorum &c. tum licet humores ſint ſaniſſimi, poteſt oriri Febris, vide *Caput de nimia rigiditate vaſorum & viſcerum*; ſi aliquis Aulicus à Principe repulſam patiatur, anhelabit, palleſcet, & paulo poſt incidet in Febrim violentam, hoc fit ab animi pathematibus, bibat talis potus Coffe affatim, decoctum Hordei cum magna copia ſacchari aut mellis ad pocula quadraginta ſeu quinquaginta, potus Thee adſtringit, hinc hic non prodeſt. Rogabis quomodo ero certus, quod in febricitanti à tali Spaſmo & contractione oriatur malum? videtur cognoſci, quando corporis extrema calent, ſicciſſima ſunt arida & dura, tangite corpus ruſtici febricitantis, videbitis manus ſcabras & aſperas præ ſiccitate, hic ſanguis non eſt craſſus, ſed fibræ ſunt contractæ, uti in omnibus hominibus, qui valde laborant, in his morbi ſunt peſſimi, uti etiam *Hippocrates* dixit.

Ar-

Arctatas. Si homo valde æstuans exponit nudatum corpus aëri frigidiori, vasa ejus ultima contrahuntur & fiunt tubercula cutis Anserinæ instar, id est, instar Gallinæ deplumatæ, quod materia in ultimis orificiis stagnet, docet cutis Anserina, vasa contracta nil transmittunt, omne commercium inter aërem & corpus intercipitur, & omnia vasorum orificia spasmodice contrahuntur, augetur obstaculum & Febris suffocata est, quæ ex urina pauca flammea totoque sanguine sicco scitur.

Laxatis. Nullum remedium pulchrius est in Febribus ex ariditate cutis ortis, in quibus has contractiones maxime metuo, quam exponere nudum corpus tepido vapori aquæ calentis, ut illa Atmosphæra tantummodo corpus alluat, nullum, inquam, tam præsto unquam novi in hoc casu remedium, pedes vero suos imponat æger aquæ calidæ, & corpus externe levibus linteis tegatur, ut ab externo frigore liberetur, sic optime laxantur vasa, viscera liberantur, diluitur, miscetur & solvitur materies, & illud simplex medicamentum est tanti momenti; ut si negligatur, ante tempus æger moriatur; hoc etiam ipsa natura facit, nam an natura non solvit morbum per sudores, quando homo in animi Deliquium cadens ad se redit, tum intensissime sudat quasi ab humore advecto, sed in eo errant Medici, qui externe volunt madefacere per sola ingesta, quod fieri non potest, non enim datur exitus, & motus est adeo violentus, ut Gangrænam producere possit, deinde mane & vesperi clysmata aquosa injiciantur, & potus aquosos laxantes hauriat æger, ut farinam Avenæ in aqua coctam, tandem in pelves aqua tepida plenas manus dimittat, spongiæ

aqua tepida madidæ ponantur ad Poplites, ad Inguina, ad Tempora, ut sint in perpetuo balneo.

Acri. Ad venena quod attinet, observavit *Wepferus* in tractatu de *Cicuta Aquatica*, quod ubi animal frustum radicis Cicutæ Aquaticæ deglutit omnem sensum amittat, simulac vero illud frustrum evomit, cerebrum iterum liberum accipit, in his & similibus casibus infundatur aqua tepida, cum multo melle per infundibulum ex corio confectum, quod uno extremo ad ventriculum hominis aut animalis pertingat. Qui unum granum Arsenici assumpsit, in ventriculo stimulum accipit, qui rodit & spasmodicas edit contractiones, quibus natura Arsenicum expellere tentat & per humores, qui per violentum Spasmum copiosius affluunt ad ventriculum abluere, hæc actio ab Arsenico orta est naturæ conamen, ut compesceret Arsenicum in corpore latens, idem verum est in Febribus de stimulo supra dicto, si autem Arsenicum præterlapserit, & in intestinis hæreat, tum hæc contrahuntur & ita inflammantur, ut fere crepent, neque ullus dimitti potest flatus, ob viscera Spasmo affecta, conducunt autem in similibus casibus oleosa recens pressa, blandissima aquosa, sic hominibus, qui venena intra assumpserant, Febri laborabant, data fuit ilico olei Amygdalarum Dulcium libra una, & sanabantur Vomitu vel Diarrhæa, sic homini qui assumpserat Mercurium Sublimatum, dabatur magna copia aquæ tepidæ, ut ad vomitum cieretur, & hoc reiterabatur sæpius, hac ratione æger, qui alioquin certo mori debuisset, sanatus fuit. Aliqui Chemici jactitant se habere universalia remedia Febrim compescentia, ve-

rum

rum quid inde eſt? Sane compeſcendo nil agunt, ſi ſpina alicubi impacta hæreat, niſi Febris continuetur, & exulcerationem circa ſpinam faciat, nunquam excutitur. Hæc contractio fit ab acri pungente, nam v. g. ſtatim atque frigus ſuperveniat, quiſque ſentit corpus contrahi, & tum omnes ſuas veſtes magis conſtringunt, ut ſibi calorem concilient; unde videmus, quod ſimilis contractio, quæ in ventriculo contingit, in vaſculis exhalantibus fieri debeat, quando à materia acri obſtruuntur & punguntur.

§. 609. Sequitur ultimum punctum Febris, ubi viſcidum eſt, nam ubi vobis (forſan adhuc erit in memoria) explicui omnes ſtimulos, & docui, quomodo Febres per ablationem ſtimuli curentur. 2. Docui obſtacula tollere, inter obſtacula vero 1. Eſt Plethora, 2. Spaſmus ſeu Contractio, 3. Cacochymia liquorum nimis inſpiſſatorum.

Viſciditas vel *lentor in hominibus* vocatur illa *conditio Phyſica, per quam partes & elementa, quæ conſtituunt horum humores nimis valde ſe trahunt; unde concretio partis ad partem vel nimis impedita reſolutio partis à parte.* Duplex ſpiſſum eſt, quorum unum eſt inflammatorium, alterum frigidum, & Febre Quartana eſt ſummum ſpiſſum, ut tempore frigoris apparet, ſed non inflammatorium, ſed ibi eſt viſcidum, in Febri Tertiana boni humores, eſt eadem ratio viſcidi, ſed facile ſolvitur ſine Inflammatione, in Pleuritide eſt viſcidum, ſed ubi ſemel invaluit, difficillime ſolvitur, hoc eſt bene dignoſcendum, nam in corpore noſtro ſunt viſcida, quæ Inflammationi reſiſtunt, & faciunt eoſdem effectus, homo, qui Quartana Frigida corripi-

tur, habet magnam anxietatem & ingentem calorem, sed an inde unquam vidistis Inflammationem? Certe non memini me unquam legisse, quanti dolores capitis, quanti dolores pectoris adsint, sed tamen non sequitur Inflammatio, ergo hæc duo spissa differunt scilicet inflammatorium & frigidum.

Vis Febris. Forte dici licet hoc unicum esse remedium, nam tota ratio resolvendi materiem impactam est vis vitæ superstes suscitans majorem motum ad resolvendum obstaculum, si natura sit adjuta remediis, quæ sunt sales, sapones & aqua calida. Febris ita est excitanda 1. Ut sit tanta, ut resolvere possit, 2. Ut sit tam parva, ut illa non plus corpus lædat, quam nunc est læsum, ergo vis Febris tanta est facienda, quanta requiritur ad causam coagulantem vel lentam dissolvendam, & quod hoc facit, vel sola Febris. Hæc res plane se habet, ut quod ante monui in despumatione carnium, si enim ebullitio sit segnior, non satis ejicitur spuma, & nimia ebullitio consumit humidum; sic etiam hic, si materia obstruens non resolvatur sponte putrescit, ergo hæc est mobilis facienda. Et optimus est Medicus, qui hoc digerere novit, hinc si impetus sit nimius primo est temperandus, nec ulla est contradictio. Vellem, ut ullus Medicus utcunque peritus mihi diceret, an curare posset viscidum Febrim faciens sine Febre, per Absynthium, radicem Gentianæ, flores Centaurii minoris, sales fixos absorbentes & volatiles, quomodo curant, dant eo tempore, quo æger non habet Febrim, hæc faciunt calorem naturalem, sed tunc est frigus; hæc vero remedia data faciunt, ut caleant, hinc videtis, quod Medicus per artem faciat Febrim ma-

manifestam, ergo primarium instrumentum earundarum Febrium, quo Febres à causa viscida curantur, est ipsa Febris, non quatenus est à stimulo, sed quatenus Febris debet curari viscciditatem solvendo. Nonnulli Medici credunt, quod per maximos motus fiat maxima divisio, sed longe aliter se res habet, nam liquidiora à nimio motu expelluntur, dissipantur, globuli vero crassiores compinguntur, si autem temperetur Febris, tum omnia liquida in suis figuris manent, ergo nimius impetus est temperandus.

Coagulum. Si omnis Febris absit, coagulum non dissolvitur, uti in mortuis patet, secundo requiritur, ut Febris non sit tam violenta, ut corpus destruat, Medicus æque peccet, qui facit, ut Febris non solvat coagulum, quam qui nimiam Febrim facit, *Hippocrates* Febrim consideravit ut naturæ instrumentum, quæ sibi soli sufficiebatur, in omnibus ad omnia, quando vero natura erat impar, augebat Febrim, quando vero natura destruebatur, imminuebat.

α. Hæc omnia à nimio impetu fieri possunt, tum coagulum non solvetur, sed condensabitur, & mucosum iners exsiccabitur & inspissabitur in tophosam materiam, ergo nimius calor nocet, audite *Galenum* bonum Practicum dicentem omnes Medici curantes Quartanam, si velint festinare curam, adhibent nimis calida, & faciunt Febres Continuas, & convertunt mucosum facile sanandum in Inflammatorium, unde subito moriuntur ægri.

Vehementia symptomatum. Puto esse verissimum, quod nullum symptoma Medicum tam certo doceat de ingenti vi, quam fluida in vasa exercent, quam calor, si sit calor longe major

quam hominis ſani, tum fit Febris, albumen ovi & ſerum ſanguinis in calore noſtrum non ſuperante ſolvuntur in ichorem, ſi vero calor fit major, concreſcit in materiem ſciſſilem, ſi ergo calor inſurgat vel in parte, ubi Febris, vel in toto corpore tum Febris eſt nimia.

Caloris. Aquæ ebullientis calor omnem vivam partem noſtri corporis impoſitam Gangræna afficit, idem patet fieri in interioribus, ſic puer quidam Rapam ex ebulliente aqua captam volebat aſſumere, verum illico parente adveniente deglutiit, & miſer infans paulo poſt cecidit, & corpuſculum poſt mortem apertum exhibuit ventriculum gangrænoſum factum. Quiſnam gradus caloris eſt hominis ſani? Docent hæc ex arte Thermoſcopia, inter gradum frigoris glacialis & aquæ ebullientis ſunt quædam media, ſi jam calor incipiat recedere à ſtatu ſani corporis & vergere ad calorem ebullientem, jam plus metuendum eſt de Inflammatione, Gangræna, Sphacelo, & inde ſemper ſciri poteſt, quantum de frigore & quantum de calore eſt demendum.

Vaſculorum. Si tantus ſit calor & tanta teneritudo vaſculorum in pulmone & cerebro, per quæ liquida ferri debent, tum Febris eſt nimis magna, quam ex ingenti capitis dolore & Dyſpnœa cognoſco, tum eſt nimius impetus à violentia Febris.

β, Nimio motu. Nam ab hoc ſemper liquidiſſima diſſipantur.

Siccitas narium. In naribus vaſa ſunt nuda, effumantia quaſi ſua liquida de arterioſo ſanguine, cutis enim ibi non eſt, & quidquid in naribus vides, hoc quoque adeſt in Æſophago, Ventriculo, Inteſtinis tenuibus.

Oeſu-

Oculorum. Si oculorum Canthi imo ipsi oculi pelliculis arefcentibus fordefcant, vel in lemas abeant valde ficcas. Oculi pulverulenti ut loquitur *Hippocrates*, hoc enim defignat per vafa minima non fluere Sanguinem in Febre Calida, hinc inde concluditur, hanc Febrim Acutam fanguinem fic orbare liquidiffima parte, ut difponatur ad immeabilitatem; id eft, mortem.

Gutturis. Hæc omnia funt figna, quod maffa fanguinea fiat maffa combuftilis, hoc eft, quod totum fluidum immeabile & minus fluidum fit.

Raucedo. Si membrana Laryngis exficcata fit, rauci reddimur, quæ iterum curatur, fi huic defectui fupplemus obliniendo & inungendo has partes.

Pulfus parvus. Si alia figna te doceant talem ficcitatem & talis quoque pulfus adfit, notat terribilem ficcitatem pulmonum & eorum anguftiæ, ut ad finiftrum cordis thalamum fanguis libere derivari non poffit. Omnia hæc fimul concurrentia docent fanguinem nimis infpiffatum decuffo liquidiori; humores amplius non ita funt diluti, ut ad illas partes venire poffint; fi vero hæc accedere nequeant quomodo venirent ad cerebellum ergo mors inftat, nifi præveniatur liquidiora reddendo.

γ. In hoc puncto maxime peccatur, nam Medici diu in Praxi verfati incidunt in illud præjudicium, quod femper ægros ab impetu Febris liberare debeant, hinc putant effe eligendum id, quod nimis urget, ob quam caufam inclinant in debilia medicamenta nempe Clyfmata, Sanguinis Miffionem, diætam tenuem, diluentia aquofa, & in omnium refrigerantium ufum

usum, hæc sunt optima, si Febris sit nimis magna, uti in duobus casibus præcedentibus dixi, sed mala, ubi Febris torpet, credo, auditores, quod utcunque vobis rem inculcem, tamen vos visuri estis deceptos. In summa Plethora possunt esse summæ vires, & maxime languores, fieri tamen potest, ut ægri sint valde debiles, quia nimias vires habent, hoc in Plethoricis patet, si nimis spirituosa biberint, cadunt attoniti, sed si Venæ Sectio instituatur, statim vires iterum restituuntur, si corpus nimis incalescat à Febre tendit vasa, qui tum non bene instructi putant nimis parvam esse Febrim, tum dant Cardiaca, sed pessime, ergo videndum, an languor revera adsit, nam non vidi in morbis acutis, ubi Febres violentissimæ sunt, nunquam Febrim deesse, homo sævissima Pleuritide laborans accipit pulsum durum, calet, æstuat per totum corpus, circa Intercostalia loca oriuntur Obstructiones, dein ibi materia se colligit; unde dolor comprimit omnes venas; Medicus advocatus vidit pulsum durum, nullum sudorem viscidum, hæc sunt signa languentis, si his datur incitamentum, moriuntur, si Venæ Sectio instituatur, adscendunt vires, hoc apud solum *Sydenhamum* videmus graphice descriptum ac depictum, hoc cognoscitur, si malum nec à Plethora nec à suffocatione oriatur, & omnes actiones langueant, quid vero significat? Si nullum signum Plethoræ nec suffocationis, omnia libera, pulsus liber & lentus, calor non magnus, color pallidus, subalbus, ex hisce omnibus noscitur torpor naturæ, si tamen febrilis materia & Pepasmus non adsit, ergo requirit motum, legi heteroclita scripta *Botalli*, qui dicit in Hydrope Quartana

tana Febri laborantibus conducere Missionem Sanguinis, vidi, quid Venæ Sectio faciat in Quartanis, ubi ægri ad duos menses debilitatem vix superare valebant, sed manebant ita debiles, ut vix ad se redirent; egregius *Sydenhamus*, qui tam celebre nomen in curandis Febribus obtinuit, ut Doctor Febrium nominatus fuerit, dicit nisi impetus præternaturalis sit in Febre, tum Missio Sanguinis semper reddit Febrim incurabilem vel lethalem, vel longo decursu vix superabilem, nam facile fit nimius humorum circulus, & hunc debemus ducere ad moderamen. Veteres Medici semper dixerunt duplicem coctionem, unam rei non naturalis cibi, potus &c. in naturalem quam vocabant πέψιν, alteram morbosam vocabant πέπασμον coctionem crudi morbifici in naturale coctum; signa languoris sunt, color urinæ aquosus, non ultra modum naturalem ruber (si rubicundior foret, esset bonum signum) pulsus languidus, debilis, calor nec circa vitalia, nec alia loca, sed ut in temperie frigida; hæc signa denotant malum non levatum iri, sed abiturum in morbum Chronicum priori pejorem. Chemici hic multum peccarunt in Febribus Acutis, suis principiis fulti adhibuerunt calida stimulantia, ut sunt Salia Volatilia Oleosa, &c. Galenici vero peccarunt in contrariam partem, nam Venæ Sectionem, Clysmata, Purgantia quotidie repetunt, adeo debilitant corpus ut sit in Galliis, ita ut corpus fiat tandem Hydropicum, hinc talis cura debet esse, ut nunquam deprimatur Febris usque ad sanitatem, neque permittatur, ut nimia sit & nocere possit, hæc est methodus *Hippocratis* & *Sydenhami*; hinc Febris eo est deducenda, ut

ut coagulum dissolvere & inde non destruere liquida possit.

§. 610. *Exorbitare deprehenditur.* Ut sciamus, an sint minuendæ vires ægri nec ne, tunc videndum est, an sit Febris à stimulo, an vero à materia cum solo stimulo fiat Febris, si contagium sit, ut in Variolis, sed in aliis morbis invenimus sæpe cruditates prægressas, & hæc est Febris cum materia, si Febris sit tantum à stimulo, tunc statim est tollenda sola Venæ Sectione, si autem sit cum materia v. g. si Inflammatio sit prægressa, tunc nunquam ita minuendæ sunt vires, ut minor calor fiat, quam est in sanitate. Gradus caloris potest hic optime nosci ope Thermoscopii, quæ fabricantur ab artifice *Fahrenheitio* dicto, qui nunc est in Angliis; immissis autem his Thermoscopiis in ore ægri tum videndum est, an ille gradus caloris sit sufficiens ad domandam illam materiem obstruentem comparando hunc gradum caloris cum alio gradu in ægris similibus observato, & in sanitate illius ægri, si fieri forte poterit deprehenso.

Abstinentia. ab omni, quod crassitiem, acrimoniam & putredinem facit.

Victu tenui, scilicet per solum decoctum Hordei & nil præterea, nam quod *Hippocrati* sufficit, id nobis etiam sufficit, de nutrimento hic non dico.

Potus aquæ. Aqua tepida maxime debilitat, ergo ad exstinguendum sanguinis ardorem des omni hora unciam semis aquæ, cui incoctum frustulum panis, & optime convenit ad demulcendam sanguinis acrimoniam à salibus nimis exaltatis ortam.

Aëre frigidiusculo. Aër reducatur ad calorem Ver-

Vernum. Aqua sumitur Æstivo tempore vel de puteis vel de fontibus, dispergatur per conclave ope fonticulorum, si requiratur majus frigus, solvetur in aqua Sal Ammoniacus, quod redigere potest aquam ad trigesimum tertium gradum frigoris, ita ut ab his salibus gradum primum congelationis obtinere possimus.

Animi affectu leni. Abstinendum est ob omni animi affectu, qui circulationem auget, adstantes famulantes soccis laneis incedant, nullus omnino fiat strepitus, sed sint omnia in silentio, locus sit tenebricosus.

Venæ Sectio est optimum debilitans & summum refrigerium, quidquid *Helmontius* & Chemici contra clamitent, detrahendus est sanguis, ut vasis laxitas reddatur, id omni tempore confirmavit experientia, videte *Moreum* in libello rarissimo de *Venæ Sectione in Pleuritide omni tempore admissa*, ubi quidem id solum promittit titulus, sed simul per totam Medicinam in Venæ Sectionis usum percurrit; *Helmontius* vero non fuit Practicus, sed Chemicus, Mathematicus, Philosophicus & speculator nobilis, qui sua perpetua speculatione quidem hoc illudve medicamentum adinvenit, sed non adibat ægros.

Clysma cum aqua, aceto & nitro, sed hoc tantum, quando nimius motus est compescendus, ut vult *vander Heyden* in *libro Wallonico*. Clysma optimum est aqua pura, quæ si injiciatur omni bihorio ad uncias octo vel omni hora ad viginti quatuor horas sic debilitat corpus, ut non credatis, si addatur Nitrum, Saccharum, mel, Syrupus Althææ, Mel Mercurialis, Emollientia plus debilitant, hæc toties sunt danda, ut intestina fiant laxissima, Clysmata ex sero la-

ctis

ctis & aqua acidula &c. etiam bona sunt. Medicamentum refrigerans est illud, 1. Quidquid densitatem demit sanguini, 2. Quidquid elasticitatem demit vasculis, 3. Quidquid stimulum tollit, vide lectiones *de Viribus Medicamentorum*, hæc Medicamenta sæpe evadunt frigida, quando dantur cum multa copia aquæ.

Medicamentis. Si homo robustissimus tribus diebus & noctibus perpetuo bibat aquam, erit adeo debilis, ut non sentiat vires, sic in his morbis potus aquæ est summum medicamentum. Hæc remedia sunt methodo *Hippocratica* sumenda, nempe sola aqua Hordei, si addatur Nitrum tanto melius, optimus est, si succus Horæus ei jungatur ut. v. g,

℞. Aq. Hordei	℔iij.
Nitri Puri	ʒj.
Rob Ribesior.	℥iij.
M.	

Cui adde spiritus Salis vel Nitri Dulcis, quantum sufficit ad gratam aciditatem; in hoc medicamento sunt fere omnia, quæ requiruntur.

Anodyna. Sunt 1. omnia, quæ nervos ita laxant, ut partes non amplius maneant tensæ, 2. quæ diluant acre irritans nervos, 3, quæ laxant vasa, ut materies irritans & obstruens exeat. Ista Anodyna sunt Divina medicamenta ex emulsionibus Farinaceis, semine Papaveris, seminibus quatuor frigidorum majorum & minorum, syrupo Violarum, Dialthææ Fernelii, si hæc non juvant, fortiora sunt adhibenda, ut syrupus Papaveris Rhœados, si fortiora requirantur, syrupus Papaveris Albi.

Opiatis. Illi morbi, qui oriuntur à magno impetu

petû ſpirituum raro obediunt niſi Opiatis, ſed attendendum, quod Opium tres ſemper producat effectus, 1. Quod calefacit, 2. Quod hoc calore nimio nato plus rarefaciat & plus moveat humida, 3. Quod obtundat & hebetet illud, quod dolorem facit; hinc nunquam dandum eſt Opium, niſi quando ſcimus nos dediſſe remedia, quibus ſublatus fuit nimius impetus morbi, aliter Opium nos ſemper fallet, ut accidit multis Medicis in cura Pleuritidis. Omnis æger habens materiam, quæ coctione indiget, habere debet paulo majorem coctionem ac in ſanitate, ergo nunquam æger eſt debilitandus in ſanitatem uſque; habui diſputationem aliquando cum Medicis, quando ſanguis erat miſſus, æger calebat, urina erat rubra, Medici volebant iterum mittere Sanguinem, ſed dicebam, exſpecta coctionem, ſanitas ſuperari non poteſt, metuebant calorem, quem vellent extinguere, & putabant non deſiſtendum fore, donec refrigeraverint, videtis in Gallia & Britannia idem obtinere, ergo quando Febris Acmaſtica non Paramaſtica cum materia non debemus exſtinguere, ſed ſubſiſtendum, quando fere ad temperiem ſanitatis perventum fuerit.

§. 612. Si minor ſit impetus, danda ſunt Cordialia, didici ex *Sydenhamo* quod hæc in nimio impetu ſint damnoſa, ſed bona ubi minor eſt circulatio. Si deficiat, do ſemper Cardiaca ex. gr. jus carnium, & in eo diſſolvantur tenaciſſima aromatica, ut macerentur, ut Croci grana quatuor vel quinque pro uno hauſtu, aut grana viginti vel viginti quinque Macis aut parum Nucis Myriſticæ, vel jus carnium & vinum cum aqua dilutum, tum ſit major motus, quia

hæc

hæc per suas alcalescentes partes stimulum inducunt. Potus meracior est ille, in quo spiritus fermentati plus abundant, ut in cerevisia & vino. Aër sit calidior, ira moderata sæpius excitanda, si quid jubent obloquendo &c. hoc pacto maxime promovetur circulatio.

Acrioribus. Omnia Cardiaca sunt acria; Cinnamomum est summe inflammans, uti ipsi vidistis, succus Citri est gratissimum Cardiacum, sed si sumatur nimia copia est corrosivus, ergo omnia Cardiaca sunt acria, si tamen sunt adhibenda, tum conveniunt Volatilia Acria, ut omnia Elixiria, omnes Sales Volatiles Oleosi, omnes aromaticæ, compositiones Theriacales sive Opiatæ, omnes spiritus Cardiaci sunt nil nisi aromatici sales & spiritus destillati, reliqua composita, ut Theriaca, Orvietanum, Diascordium sunt aggregatum acerrimorum aromatum, hinc nil habent plus quam vim excitandi, augent ideoque contractionem cordis & arteriarum & respirationem. Conducunt etiam volatilia, quæ sunt sapida & odorata ut salinæ, v. g. Sales Volatiles Cornu Cervi, vel fœtidæ ut spiritus Urinæ vel spiritus Cornu Cervi, vel omnia oleosa ut spiritus vini, vina fragantia &c. quæ sanguini mista, calefacta, mota propulsa, sese expedire conantur, sicque impingunt in fibrillas motrices, talia sunt omnia aromaticorum genera, ut Carduus Benedictus, Gentiana, Centaurium, Absynthium, quæ Antifebrilia dicuntur & non evadunt febrifuga nisi facta Febri, omnis Medicus debet habere remedia, quibus fiducia apud vulgum habetur, ut ægro suo pro re nata prudenter præbere possit, sic ipsæ Perlæ, Lapis Bezoard Orientalis & Occidentalis, quæ medicamenta (si pruden-

ter

ter adhibeantur) non nocent, ſic ſtimulantia grata ut ſuccus Citri cum proprio oleo Hyacinthi, confectio Alkermes, quæ tanquam ſacræ commendantur anchoræ, ut & oleum Cinnamomi, quæ omnia Febrim faciunt, hinc debemus temperata adhibere, & parvis doſibus præſcribere, & experiri an doſes præcedentes nocuerint ægro nec ne. Ruta in aqua cum pauco aceto infuſa vel cum pauco vino Rhenano eſt optimum medicamentum in hoc caſu, quia Ruta non habet partes hærentes oleoſitate acri, ut habet Abſynthium, hinc Ruta eſt præferenda huic & ſimilibus.

Fermentata ut acida, vina, ſpiritus vini, calor ſit paulo major quam menſe Majo vel Junio.

Frictione. Per hanc poſſumus Febrim excitare & ſuſtinere quo uſque volumus & omne frigus arcere. Materies oberrans in ſanguine abit fere ſemper in acutis verſus Hypochondria & ad hepar, hinc poſt morbos acutos male curatos, id eſt, materia non cocta tunc ſit Icterus, hinc optime hic præſcribit *Celſus*, ut fiant frictiones ad Hypochondria, ſed optime illæ frictiones adhibentur poſt ſuperiora præmiſſa.

Calore. Duæ hic ſunt regulæ, prima, ut calor reducatur eo tantum ut ſit major quam naturalis, altera regula, ut menſura illius caloris non debeat menſurari ex præſenti ſed ex futuro, nam v. g. ſi homo nunc ſumat vinum cum Pipere, tunc equidem ſtatim poſtea non ſentiet calorem, ſed tantum tribus quatuorve poſt horis.

Motu muſculari, id eſt, ut æger paululum ambulet; motus muſcularis eſt inter ſumma remedia, quibus motus augetur & inter ſumma re-

remedia quibus augentur ſpiritus, & qui torporem abigunt, multi putant motum debilitare, ſed moderatus motus potius auget robur, quam debilitat.

Balneis. Sed dicetis hæc debilitant, ſed movent pro eo tempore, poſtea vero debilitant, hinc frictiones ſucedere debent, ſic eleganter canit Poëta:

Debilitant vires balnea, Bacchus, amor,
Reſtituunt eaſdem balnea, Bacchus, amor.

Sed hæc balnea fieri poſſunt ſtimulantia, ut ex Abſynthio, Junipero, Ruta, Roremarino, Chamæmelo, Sabina, ſalibus, ut Sale Ammoniaco, Sale Gemmæ, Borace, Marino &c. vel ex Muria cum tribus partibus aqua hæc non debilitant, ſed potius excitant Febrim inſinuando ſe acrimonia.

Fomentis. Cum pane toſto, Vino Rhenano & aliquot aromatibus applicetur hæc miſtura umbilico. Hæc petenda ſunt ex aromatibus ſpirituoſis Balſamicis, ut curetur Febris, requiritur 1. Ut vita ſuſtentetur per victum & regimen ſex rerum non naturalium, 2. Stimulus nimius debet tolli vel reddi iners, 3. Obſtaculum, quod æquabilitatem circulationis liberam impedit, removeri debet, 4. Symptomata mitificari. Conabor ſenſum *Hippocratis* explicare qua ſibi natura ſufficiebat ad omnia, & quomodo Medicus debeat facere ne inſurgat vel nimis torpeat. Medici non credunt, quod ars tam ſimplex ſit, putant ſe aliquid agere debere, vel aliquid deſtruere, ſed hoc *Hippocrates* non fecit, explicui effectus, ſeu & quænam viæ ſint, per quas natura in mortem it, & quænam viæ ſint,

per

per quas it in alios morbos, ex his patet, quod Medicus 1. pati non debeat, ut Febris tam magna fiat ut producat Phænomena Physica, per quam mors fit, 2. Medicus debet cavere, ne opprimatur materia; de Febribus excitantibus dixi: præmisi, quod omne remedium, quod dicitur vitam excitans, quatenus languet, sit Febrim augens: adhibui experimenta, quibus Medicus mira efficiet; Cardiaca quoque explicui, omnes fere Medici peritissimi in ea sunt opinione, quod Cardiaca facerent substantiam nostram & quasi spiritus infunderent, sed non novi hoc fieri nisi in cibo & potu; omnia Cardiaca sunt oleosa stillatitia aromatum & omnia olea destillata cujuscunque aromatis si cuti imponantur, eam inflammant, & in pus convertunt instar ignis actuosi, hinc in corpore validum stimulum producunt, ergo omnia Cardiaca faciunt Febrim.

§. 612. *Quo.* Quodnam secundum sit remedium, quo vita excitatur, ut visciditas tollatur? Primum instrumentum, quo solvebatur visciditas febrilis, erat moderamen vitæ consistens in regimine impetus febrilis; secundum consistit in elasticitate restituta vel in elatere restituto, quænam est actio vasorum in corpore? unica, scilicet per quam in unam lineam rectam seu brevissimam se contrahunt; vis à vasis pendens est, dum cor pellit sanguinem, omnes illas partes varie movet seu resolvit.

Elateris. Ex Mechanicis & Physicis scimus quod omne corpus elasticum sit, quod in lineam longam se ita extendi patitur, ut se contrahat in lineas breviores, & maneat in longa linea, quamdiu causa distendens major est, sed simulac causa distendens minuitur, causa,

quæ in lineam breviſſimam it, redit, ergo in corpore robuſtiſſimo poteſt Elater abeſſe, nam ſimulac ſanguis fertur in arterias ex venis, tum arteriæ manent diſtentæ, id eſt, non habent vim, qua ſe contrahant, hoc fit in illa cauſa, ubi Febris ingens, tum viſcidum non tolli poteſt, & illæ partes concreſcunt inter ſe & non diſſolvuntur. Hinc cauſa, cur noſtri humores diſſoluti teneantur, pendet à Dyaſtole & Syſtole arteriarum. In Plethoricis corporibus derivatur ſanguis ex venis in arterias per morbos acutos & in corporibus, ubi non eſt multum ſanguinis rubri, ſanguis hæret tunc in venis, non in arteriis, ut deprehenſum eſt in cadaveribus, vide *Boneti Sepulchretum Anatomicum* ſed ſi viſciditas adſit, tunc per Venæ Sectionem conciliatur oſcillatio vaſis corporis.

Minuto. Hæc eſt ratio, quam puto valere in Medicina ad ſolvendam viſciditatem, nam quando vas elaſticum à cauſa diſtendente liberatur, tum minuuntur contactus, minuuntur quoque motus, ſolvitur viſcidum. In morbis acutis curandis totum pendet ab elaſticitate vaſorum; dixi, quod omnes arteriæ fiant venæ ipſo momento, quo cor non amplius agit, ſeu quod idem eſt, ſimulac cor non premit, tum etiam nil premit in anguſtias, ſi hoc fiat, alterne fit reſolutio; cogitate alicubi dolorem oriri circa Præcordia nempe dolorem Pleuriticum, cogitate ſimul ſanguinem demi, ut ſanguis vix cum impetu fluat, vas diſtendens manet ut ante, cauſa impellens minuitur, quod idem eſt ac ſi vas majores vires acciperet, ergo inde liquet fieri reſolutionem. Hæc neſciveram niſi excitatus exemplo *Leewenhoekii*, ſi particula una craſſior & viſcidior in minima adacta mea-

meabilis fieri poſſit, ut teratur & atteratur, vel ſic pellatur, ut veniat ad canales majores, ut tranſeat, ſi cauda piſcis fortiter prematur, erit contuſio, ſi microſcopio conſpiciatur, videbis lentum & craſſum ibi hærere ſemper minus & minus fieri, donec tandem plane evaneſcat, vel vaſa ſeſe dilatare & recipere. Si vaſa ita diſtenta ſint, ut in ſe non recurrant, pulſus quidem plenus eſt, ſed deficiens & debilis, ſuffocans pulmones, & arteriæ tunc impletæ conſtant immobiles ad fines obſtructæ, hinc humores non mutantur in commune bonum.

Stimulantia. Si Elater pereat, & cauſa diſtendens minuta ſit, tum vaſa ſunt Paralytica, hinc quo plus diſtrahuntur, eo plus renituntur; qui in Tribunali torquentur, his ita extenduntur ligamenta, ut illæ partes per menſes ita maneant, antequam reſtituantur, ergo Medicus debet conſiderare, quod omnes partes à materia viſcida infarcta & diſtenta liberata perdant tonum, tum oportet leviter ſtimulantia adhibere, hinc Elater reſtituitur 1. per innationem humoris urgentis & 2. per robur, detur Rob Sambuci vel alii ſapones diluentes, ſal Cardui Benedicti ad dragmam ſemis aut Sal Volatile Cornu Cervi ad ſcrupulum unum, ut infuſum Radicis Imperatoriæ, Angelicæ, Rutæ, Thymi, Serpilli &c.

§. 613. *Diluendo*, id eſt, aquoſo tepido, de hoc in præcedenti egi.

Balneo. Per balneum immerſionis vel vaporis vel per balneum fovens.

Fotu, id eſt, balneo tepido, huc etiam referuntur omnia cataplaſmata.

Clyſmate. Clyſma eſt balneum internum, Medicus

dicus debet Clysterem considerare pro effectu balnei intra positi.

Fricando. Post dilutionem frictio solvit, veteres hæc duo scilicet frictiones & dilutiones pro summo remedio adhibebant, apud *Celsum* videbitis curatas Febres Tertianas & Quartanas abstinentia per biduum, vel calida aqua affatim hausta, fotu balneorum & frictionum: omnia hæc medicamenta majora ac hodie medicamenta dantur resolventia, bibendo hinc *Swalve* in *Tractatu de Querelis Ventriculi* introducit ventriculum loquentem, cur ego debeo ferre insaniam Medicorum, si in corpore sit contusio, ego debeo Purgantia vel Vomitoria vel Diluentia sumere, quid hæc ad me? quando hæc fere universalia adhiberemus, plus proficeremus; in Gallia, Britannia, Germania omnes fere ægros, postquam à Medicis derelicti fuerunt, ablegant ab balnea: adjunxi experientiam scilicet hominis violentissima viscosa Inflammatione laborantis, postquam arescebant, ut manus arescerent, præmissa Venæ Sectione datis Diluentibus potulentis, si tum in balneo vaporis tepidi & humidi ponantur, curantur, & qui magna anxietate laborant, cum balneo sanantur, præprimis si frictio accedat, inde videmus confirmationem in tota rerum natura, nam quando sordidum corpus depurare volumus, ponimus in aqua tepida cum sapone, & dein de quasi opere fricamus.

§. 614. *Calida.* Hoc est, paulo calidiora quam est calor hominis sani, frigida enim adstringunt & roborant, & calidissima inspissant, coguntque in materiem irresolubilem. Si unquam aqua calida profit certe prodest in Febribus Acutis, in Asia, China & maxima Europæ

parte

parte liquores calidi bibuntur, & longe felicius curantur quam frigidis.

Salita. Uti Nitrum & omnia ex Nitro, ſal Prunellæ, ſal Polychreſtus, Nitrum Stibiatum, Sal Ammoniacum, nam hæc ſunt leviſſima, non etiam ſpiritus Salis Ammoniaci, qui eſſet Cauſticus.

Aromata amara. De his credo, quod vix ſalubriores herbæ ſint, omnes herbæ ſunt optimæ, quæ à Botanicis vocantur herbæ flore compoſito lacteſcentes, amareſcentes excepta forte Lactuca Silveſtri, in omnibus eſt vis ſaponacea, per quam imprimis lentor inflammatorius diſſolvitur, Veteres Medici videbant nervum rei, dicebant in morbo acuto, ubi bilis in ſanguinem intravit, nil plus reſolvit quam Cichoreum, Taraxacum, & Lactuca, at nolo aquam vel ſyrupum Lactucæ, nam nullius eſt momenti, ſed ex libris quinque vel ſex Lactucarum leniter coctarum ſuccus expreſſus detur ad uncias, idem de Endiviis, non vero de die tantum unciam unam ut de aqua vel ſyrupo vulgo datur ſed ad libram, huc ſumuntur præterea Chondrillæ Diaſcordio laudatæ, Sonchi, Hieracia, Taraxacum, Scorzonera, Tragopogon, Scordium, Cichoreum & omnes plantæ Botanicis dictæ lacteſcentes & pappeſcentes, in quo lacte ſcatet vis Opii, tum herbæ decoquantur in pauca aqua & ſuccus fortiſſime exprimatur. Quid hoc eſt, quando bilis in ſanguine? tum bilis eſt viſcoſa & omnia recrementa in ſe habet, ibi nulla fortia, nulla urgentia dederunt veteres, ſed ſaltem hæc, nil plus laudatur quam decoctum Taraxaci cum toto, decoctum Bardanæ cum toto, Cichoreum ſeu ſyrupus de Cichoreo compoſitus, de Fumaria compoſitus, ſyrupus de Cichoreo cum Rheo

compositus, si diluantur magna aquæ copia sunt lixivia saponacea & diluentia, & dolendum, quod inde recederimus, nam si lentor in sanguine, quid pulvis Diaphoreticus, quid pulvis Comitissæ de Kent, quid Bezoar, quid Lapis Cancrorum, Margaritæ &c. pulveres efficient, hæc agunt quatenus stimulum inducunt, ad viscidìtatem nil faciunt, nam pulveri Comitissæ Kent inest stimulus, sed hic requiritur vis saponacea, ut solvat instar Menstrui, cerebrum & pulmo nimis patiuntur; fateor tamen, quod aliquando locum habeant, ubi est imbibendum & stimulus acer absorbendus, sed viscidum febrile non inde solvitur. Hæ plantæ recensitæ refrigerant, quia omnes sunt sapones vegetabiles, quæ dissolvunt lentorem.

§. 615. Quando materies in Febribus ita vascula obstruit, ut remedia huc pervenire nequeant ad dissolvendum, tum extrahendus est sanguis crassior ad liberanda hæc vascula; nam Plethora impedit Elaterem vasorum hinc fluxionem horum remediorum ad loca, ubi est materies resolvenda, videmus magnas resolutiones & excretiones oriri post Venæ Sectionem nempe Sudores, Vomitus, Diarrhæum, Profluvium Urinæ. Multi Chemici dicunt, quod antiqui Medici scribant multa de efficacia Cichorei &c. sed hæc non agunt, nisi quatenus sapones sunt, tum vero debent intrare, permisceri & per vim circulationis adferri, si nunc vasa per Plethoram distenta sint tum oportet mittere Sanguinem & liberare vasa, & effectus erit optimus, inde patet, hoc viscidum resolvere non posse, nisi laxatis vasis.

§. 616. *Pellitur.* Nam tum sponte vadit per vasa; Medici putant mansisse in corpore, sed

si

si ex ultimis arteriis in venas ire potest sequenti circulatione medicamentis attenuantibus solventibus vi pulmonum materia assimulata expellitur; an nunc Chemici habuerint aliam methodum, de hac re dubito, omnes dicunt se habere Correctivum aliquod universale, aliquod sapiens Archæum, extinguens omne stimulum, quod habent medicamentum sine sapore, sed ex Analogia universali asst qui non possum, quomodo hoc verum esset, nam Chemici non fuerunt Medici, excipio *Paracelsum*, qui Basiliæ fuit Medicinæ Professor, & *Helmontium*, qui tamen parum in Praxi versatus fuit, reliqui non fuerunt Medici. Emunctoria vocantur in corpore illa vasa, per quæ repurgatur corpus suis recrementis ex renibus ad urinam; videmus enim sudores unctuosos oriri ad certa quædam loca peculiaria ut pone aures, sub axillis, ad interstitia pedum singularis fætoris.

§. 617. Tria propria curæ capita pertractata sunt, jam ad Febris Symptomata devenimus, Symptoma Febris vocatur effectus post Febrim veniens ut effectus Febris, proprie vox Græca significat *coincidens* vel *simul accidens* ex *σὺν cum* & *πίπτω cado*; Symptoma distinxerunt veteres in duplicia, in primum Symptoma naturale, id est Pathognomicum, secundum Symptoma non ortum à Febre, quod dicitur Epigenomenon, id est, adventitium Febri, v. g. si febricitans habeat violentum motum sanguinis, unde rumpetur vas in pulmone, statim Sanguinem spuet, hoc erit Symptoma superaccidens ex Febris natura ortum; alius satis robustum habens pulmonem etiam nimio violento sanguinis motu laborat, si assumat multum Salis Vo-

latilis oleosi, inde rumpuntur pulmonum vascula & fit Hæmoptoë, hoc symptoma ab externo accedente Epigenomenon est, varia etiam in Febre sunt symptomata, unde Febres etiam vocantur Vomitoriæ, Frigidæ, Anxiæ, Siticulosæ, Nauseosæ, sunt autem effectus, qui Febre ablata cessabunt. Homo Quartana laborans conciliaret sibi frigus tempore Apurexias ex gelida aqua multa copia pota, effectus Febris possunt esse sine Febri, postquam illa abivit, nam v. g. desinente Febri cum tamen interea eliminata sit liquidissima sanguinis pars, tum restat in corpore Cacochymia humorum, quo corpus varie afficitur, & tunc mutata manent etiam utcunque solida per ipsam vim Febris. Symptoma hoc est quartum indicans, & omnia symptomata ex Febri oriuntur, ut ex causa, ergo Febri ablata, cessabunt quatenus symptomata sunt, si ergo ferri possint, donec morbus princeps Febris ablatus sit, cessabunt quoque, sed hæc adhuc semel inculco, quod non debeamus putare, Medicos unquam omnem Febrim tollere, & proinde symptomata ut heri dixi, si enim omnis calor in Febri tollatur, morbus fit pejor nec coctio fieri potest.

§. 618. Si symptoma non sit periculosum, sed possit ferri, donec sedata sit, tum Medicus non debet agere ad illud removendum, nam, sublata Febri, tollitur ejus effectus.

§. 619. Hoc monitum maxime ab omnibus negligitur, solus *Hippocrates* & *Sydenham* inculcarunt & monuerunt, si ipsa vita incipiat naturalem causam morbi dividere, mobilem reddere & movere, illa statim non apta est ad fluendum, sed reddita vasis incipiet majora symptomata creare, quam antea erant v. g. si

talis pars peregrina reddatur venis, facile ibi transmeat, & transit, ut si per minima pulmonum vascula non ita bene transit, fit Tussis, Dyspnæa, anxietas; prudens Medicus scit esse à materia morbosa, circulo recepta, quæ subigitur, hinc novit symptomata illa non esse timenda, ubi ignarus putaret novum in pulmone exoriri malum; Crisis est ille morbi status, in qua vis vitæ vim morbi incipiet superare, non est excretio, ut explicant, qui *Hippocratem* non rite intelligunt, est uti Crisis in judicio, sive pronunciatio sententiæ judicis, audita utraque parte, Crisis judicat, quæ pars sit prævalitura, adeoque Crisis adest æque ad mortem ac ad vitam. Febris facit in corpore alium motum, quam huc usque erat, causa corporea, quæ Febrim fecerat, mutatur semper plus minusve in sua actuositate primo per Febrim, sed hac materia subacta, tum Febris cessat, sed tamen illa materia, etsi apta sit ad circulandum, attamen est corpori peregrina, hinc orietur tum nova Febris, quæ est conamen naturæ ad illam materiam penitus subigendam, vel si non possit assimilari, ad Emunctoria depellet, verum si illa sistatur, nec excerni possit, plerumque pessumdabitur æger, & hæc Febris vocatur Critica, vide *Hippocratem*, quare tunc non debemus talem Febrem solvere, *Hippocrates* dicit in pessima Febri Ardente die impari melius se habet æger, tunc quando illa materies effunditur in venas, oritur frigus, quod nullo modo est tollendum, postea illa materies ad cor per venas deveniens & ulterius subacta facit calorem, qui calor quoque est criticus & bonus. Symptomata illa, quæ oriuntur post coctam materiem, sunt bona, quia sunt effe-

ctus vincentis naturæ, sed illa, quæ oriuntur ex materia non cocta sunt mala. Sudor Criticus est excretio Critica, & paulo ante excretionem sunt symptomata gravissima, quæ bona sunt, nec debent turbari, ut si spina digito infixa extrahatur cum dolore maximo, fit doloris symptoma gravius, quod si ob dolores novum symptoma relinqueretur, pejus dein foret, ergo non turbandæ sunt Febres; videmus homines Febre violenta vexatos esse robustissimos, tum debilitantur, sudor superveniens symptomatum violentiam tollit, hoc est frequentissimum in Acutis, itaque illa debilitas non credenda est mala, sed optima, notat enim subigi morbosum & redire sanitatem, quando illa materia irruit in venas, minora vasa comprimit, unde fiunt talia debilitatis symptomata. Omnia symptomata Febrim concomitantia sunt Nausea, Salivatio, labiorum Tremor, Titillatio ad nares, labiorum Sudor, Anxietas, Oppressio, Vomitus, Diarrhæa, Stranguria &c. omnia hæc mala concomitantur Febrim, adeoque videndum, an hæc mala non inde, quia vis Febris superavit vim vitæ, sed nondum ita movit, ut sine ullo malo fieri possit, & quod hoc tollit, turbat plerumque; quomodo sciamus, an hoc à vi succumbente vel attollente veniat? si nunc illa symptomata sunt intempestiva vel nimis sæva, uti fieri potest v. g. in inflammato Hepate, materia potest tanta copia determinari, ut sequatur Fluxus Hepaticus, licet hoc fit Crisis, attamen hoc symptoma est tollendum, aliter æger moritur.

§. 620. *Intempestiva.* Quæ diu ante coctionem perfectam contingunt, scilicet si, adscendente morbo, in initio æger maxime fit debilis, quam-

quamvis hæc debilitas sensim adscendat, melius est, v. g. si æger in initio valde sudet, pessimum est, quod si Medicus curare nequeat, moritur æger, at vero post quatuordecim dies, idem sudor est optimus, hinc intempestivus est, dum causa morbi adscendit, & naturæ vis descendit.

Sæva v. g. quando Venenum Variolosum inductum est corpori, oritur tantus motus in corpore, ut ille impetus noceat, vel ad aliud exemplum, quando Sublimatum Hydragyrium est susceptum ventriculo, tum oritur tantum conamen Vomitus ad expellendum hoc peregrinum, ut quandoque homo moriatur convulsus, hinc tunc temporis oportet lenire symptomata. Si symptoma accedens sit violentius ipso morbo, tum si illud impingat in cerebrum, facit Phrenitidem, quæ pejor est Febri ipsa, & hoc symptoma est nimis sævum & periculosum ad negligendum.

Patientia ægri. Sæpe ægri adeo impatientes sunt, ut nullo consilio possimus prodesse, tum non debemus esse crudeles & ægrum relinquere, sed vitam servare & curare, ne ille majus malum faciat per impatientiam v. g. dicit æger, habeo calorem, quem ferre non possum, hunc calorem tu debes tollere, Medice, si dicas, iste non est tollendus, tibi est salutaris, hoc non credunt adeoque tum mittimus Sanguinem, damus refrigerantia, licet hoc non fecissemus, si à nobis stetisset, hinc tum conamur quædam facere contra legem artis, nam si hoc non concederetur ægro, ille forte aliquid pejus faceret v. g. si æger Ardente Febre laborans petat cerevisiam, & tu, Medice, repugnas, ergo si æger sit pertinax, tum forte nil bibet, hinc

ob inopiam potus morietur, vel aliud accidit aliquando in Febre Ardente, ut oriatur Hæmorrhagia, quæ etsi sit semper signum optimum solvens morbum, attamen si Hæmorrhagia oriatur ex pulmonibus tum hæc est sistenda, ne inde moriatur æger, sed tunc si hic, id est, in pulmonibus sistamus Hæmorrhagiam, debemus efficere, ut aliunde oriatur altera Hæmorrhagia, ut ex naribus; hæc Hæmorrhagia pulmonum non est sistenda adstringentibus, sed tantum Venæ Sectione, vel Arteriotome potius in Arteria Temporali, quæ tunc est secanda fere ad animi Deliquium usque, & sic sistetur Hæmorrhagia ex pulmonibus per hanc revulsionem. *Hippocrates* dicit, ille cibus, qui ægro gratior, potus, qui placidior est, licet obstet arti, tamen ægro est dandus, si æger tantum habeat unum stragulum, & nos plura conducere putemus, tamen concedendum est ægro, nam si plura dentur, abjiciet sæpe omnia, unde tum hoc est concedendum, ut evitentur pejora.

Morbi ipsius. Unus ex *Clarissimi Sylvii Deleboe* discipulis eum rogavit, quidnam posset consilii dare in morborum curationibus, dicebat in omni morbo non specta nomen morbi, sed saltem symptomata leni, tum eris felicissimus Practicus, sed hæc est via ad infinitos errores, si symptomata tollam; turbo Crises & omnia bona, sed ille Medicus, qui symptomata cum prudentia lenire potest, erit gratissimus. Novi Medicum sapientissimum, pariter ac doctissimum, sed simul pertinacissimum, qui quando ægros immorigeros habebat, dicebat, si non velitis juxta meum consilium agere, nolo vobis amplius prodesse; alter ne quidem

dem centesimam partem sapientiæ possidebat, quam prior, ægris suis indulgebat & multum venerabatur, ergo cum prudentia symptomata lenire possumus.



Frigus Febrile.

§. 621. Hæ sunt veræ causæ, unde oritur frigus in Febribus Acutis; in Acutis raro alio tempore est bonum vel Decretorium vel Criticum, docente *Hippocrate*, docet enim in Acutis, quod sit minor attritus fluidorum ad vasa & vasorum ad fluida, unde fit frigus, nam impossibile est ut motus circulationis sit auctus & adsit frigus.

Imminutum. Semper ubi magnum est frigus, circulatio est minor quam ubi major calor; & quidem verum quo violentius in initio frigus, eo major ultimo calor, cujus causa explicabitur in Capit. *de Calore.*

Stagnans. Frigus non potest adesse, nisi circulatio sit imminuta, quæ non potest esse imminuta, nisi desinet ad extrema, quæ frigent, pallent & insensibilia sunt, hinc noscitur illa stagnatio, quæ ponit cor semper esse contractum, non adeo se evacuans, sæpius se quidem contrahens & non habens vim magis se contrahendi, spiritus in cor non ita influunt ob sanguinis minorem motum, inde sum certus, licet cum ante sexdecim annos hos Aphorismos conscriberem, adhuc dubitarem, sed in Praxi eo respexi & vidi nil melius. Maximi viri im-

primis *Boyleus* voluerunt indagare causam hujus frigoris. Omnes fere ab admistione alicujus liquidi deducunt, ut in duobus liquidis commistis, hinc advocarunt fermenta & affusiones, ut si Sal Ammoniacum aut Nitrum aquæ frigidæ injiciatur, illa longe magis inde frigescit, at ego de Heterogenea tali materia admista hic non loquor, quia in corpore talem demonstratam non vidi.

§. 622. *Polyposas.* Si frigus febrile diu in corpore hæreat, facit Polypos, frigus enim est quies sanguinis, sed sanguis stagnare non potest, quin concrescat in Polypos, nam ob contractionem vasorum sanguis pellitur ex vasis minimis in vasa maxima in Sinum Venosum majorem, id est, dextrum, sinum venæ Portæ, in dextram auriculam, dextrum cavum cordis in primum truncum magnum arteriosum. Si frigus illud maneat, id est, si sanguis stagnet nimis diu ad cor, homo morietur, tum enim impletur cor dextrum, Vena Cava & Auricula Dextra, & tum Arteria Pulmonalis exprimit in pulmones liquidissimam sanguinis partem, & reliquum totum immeabile factum incrassabitur, hinc ibi fiunt Polypi, ut in cadaveribus Anatome hoc docuit: tempore enim frigoris Arteria Pulmonalis non potest pellere suum sanguinem in pulmones; hinc stagnabit prior sanguis, qui erat in corpore dextro & in pulmone, & fere nullus veniet ad cor sinistrum, & tunc est frigus, cum autem liberatus est pulmo, tum infundit suum sanguinem magna vi in cor sinistrum, unde tanto major calor, quanto majus fuit frigus, in quo omnes, qui moriuntur febricitantes, vitam finiunt; hæc ergo est idea frigoris febrilis nempe sanguis venosus in corde

dextro

dextro recipitur magis quam ante, qui ob frigus venas comprimit & constringit, frigus enim roborat vasa & præsertim venas, quæ sunt debiliores quam arteriæ, hinc tanto magis accumulari debet in corde dextro, & etiam asservari & adigi in Arteriam Pulmonalem, sed cum Arteriæ Pulmonales tunc temporis frigore sint contractæ, hinc sanguis per venas ire facile non potest, ergo accumulatur in corde dextro & in Pulmonali Arteria.

Evacuationes. Nam omne frigus auget elasticitatem vasorum, hic facit arterias contractissimas, quia hæ sunt magis elasticæ, sed frigus agit pro ratione molis, hinc arteriæ magis contrahuntur, hinc ex arteriis premitur in venas, unde multa oriuntur mala. Cadaver recens mortuum emittit adhuc sanguinem per vulnus in extremitate quadam inflictum, hoc vero frigefacto, ne gutta quidem effluit, & è contrario vulnus contrahitur, si vulnus sit levissimum, propria enim vulneris indoles est, quod corpora breviora reddat. Qui Peste corripiuntur, primo invasionis momento sentiunt se quasi unda gelidissima per totum corpus perfundi; hunc rigorem excipit calor, Anxietas, Anhelatio, & circa cor Compressio; homo Quartana laborans hoc momento optime valet, paulo post sentit stridorem quendam utcunque gratum per totum corporis ambitum, haud multo post ungues fiunt lividi, pinnæ narium pallescunt, totus contremiscet, anhelat, hic omnia agit, ut promoveat sanguinis circulum, tentatque variis musculorum actionibus sanguinem promovere, in hoc Paroxysmo omnes ægri moriuntur, qui Quartanæ succumbunt, nunquam in calore moriuntur, in frigore enim est summa

ex-

exsiccatio in extremis vasis minimis & maxime accumulatio in vasis maximis, ergo in frigore adest conditio morti proxima & gradus ad mortem, cessante vero frigore, oriuntur symptomata, quæ ab ipso majori vel minori Febre prægressa pendent.

§. 623. *Designat.* Si videas ægrum in initio Febris frigidissimum esse, cogita eum esse in statu proximo morti, designat enim esse 1. coagulum in maximis, 2. extrema esse collapsa, quæ spatium sanguini affluenti non concedunt.

Præsagiat. Accumulatur sanguis, at ubi insecutus est calor, maximum erit obstaculum circulationi, hinc erit maxima anxietas & palpitatio cordis, tum fient aliquando Crises, Bubones & Anthraces &c.

Majus. Simulac cor vires accipiens incipit superare frigoris causam, calor nascitur, qui tantus erit, quanto magis cor vires habebit ad superandum frigus. Si Variolæ, Morbilli &c. incipiant cum magno frigore, indicant morbum pessimum fore in sua specie, at si dein incaluerit æger, scitis quomodo illa membra se habitura sint, uti novimus manum maxime frigefactam, si subito calescat, maxime dolere, idem hic fit. In Peste hæc omnia maxime videmus, quo majus frigus in initio, eo plus æstuabunt, idque ubique est verum. Calor fit à denso sanguine & cordis contractione, quando Frigus dissolutum erit, calor erit tanto fortior, & quidem decuplo validior, nam ubi frigus adest, ibi vasa arctissima sunt, quando manus vestræ fuerunt frigidissimæ & incalescunt, fiunt decuplo cal diores ac ante.

§. 624. Omnes Medici sunt in ea opinione

(ut

(ut veriſſimum eſt) quod frigus ponat quietem in parte, hinc putant maxime moventia, calefacientia hic mederi, at id falſiſſimum eſt, nam idem hic obtinet quam in congelatis; hinc damnabilis eſt *Sylvii* aliorumque opinio, danda eſſe calidiſſima, ut olea ſtillatitia, Caryophyllorum, aromata, nam quando frigus adeſt, tum vaſa nec penetrabilia ſunt, nec humores meabiles, ſi tum dentur urgentia, hæc in ventriculum dextrum agunt, ſanguinem nimis fluidum propellunt in pulmones, in quas hic addactus multa mala producit, ut Peripneumoniam &c.

Stimulantia non poſſunt reddere ſanguinem huc ſtagnantem liberum ſed idem producunt ac ante fiebat per frigus, conſtringunt nempe venas & ſanguinem ad cor accelerant, at vero patet, tum non oportere adhuc magis urgere à tergo.

§. 625. Do autem his ægris, antequam frigus accedat, cereviſiam tenuem cum pauco Zingibere, quod dilutiorem reddit ſanguinem & efficit, ut frigus ſubſequentis Paroxyſmi ſit minus, quod ſemper annitendum. Aqua optime conducit in frigore febrili, nam aqua ſine ſtimulo aſſumitur, manet in ventriculo iners, hinc ſtimulus addendus eſt, ut non modo diluat, ſed etiam incidat, hinc recipitur aliquid Vini, Mellis vel Nitri v. g.

℞. Aq. Hordei. ℔ iij.
Oxymel. Vulgar. ℥iij.
Sal Polychreſt. ʒij.
Vini Rhenani. ℥iv.
M.

omni

Omni quadrante horæ dabitur uncia una vel duæ, ut corpus semper sit apertum, sic incipientibus quatuor horis ante Paroxysmum sit tectus æger, bene vestitus, nec nimium sedeat ad focum, post Febrim duplo plus bibat, pergat hoc per bihorium post tempus Febris, postquam primo hoc instituitur, liber erit æger, hoc semper successit, hoc medicamentum optimum est ad debellandum frigus, diluit, humectat, & ad calorem inducit, hic undequaque conducit.

Balneo. Hæc triplicia sunt 1. calefacti aëris, 2. vaporis, 3. immersionis. Inter optima remedia tempore frigoris est ponere ante os ægri aquam calidam in magnis spongiis contentam, cujus vaporem pulmonibus haurire debet æger; hinc veteres ducebant ægros in balneum vaporis, ubi omnia calida & humida erant cum blanda frictione, & sic revera causa & effectus tollitur, hinc post balneum sit æger in loco sicco, utetur frictionibus lenibus, tunc potet prædictum potum, dein se componat in lecto & parum admodum habebit frigoris, sed quando frigus adest, tum non oportet hæc omnia adhibere; hic maxime attendendum est, quod in hac occasione non sit obruendus æger remediis, aliter brevi exstingueretur, ut visum est aliquoties; erat Matrona jam vetula, quæ ultima Febre frigus summum jam sustinuerat, ut subsequenti Paroxysmo, si iterum tale accidisset, morituram omnes crediderunt, dixi me eam curaturam si vellet obedire & perfecte hac methodo curavi.

§. 626. Multi summi viri, quorum auctoritas multum ponderatur ad exteros, putant, quod causæ frigoris sint particulæ salinæ frigus ex-

excitantes, unde vidimus *Boyleum* operam navasse, ut inveniret causas salinas in corpore, quæ sanguini affusæ faciunt frigus, sed omnia corpora quiescentia sunt æque frigida permista faciunt frigus majus, exinde putant frigus oriri in Febribus, sed nunquam frigus febrile tam magnum est ac frigus in cadavere, & hoc frigus oritur à quiete humorum & partium solidarum, sed frigus febrile nunquam ex causa priori oritur, si unquam frigus in Quartana esset tale ac in cadavere, tum æger mortuus esset; si hominis corpus in aqua ponatur per viginti quatuor horas, tum aqua cum corpore erit æque frigida, sed frigus Quartanæ non est tale, ac istiusmodi cadaveris, si vero injiciatur in aquam Sal Ammoniacum, facit frigus ad gelu accedens, ergo tota causa frigoris est accessus ad quietem, hoc est imminutio circulationis seu gradus ad mortem, hinc puto ea, quæ *Boyleus* dicit, quod frigus oriri possit à salibus est tantum assumptio, tales sales enim hærere, effundi, & hinc totum corpus frigescere, sola assumpta sunt, nam à sola quiete frigus oriri potest.

Tremor Febrilis.

§. 627. *Tremor* est *tensio alicujus musculi mox subsequente ejus laxitate iterumque tensione*, ut si quis linguam diu extendat non potest retrahi extensione perfecta; hinc signum est tremoris humores quidem accedere, sed non tanta vi vel copia, ut sufficienter extendant; hinc ambigunt mu-

musculi, inter Spasmum & Paralysin, sanguis arteriosus minus movetur, ergo etiam sequitur spirituum diminutio, qui spiritus adeo stagnant, ut ad musculorum vasa fluere non possint; ut satis inflentur, sed statim concidant, hoc fit in initio, at in fine maxime tremunt, hinc tremor & frigus fiunt quando scilicet incipit deficere liquidum arteriosum & nervosum, in vasis sed est tantum incipiens non absolute cessans, alioquin esset mors. Initium tremoris est stagnatio humorum, finis vero inedia spirituum.

Quietem utriusque. Nam omnes, qui cum Febre tremunt, habent tam parvam circulationem, ut neque arteriosus neque nervosus succus ad musculum proveniat, quando videmus homines longe post sanationem Febrium tremere, tum semper hoc ab inanitione oritur.

§. 628. Si enim tremor diu duret, tota circulatio invertitur, hoc est libera circulatio spirituum & humorum.

§. 629. *Diagnosis.* Quando in initio Febris vidimus hominem valde tremere maxime circa labia, palpebras & manus, scio in arterioso liquore & nervoso spiritu tam parvum impetum, ut musculus per duo momenta moveri nequeat, ergo oritur semi-extensio, hoc est, tremor. Si sibulus in aure ortus laxata & tensa alternatim membrana Tympani & Ovalis diu duret, notat futuram Apoplexiam.

Prognosis. Vitium plerumque est in nervis, & quidem semper, si fuerit tremor universalis, de quo hic agitur, hæret ergo causa in origine nervorum, non est satis idonea spirituum secretio, multum vacillabit morbus & plurimum metuendus, nam Apoplexia, Paraplegia & Paralysis fieri possunt, verum si ejus causa fuerit de-

fectus humorum vel Plethora facile curari potest.

Malus. Quia hoc tunc supponit defectum utriusque liquidi, quo nullum signum pejus est.

In animi affectibus magni tremores oriuntur, quia tum Spiritus Animales inæquabilissime distribuuntur ad musculos, & ad Sensorium Commune retinentur, idem fere accidit circa mortem, nam tum deficit liquor motum æquabilem faciens nempe nervosus, unde propter hujus inopiam tremunt moribundi & propter etiam hujus tunc superstitis inæquabilem motum, unde variis Convulsionibus afficiuntur præsertim musculi Temporale & Massetere, quoniam hi liquido nervoso influente privati validissime trahuntur ab eorum Antagonistis, qui aliquos spiritus adhuc habent.

Magna Semper tremunt circa finem, quia humores nimis subducuntur.

Potu. Thee, Vini, Spiritus vini, cerevisiæ; tremor in his casibus fit, quanda vasa sunt vacua, sed quando semel repleta sunt, tum ille tremor cessat ob novum influxum liquidi in venas, & hoc videmus contingere potatoribus, quando mane surgunt post crapulam ordinariam, tunc enim ita tremunt ut rebus suis vacare vix valeant, sed cum dein per diem pro more solito epulati sunt, tunc redit bonus motus muscularis, nimirum quando venas iterum inflarunt, ut canit *Virgilius* de *Sileno*, id est, patre *Bacchi:*

Inflatum hesterno venas ut semper Jaccho.

§. 630. Felix fui in curando hoc malo. Curan-

randam habebam Matronam in hac urbe, quæ videbatur moritura, si adhuc semel Paroxysmum febrilem haberet, laborabat enim Febri Hæmitritæa, quæ erat tanta, ut genua ab ista concussione valde tumerent, dedi aliquot horis ante Paroxismum decoctum blandum ex Santalo & Sassafras paratum cum melle &c. & calide potandum jubebam, frictiones institui, ut totum corpus calesceret & prima vice sustuli, idem in multis aliis contigit, si humores circa præcordia stagnent, spiritus non influunt in cor, si hoc tollatur, tolluntur tremores. Si materia tenax febrilis fluere nequeat per vasa; ergo 1. viscidum & lentum est auferendum & motus restituendus; hinc æger ante Febrim multum bibat de potu præscripto in frigore febrili sæpe parum simul, utatur iisdem fotu & balneo, pro potu v. g.

℞.	Aquæ Hordei	℔ iij.
	Sal Polychrest.	ʒiij.
	Mellis.	℥iv.
	M.	

Sumatur uncia semis quavis quadrante horæ per bihorium vel trihorium ante Paroxysmum, sic tremor in initio prævenitur.

In fine. Tum requiruntur talia, quæ fibras laxas roborare queant, nam quando Febris in vigore omnia vasa distenta & rarefacti liquores distendunt vasa, si nunc postea vis subsideat, vasa se contrahunt & in mole fiunt pauciora, sed tum omnes fibræ distentæ fiunt Paralyticæ, quod non curatur nisi repletione & roboratione vasorum, hinc sæpe, qui à Febre resurgunt, tremunt, repletur quidem corpus sed vasa sunt Pa-

Paralytica, unde fit tremor, si enim arteriæ vim amiserint, cor pellit, arteriæ se non contrahunt, hinc successio in ordinata, sed quando arteriæ vim habent, ut distentæ se contrahant, tum fit æquabilis circulatio, inde patet, quod vasorum depletio & humorum defectus faciant tremorem, in ultimo casu danda sunt talia, quæ non nimis obruunt, nec Hydropem faciunt, ut jus carnium non nimis viscidum cum Roremarino aut Thymo ad unciam dimidiam quavis hora, hinc ille tremor à tali causa ortus, id est, ab inanitione perperam tractatur ab aliis medicamentis.



Anxietas Febrilis.

§. 631. Mirum est sane, quod si nostri corporis pulmo, arteriæ & venæ ad crepaturam vel suffocationem usque distendantur, non sentiamus dolores sed anxietates, sed quando partes vitales ponuntur in tali conditione, ut distrahendæ sint brevi, non oritur anxietas sed semper dolor, si nostrum cor sentiri ut digitus posset, semper defatigatissimum appareret, sed simulac cor in palpitationem adigitur, oritur anxietas & angustia, hinc non quæritur, quid angustia in mente & perturbatio animi sit, qui sensus etiam vocatur anxietas, Græci dixerunt ἀγωνὶς vel ἀγωνισμὸς, quasi certamen cum morte, sed quæritur à nobis, quid Physice sit anxietas, quod symptoma rarissime explicatur à Medicis, & in genere longe intolerabilius est quam dolor. In prima mea Praxi nil fere ex his mihi suc-

fucceffit, quia Medici ponentes femper flatus circa cor commendarunt Difcutientia, Carminantia fpiritus Volatiles, fpiritus Nitri Dulcis; folum hac in re fidum inveni *Duretum* in *Commentariis ad Hippocratem*, licet totum non explicet. Anxietas eft fenfus quidam inexpicabilis deftruens quafi totam cogitationem mentis humanæ, in anxietate fentitur magnum pondus circa præcordia, quafi ingenti farcina premeretur cor.

Egreffum. Nam fimulac fanguis ex corde egredi non poteft, oritur anxietas, quia tunc ille fanguis retroagitur in cor dextrum, nam tunc temporis tres valvulæ Semi-facculares aut Tricufpidales manent apertæ, hinc æger accipit anxietatem intolerabilem, infpirat, anhelat, cadit in animi Deliquium; fuit hic quidam Vir in vicinia captus ab hoftibus & laqueo fufpenfus, qui ab aliquo eum adhuc vivere vidente folutus eft, poftea locutus fum ipfi, rogans quid tunc accideret illi, faffus eft, quod ipfo momento, quo caderet, mox fulmina, tenebras & fummam anxietatem fentiret, præterea nihil. Sic putem anxietatem febrilem revera nil aliud effe, quam ille fenfus, quo putamus vitam defituram effe, fic in Convulfionibus, Afthmaticis, Hypochondriacis, Hyftericis affectibus non prius habent anxietates, quia partes convulfæ obftiterint pulmoni, ut liquidum libere tranfmittere non potuerit; fi hæc anxietas plusquam pauca momenta duraret, oriretur mors.

Aortæ. Hinc illi, qui habent Polypos cordis, in arteria Aorta tantas patiuntur in vita anxietates, ergo quamdiu cor finiftrum fe evacuare non poteft, ut oportet, tum eft anxietas.

Tranfitum. Si oriatur quæcunque conditio Phy-

Physica, quæ pulmonis extrema vasa constringit, non dicit æger se dolere, sed sentire anxietatis oppressionem in pectore, fit v. g. homini sanissimo quædam injuria vel infortunium, 1. pallet, paulo post tremit, concutitur, haud ita diu cor palpitat, non differt diu, quin suspiria gravia & profunda ex imo quasi pectore edat, tunc inexplicabiles oriuntur anxietates, & explicant se, quasi omnia angusta forent, quia sanguis subsistit in pulmonibus, accumulatur prope cor, tunc fit palpitatio, quæ pendet à vi, quia cor sese constringit, & ab immeabilitate sanguinis, ille tunc fluere impeditur, & æger versatur in proximo mortis periculo.

Spasmum. Licet in corpore nil mutetur, & tantum fines Asperæ vel Pulmonalis arteriæ duplo fortiores contrahantur, & cor non majorem vim expellendi habeat, tum fit anxietas, quæ semper oritur, quando sanguis celerrime movetur, si enim duplo plus moveatur, duplo majorem habet resistentiam, hinc mens sentit anxietates, omnes qui calorem in Febribus Ardentibus sentiunt, simul de summis anxietatibus conqueruntur. Robustissimus homo, ubi turbatur à re inopinante v. g. si ex gratia Principis se excidisse audiat, cordis palpitationem sentit, fit anxius, quia influxus liquidi nervosi in vasorum fines non fit, ergo oritur in hoc casu celerior cordis contractio, & sanguis retroagitur in cor dextrum, hinc fit anxietas.

Ineptam. v. g. æger Ictero laborans summam anxietatem in principio habebit, & postea vomet, & ex vomitu tum fit Icterus Flavus; ratio est, quia vasa impleta se excernere non pos-

ſunt, ſed Spaſmodica contractione ita contrahuntur, ut per vomitum oriatur retrograda circulatio, quia hepar per Scirrhum eſt obſtructum; ſi Medici ad hæc attendiſſent, vidiſſent inde oriri, quod ab acri acido Sulphuris afflato conſtringatur pulmo, inde fit anxietas, tum ſanguis venæ Portæ debet reddi Cavæ, ſi ibi oriatur obſtaculum, ſanguis vi reſpirationis & viſceris premitur eo, ſed non tranſmeat ob obſtaculum, poſt venena aſſumpta hoc ſemper omnibus ægris accidit, & iis oritur circa præcordia maxima anxietas, quia ſanguis ibi tranſire non poteſt.

Ex iisdem cauſis. Habui dominam in cura, quæ ob hepar obſtructum habebat maximas anxietates, nam quando ſanguis per Portam & ejus fines non tranſmitti poteſt, tum accumulatur, & facit ſenſum anxietatis, hinc patet, quare Ictetici ſummas anxietates habeant. Eſt etiam anxietas in reliquis vaſis, quando cauſa contractilis Spaſmodica Hypochondriacorum & Hyſtericorum augetur circa vaſa Hypochondriaca & Cæliaca, tum ſanguis tranſire non poteſt, hinc videtis, cur, repleto ventriculo, tanta anxietas, quia aërea ingeſtis rareſit, diſtenditur ergo Ventriculus, tum ſanguis Cæliacus per ventriculum tranſire non potens comprimit vicinas arterias & venas; oritur quoque à flatibus, ſi enim ventriculus ſpaſmodice comprimatur ad ſuperius orificium, tum aër, non exire potens ſe expandit, rareſit, & fit anxietas, hinc ille morbus oritur à tali conditione, quæ facit, ut liber influxus impediatur. Anxietas à flatibus oritur a materia elaſtica vel aërea vel generata ex cibis flatulentis, vide *Boyleum*, illæ anxietates præſertim oriuntur fæminis Hyſtericis & viris Hypo-

chondriacis, hæ sunt tantum anxietates mihi notæ; nullas enim credo esse anxietates spirituosas, ut volunt quidam auctores proprie sic dicendas, nam illa anxietas, quæ à cogitatione oriri potest, primo fit per stagnationem liquidi &c. nam ille homo incipiet pallere &c. quia influxus nervosi hic aliter circulatur.

Severissime. Nil magis metuo quam quærelas de anxietate, nam novi ægros tum semper in periculo vitæ versare, hinc non discedere soleo nisi anxietati ab Inflammatione vel Obstructione ortæ consulerim, omnis homo moriturus habet anxietates; hinc in initio Febrium nullum Symptoma terribilius quam anxietas. Anxietas in Pulmonibus facile cognoscitur, si pulsus sit mitis, respiratio debilissima & frigus, sed si anxietas ingens & pulsus bonus, tum anxietas non est circa Præcordia, sed malum sub Diaphragmate hæret & in systemate Cæliaco vel Mesenterico vel ad ventriculum nimis repletum vel ad intestina causa quærenda. Inter has anxietates est una, quæ fit in intestino Colo. Saccus intestini Coli, quæ cavo ossi Ileo inhæret, vergit sursum, deinde mole ducta deorsum; illud intestinum Colon adeo dissolvi potest, ut omnes fibræ in cellulas distendantur, tum oritur summa anxietas ab inflato sic intestino, ita ut comprimat omnia vasa Abdominalia, hic morbus sæpe pro Hysterica & Hypochondriaca Passione habetur, est egregia circa hanc rem observatio in *Journal des Sçavans* in ultimis tomis; quidam nobilis, qui magnam copiam cerevisiæ fortis Anglicanæ biberat sanus, nocturno tempore incidit in Colicum Dolorem, Medicus advocatus misit Sanguinem, dedit Purgantia, Clysmata, Vomitoria, nil juvat; æger anxietatibus

& doloribus brevi extinguitur; invenitur Colon & Cæcum duplo majus & eo extensum; ut omnes fibræ annulosæ solutæ sint, ita ut nulla cellula esset.

§. 632. *Vitalia* nempe circa Cor., Pericardium, & octo magna vasa, quæ sunt duo magni sinus venosi, duæ auriculæ, duæ magnæ arteriæ, & magnæ venæ, ibi est sanguinis maxima copia, si ibi quiescat, in loca heterogenea secedit.

Concretiones. Sanguis ex corde exprimi non potens ob obstructas vasorum extremitates ibi hærebit, hærens statim concrescit, ut in Bove recens occiso, corde extracto statim polyposa sunt omnia adeo brevi tempore, hinc in cadaveribus apertis à morbis acutis occisis *Bonetus* semper invenit polyposas concretiones; hi polypi quo propiores sunt cordi, eo pejores.

Inflammationes. Nam quando sanguis per hæc vasa non potest transire, augebit tunc partem crassiorem nimis accumulatam, & Inflammatio evadet ad minima vascula, & totus pulmo quasi erit inflammatus, hinc pectus gangrænescit ob causam pulmonem prementem, & sanguinis copiam maximam fluere non potentem, tum sanguis retrocedit & fiunt errores loci.

Subitanias. De his dictum est, at notetur, quod subsequenti patebit in Peripneumonicis suffocatur pulmo, quæ post mortem apparet, massa ponderosa, ingens, nigra, sanguine polyposo oppleta.

Angustia. Hoc explicari non potest, nisi cui expertum fuit, non est dolor, nam mallent potius gravissimos dolores pati, quam tales angustias, hoc credo, quod satis futurum sit effi-

cax ad probandum sequens scilicet observatum, non memini ullis in relictis nobis hactenus monumentis constitisse hominem se ipsum præ doloribus interemisse, verum plura exstant exempla, quod se præ anxietate & angustia jugulaverint, utpote has sustinere impotentes.

Morte. Ægri jam jam à Febribus morituri corpore adhuc satis forti sese jactant undequaque, si quidquid roges, detestantur molestiam, quod respondere debeant, hoc notat mortem vel animi Deliquium instare periculosum.

Hypochondriis, quia illa vasa tendunt ad hepar, hepar & lien non dolet, sed anxietas oritur à stagnatione humorum circa hæc loca.

Circa stomachum. Κοιλία seu στομάχος vocatur veteribus superius ventriculi orificium, seu finis Æsophagi, illum stomachum vocabant Sedem Miram, quoniam ibi sunt plexus nervosi intricatissimi omnium, qui inveniuntur, si circa hunc locum magna extensio fiat, oriri debet impedimentum influxus spirituum; hinc anxietas omnium maxima, ubi sunt plurimi nervi.

Sentientibus. In Hepate vix non sentimus nisi in Membrana externa vasculosa *Ruyschii*, ubi si inflammetur totum hepar, non sentimus nisi in illa membrana, hinc quando materies stagnat, non sentitur, sed quando ventriculi vasa transiens accumulatur, & vas distendit ad crepaturam quasi usque, & oritur putrefactio summa, scimus, quod in cadavere cutis diu perstat, sed vasa ibi statim putrescunt, rete Malpighianum non putrescit sed quidem ejus vasa, hepar vero intra paucum tempus ob vasorum plenitudinem; quibus adest difficultas circulationis in hepate, id est, semper sentiunt dolorem in stomacho seu scrobiculo cordis.

Putrefactiones. Videtis cum intento animoquale sit systema Cœliacum & Mesentericum, videtis ibi arteriarum & venarum angustias, nam à primo initio arteriarum Cœliacarum ad ultimum finem venæ Portæ est unum vas continuum, sed in illo extra vasa vix motus, si ergo in vasis Mesentericis vix oriatur anxietas, quid magis secuturum quam putrefactio, videtis nullum cadaver aperiri, quin fætor adsit circa Duodenum omnia inficiens, ergo si vita superfit, hæc solvuntur in putrilaginem, & in his amplis vasis fiet putrefactio, inde Gangræna vel hepatis putredo sequitur, si vero hepar sit putrefactum, tum Ichor ruit per ductum Cholidochum in Duodenum, inde in intestina, & sequitur Dysenteria Hepatica, quæ habet semper materiæ fætidissimæ & loturæ carnis similis effluxum comitem.

Præsagiendum. Repræsentate vobis ægrum acutissimo morbo laborantem cum anhelitu, debilique pulsu, quid præsagiet illa intolerabilis anxietas, nisi quod sanguis ex corde dextro per pulmones fluere non possit, hinc facile videbitis sanguinem hic aggerendum esse, Gangrænam pulmones occupaturam, vasa arteriosa esse distendenda & obstruenda, & æger ille servari non poterit, nisi ille sanguis egrediatur, hinc malum tantum non est negligendum, antequam evadat tam ferox, æger se in lecto jactabit, subsistere uno momento nequiens, stragula objiciet, pectus deteget, fenestras aperiri jubebit, ut aërem liberius hauriat; si videam talem anxietatem per signa data circa pulmones, mors brevi instat, vel si evitem mortem, palpitationes cordis sequuntur, si vero sub Diaphragmate, tum putredo hepatis & Dysenteria inde ori-

oritura eſt. In his caſibus ſemper attendendum eſt ad pulſum & reſpirationem; ſi fœmina Hyſterica ſentiet ſe valde anxiam, ſed tamen pulſus bonus, reſpiratio bona & calent extrema, tum hoc oritur à flatibus & nil eſt periculi.

Acuta. Si hæc præceſſit, eſt ab Inflammatione, ad hanc diſtinctionem quæſo bene attendite, ſi Inflammatio faciat anxietatem, tum Emollientia & Diluentia ſola proſunt, ſi vero à Spaſmo, tum Antiſpaſmodica ſunt optima, ex neglectu hujus diſtinctionis ingentes nati ſunt errores in anxietate curanda, ſtatim enim præſto ſolent eſſe ſtimulantia, Spiritus Carminativi &c. hæc proſunt Hyſtericis & Hypochondriacis & in anxietate à Spaſmo orta, ſed ſi cauſa ſit Inflammatio, tum nocent; hinc ſi homo conqueratur de anxietate, videndum eſt, an ſit Inflammatoria in Pulmone vel Hypochondriaca; ſi ſit Hypochrondiaca, tunc Febris nunquam præceſſit, ſed ſemper à minimo animi affectu anxietas nata eſt; ſi ſit Inflammatoria, tum prægreſſa eſt Febris cum calore, reſpiratio difficilis, Phlogoſis in facie, Sanguis miſſus eſt Pleuriticus, pulſus debilis.

Se prodidit. Res eſt veriſſima, exemplum dedi in Noſocomio; mulier Hyſterica optime valens ſubodoratur paululum Ambræ, ſuffocatur, anhelat, & cadit in animi Deliquium, ſi ſubodoretur Caſtoreum; curata eſt. Vir Melancholicus & Hypochondriacus ſi iraſcitur anhelat, & ejus reſpiratio eſt quaſi anhelatura & moritura, ſi dent illi Salia Volatilia &c. demittit flatus & ructus, & malum tranſit; omnis homo, qui habet genus nervoſum facile mobile, anxietatibus ſpaſmodicis obnoxius eſt, ſi vero hæ anxietates fuerint ſummæ, tum ali-

quando moritur. Vir satis bene se habens Hypochondriacus à famulo indignatus summas habet anxietates, licet illi omnia dentur medicamenta, nulla illi proderunt, nisi Volatilia, unde nervi quasi solvuntur, vidi in his & in fæminis Hystericis circa collum talem adstrictionem, ut musculus Sphincter solutus aëre rarefacto occuparet totum Æsophagum, mulieres tunc dicunt Matricem adscendere, omnes hæ anxietates à flatibus nascuntur, si nulla Febris præcessit. Optima medicamenta in hisce casibus sunt Sal Cornu Cervi, spiritus Salis Ammoniaci, tinctura Castorei, Succini, Rutæ & Matricariæ.

Poterit. Si sciamus, quod causa sit inflammatoria, tum videndum, an in pulmone vel in hepatis arteriis adsit, si in pulmone tum pulsus est mollis, respiratio difficillima, anxietas cum Febre, si in hepate omnia signa adsunt præter respirationem difficilem, quæ libera est, si ab Inflammatione tum signa hepatis postea dictura adsunt.

Cur in omni &c. In Febre Acuta violenta inevitabilis ultimo semper est anxietas, quæ si tres quatuorve horas duret, moritur æger, hoc fit, quia omnis mors consistit in impedito sanguine è corde dextro, simulac sanguis per Pulmonalem arteriam ire non potest, tum cor dextrum sanguine obruitur, tum ægri caput jactantes moriuntur, hinc veteres omnes anxietates nominarunt luctationes cum morte.

Cur spasmodica &c. Quia, Spasmo sublato, omnia sunt resoluta, fit tandem remora partium, ut in Hypochondriacis, nec diu durat, nervi enim Spasmum faciunt per breve tempus, & brevi remittunt; Spasmus fit 1. quando musculi

ſculi bini, qui vaſa coërcent & conſtringunt, anguſtant vias vaſorum, & retundunt impetum ſpirituum influentium, unde dein circa cor oritur anxietas, 2. Spaſmodica contractio oritur in Æſophago, Ventriculo & Inteſtinis, ubi vaſa ſanguinea membranarum harum partium (quæ vaſa ibi ſunt numeroſiſſima & nudiſſima) propter flatus diſtendentes tunc comprimuntur; unde ſecundo anxietas Spaſmodica circa cor, ſed quando hæc utraque anxietas eo uſque devenit, ut homo debilitetur & cadere incipiat in animi Deliquium, tum exeunt ructus & flatus, inde hæc anxietas non eſt periculoſa, quoniam hic Spaſmus facile mutatur ab omni, quod agit in ſpiritus ut ſpiritibus Volatibus Caſtorei, fœtore papyri, Aſſa Fœtida, vellicatione, tum hic Spaſmus abit, quia ſpiritus eunt in partem. Spaſmus eſt influxio inæqualis ſpirituum in muſculos, ideo viri Hypochondriaci & Hyſtericæ mulieres putant ſe ſtrangulari, quia influxus in hos muſculos eſt inæqualis vel omnino nullus.

Inflammatoria. Quia tunc hæc anxietas per longum tempus durat, & Obſtructio hæret in inferioribus, unde non tam facile ſolvitur; hinc in pulmonibus eſt valde periculoſa.

Cur inquies &c. Inquietudo vocatur, ſi æger per duo momenta ſubſiſtere non poſſit in uno loco vel lecto, ſi velint efferri, variari, lectos & cubilia, tunc omnes cuſtodes ægrorum dicunt ægrum proximum eſſe morti; ſive ſit anxietas in Præcordiis, ſive in Hypochondriis, ſemper eſt periculum vitæ, quia materia inflammatoria non facile tranſmittitur, ſed humores eſſe debent reſoluti & vaſa aperta ut maneat vita, jactatio in lecto eſt valde periculoſum

ſignum, uti & ſuſpiria, quia denotant impeditam eſſe reſpirationem; anhelationes, quia deſignant, quod ſanguis per pulmones libere fluat, omnia hæc ſigna ſunt valde periculoſa, quia denotant ſanguinem arterioſum in ſuis vaſis minimis ſtagnare, ut tranſire non poſſit, ſi illa ſtagnatio diu duret, ſtatim ſubſequitur mors.

§. 633. *Medela*. Dolendum eſt artem noſtram generale nomen dediſſe morbo, hinc generale remedium volunt adhiberi contra anxietates, ut Salia Volatilia, tincturas Caſtorei, Succini, Rutæ & Juniperi, in Spaſmodicis anxietatibus hæc conveniunt, ſi vero dentur in Inflammatoria anxietate venena ſunt, ſi in Hyſtericis mittas Sanguinem, morbum pejorem facis.

Leniendam. Aliquando contigit, ut frigida aqua in hominis anxii faciem projecta ut in Hypochondriacis anxietatem tollat, unde mutetur aliquid in corpore, id eſt, facit, ut ſpiritus æquabiliter fluant, tunc obſidentur, datur tranſitus, in alio caſu non potes niſi Venæ Sectione curare, quæ methodus maxime noceret Hypochondriacis vel Hyſtericis, imo & anxietati Febri Quartanæ. Univerſale contra anxietatem *Paracelſus*, *Helmontius* aliique Chemici jactant ſopire Archæum furentem, at morbi cauſam tollere debuiſſent, quod non ſciverunt, hinc

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.

Symptomatis. Id eſt, inquietudinis & ſuſpirationis, ægri dicunt ſe nil mali ſentire, interim mox caput huc, mox illuc vertunt, ſanguis tum ſtagnat ante minima vaſa, hinc ſenſus in cerebro deficiunt, lenta fit reſpiratio; reſpiratio

vero

vero est Pulmonis explicatio, si in ægroto videtis contingere; certum judicium ferre potestis ægrum non evasurum, qui in tristitiam injicitur, spiritus perturbantur, gravitatem sentit in pulmonibus, sanguis ibidem colligitur, ad hunc mox promovendum profunda exspiratione pulmones explicantur, inde oriuntur suspiria.

Affectio Spasmodica. Si Spasmus adsit, acre leniendo tolli potest, nam Spasmus ab acri nascitur; aqua calida est summum leniens & maximum remedium Spasmodicis, hinc potus Thée, Coffe, Ptisanæ, Hordeatæ, si fiat ab acri irritante, optimæ sunt. Si hæreat aliqua causa irritans in Ventriculo, quæ sua acrimonia Spasmos producit, illico auferendum est per remedia illa ante dicta, v. g. infantibus aliquando oritur intolerabilis anxietas, ut subito tollantur è medio, aperiuntur eorum cadavercula, invenitur caseus condensatus liquido omni expresso, tam arcte Pylorum claudens, æque ut suber impositus esset, hinc quidquid deglutiant, impossibile est posse transire, sed oritur Convulsio, si enim Medicus statim accessisset in statu anxietatis & dedisset Mel, Saccharum & Saponem Venetum larga copia, sustulisset morbum, & fecisset, ut coagulum per intestina secederet, præscribere etiam debet Medicus parum Rhei Electi, si hæc non cum bono successu agunt, incassum est plus remedii exhibere; nam tum moriuntur ex insultibus Epilepticis, licitum est quidem tandem exhibere illis infantibus Vomitorium ex radice Ipecacuanhæ ad scrupulum semis, quod medicamentum multoties infantibus annuis vel bienniis exhibui, non vero Antimoniata sed tantummodo lenia. Homo molliter educatus

accipit carnem putridam, ob famem deglutit illam, & non sentit, nisi cum fit in gutture, oritur Nausea & incredibilis anxietas, donec hoc præternaturale vomitu ejectum fuerit, sic Arsenicum haustum sua vi anxietatem producendi habet, tum ægro aliquid est dandum, quod ipso momento agit, at Vitriolum, id est, Gilla *Paracelsi* dicta, & solutio Cupri in acido facta, ad guttam i vel ij vel dragmam unam hausta, in plerisque Febribus, in quibus futura est anxietas, si in principio detur Vomitorium, plurimæ anxietates præcaventur, & cognoscuntur illæ Febres, nam incipiunt cum Nausea, si in initio morbi jam datum fuisset Vomitorium, ejecta fuisset parva copia materiæ acris, unde miramur, quod hoc parum inducat tantas anxietates, non est hæc Inflammatoria sed Spasmodica ab acri irritanti in primis viis hærente, nam hoc addiderim, raro tale acre hærere in systemate interno, id est, vasorum arteriosorum, sed in visceribus vel extra vasa, ut ita loquor in Sphincterulis nervorum, de quibus actum est; in omnibus morbis Acutis, ubi bilis movetur, ex Antimonio Nitrato petenda sunt medicamenta, ubi Pituita peccat ex Mercurialibus, verum tamen cum Antimoniata sint fortissima potius sunt eligenda in primo casu illa, quæ proposui.

Purgantia. Æger assumat Cremor Tartari cum sero lactis tamdiu, donec in levem Diarrhæam incidat, hoc non nimis solvit, sitim non excitat, non intrat in massam sanguineam, sed purgat primas vias; hæc purgantia in Materia Medica descripta non nimis stimulant nec corpus turbant.

Sudorifera. Si in Febribus dentur, quæ majori

fori sanguinis motu aucto liquidissima exprimunt, execrabilia sunt, ut Theriacalia, salina &c sed si vasa constricta sint, & sanguis densus, tum Sudorifera, Diluentia & Aperientia exhiberi possunt, acetum & aqua est summum Sudoriferum, & sic hæc bona sunt pro causa sua & pro effectu; si loco tot radicum præscriptarum sumatur una Chinæ radix in tanta copia, quanta est omnium radicum simul, idem efficies v. g.

℞. Rad. Chinæ ℥ij.
—— Graminis ℥iij.
—— Salsaparil. ℥jß
Fol. Taraxaci M. iv.
Flor. Sambuci ℥ij.
Sem. contusi Petroselin ℥ij.
Cum. Aq. decoct. pint. iij. exhibe.

Hauriat æger uncias tres calidas omni quadrante horæ, donec leviter sudet. Vel sumitur decoctum radicis Graminis, quod enim summopere hic commendatur, si tanta copia bibatur, donec sudor effluat in morbis acutis, & *Hippocrates* dicit ægros hoc sudore sanari.

Diuretica. non differunt à Sudoriferis, nisi determinatione, hinc idem ferendum est judicium de his ac de Sudoriferis.

Diluendum est acre irritans per aquosa calida ut potus Thée cum melle largiter haustus, Ptisana affatim sumpta, vidi tales anxietates ut ægri morituri viderentur, qui Phthisi Pulmonali affecti erant, hi enim semper três vel quatuor horas post pastum anxietate pessima corripiuntur, vidi hisce Medicum dedisse Cardiaca optima pro roborando, nil proficiebant, simul-

ac lac cum aqua haufiffent, omnis anxietas evanuit, hoc eft optimum contra has anxietates remedium. Vapor aquæ tepidæ potus ejufdem, clyfmata aquofa, fomenta ex pannis laneis aqua tepida imbutis & loco affecto impofitis, omnia hæc funt optima; fi dicam aquam tepidam puto enim lac, ferum lactis & plura talia, quæ eatenus bene agunt, quatenus aquofa funt. Si anxietates oriantur non ab humorum malitia fed à Plethora, tum detur victus lenis, aquofus, diluens, calidi potus, balnea, fomenta, Venæ Sectione præmiffa; fi ab acrimonia certe etiam hic tolletur, vidi anxietatem à nimia Venere ortam, cui ægro dabatur aqua calida cum melle, nitro, faccharo cum farinofis ad multas libras potanda, & pannis laneis madefactis corpus fovebatur, hifce enim medicamentis curatus fuit æger, fi in ventriculo inftar Cauftici hæreat, tum Vitriolum Album, quod eft arcanum *Paracelfi*, ad fcrupulum unum eft optimum remedium, fi detur in fcrupulis fex aquæ tepidæ, quod fubito vomitum ciet, aut tinctura Cupri in aceto foluti ad dragmam unam, hac ratione fuperatur horum venenorum acrimonia.

Sedando. Illa fedatio confiftit in perpetua variorum objectorum ablatione, fi hoc non fuccedat, tum adhibenda funt Narcotica ut funt Opiata.

Laxando fibras. Hinc potus emollientes, clyfmata emollientia, epithemata emollientia Hypochondriis applica, balneum vaporis aquæ, hæc omnia funt optima, ut caufa quæ latet femper in cerebro depellatur, vel avertatur.

Compefcendo per anodyna. Hæ funt fumma remedia, quibus omnes anxietates à genere nervofo

voſo ortas citiſſime ſanabo, etſi homo ſit ſaniſſimus, ſi nervoſus ſpiritus, qui æquabili motu in ſanitate feruntur, vel per moleſtam mentis cogitationem inæqualiter ferri incipiant, tum creantur maximæ anxietates, idem fit in Melancholicis & Hyſtericis, quæ per cogitationes ſuas ſibi creant anxietates Spaſmodicas, his vero ſi adhibeantur; Anthyſterica cum Opiatis optime proſunt, curantur enim hæ mulieres per determinationem aliam ſpirituum nervoſorum v. g. ſi Medicus objiciat naribus Hyſtericæ ſpiritum Salis Ammoniaci cum Calce Viva, ſtatim ſpiritus animales alio determinantur, & avertuntur à loco, in quem inæquabiliter antea ferebantur, hinc ſi mulieri Hyſtericæ collum maxime intumeat, & ſe ſuffocari ſentiat, tum Opiata cum Anthyſtericis conveniunt; optima in hiſce caſibus ſunt, ſpiritus Ammoniaci, tinCturæ Caſtorei, tincturæ & oleum Succini præſertim ſi his addatur Opium v. g.

℞. Aquæ Rutæ ℥v.
Salis Ammoniaci ʒj.
Opii puri gr. j.
Syr. 5 Rad. aperient. ℥j.
M.

Vis liquidi nervoſi pacatur per ſomnum, per hanc rerum oblivionem, per Nepenthe & Lethe illud Poëtarum amabile; benigniſſimum illud ſpirituum animalium exorbitantium demulcens, quorum ſummus domitor eſt Opium, & tuto in anxietatibus adhiberi poteſt, ubi illæ non ſunt inflammatoriæ, nam in illis peſſundatur æger, ſed ſummum remedium eſt, ubi anxietas oritur ab animi affectibus vel à ſpiritibus erranti-

rantibus, tumque semper tuto & cum successu dari potest.

Solvendo. Omnia, quæ assumimus ex cibo & potu sunt minus ponderosa quam noster sanguis, omnis noster chylus est longe rarior & minus ponderosior ac noster sanguis, omne nostrum lac est minus ponderosum, quam noster sanguis, omnis sanguis bonus est minus ponderosus quam inflammatorius compressus; & densus; si ergo sanguis nimis densus in morbis acutis pariat anxietates, tum summum remedium est minuere vires vitæ, ne sanguis densari pergat, & tum id secedit, quod erat densatum in resolutas partes. Quænam ergo sunt solventia, quæ ipsum sanguinem solvunt? Hæc sunt Sales vel Sapones, solum Nitrum cum suis productionibus, sal Prunellæ, sal Polychrestus, Nitrum Stibiatum ferè solum, omnes succi Horæi solventes, vel succi herbarum amarescentium sapones referentium, non tamen exsiccantium, Absynthium est amarum & convenit, ubi est attenuandam, non illi, quod per inertiam vasorum coaluit, sed succus Cichorei, licet attenuet, agit tamen forma saponacea non stimulante; omnes sapones hic convenientes sunt ex herbis Planipetalis Lactescentibus & Pappescentibus, ut sunt succi Horæi recentissimi maturi, baccæ maturæ, succus Pomorum, Uvarum, Mororum, Cerasorum, Ribesiorum, Ebuli, Sambuci &c. ille succus est ipso mollissimus, non refrigerat; multis hæc res paradoxa videtur, qui jactant, quod à fructibus Horæis sanguis condensetur, hi maxime errant; nam homo, qui obstinatissima alvi siccitate laborat, si bibat libras tres vel quatuor succi recentis ex pomo acido maturo, ex pomo

mo dulci & similibus incidit in Diarrhæam; & si ulteriur pergat, ejus sanguis ita dissolvetur, ut totus in aquam per Dysenteriam abeat, ergo hic error est expurgandus, inter hos sapones eminet mel, saccharum, mel enim est sapo, qui omne oleum reddit aquæ miscibile, saccharum attenuat mirifice humores, non tamen motum violenter auget, mel simile quid habet.

Refrænando: Hæ à flatibus oriri dicuntur, hinc Practici ejus sententiæ dant Carminantia, at optimis Practicis mihique sæpius observatum est fieri constrictionem in Intestinis, Stomacho & Æsophago. In Hystericis diu non potui invenire causam, dicunt mulieres globus quasi ex Abdomine ad gulam tollitur, ac indicantibus ille ad collum satis manifeste sentitur; hæc est sententia illorum, qui Carminantia dant, nempe quod Sphincter Æsophagi esset convulsus, proinde Æsophagus clausus; hinc aër conclusus simul rarefactus, quidquid ægro datur non transit, vel remittetur, sed regurgitat, post ructum sublatum erit malum, in his Hystericis si fiat constrictio in orificio stomachi anxiæ sunt ad crepaturam fere usque in his locis; sic intestina aliquando inflabuntur ad pugni crassitiem & aër intermedius rarescens distendit & parit maxima damna; quando vero tunc utuntur carminantibus eadem ope expelluntur flatus, restituitur etiam motus spirituum æqualis; in his morbis optima sunt illa dicta scilicet fætidissima medicamenta pauxillo aquæ superaddito ut v. g.

℞. Aquæ Rorismarini ℥ij.
Tincturæ Succini ʒj.

Sy-

Syrup. quinque Radic.
Aperient. vel Diathr.
Fernelii ℥β
M.

Aut leve decoctum ex Anodynis Emollientibus, & detur, ubi adscendit malum, ad unciam unam, & curatur æger; cura generalis dabitur in capite *de Morbo Hypochondriaco.*

Mulsæ. Aqua cum melle vocatur mulsa, nullum Balsamum magis liquefacit, & minorem facit impetum, nec quidquam est magis penetrabile per minima vasa, quam hoc.

Farinosæ. Incoquantur in aqua calida semina quatuor frigida vel semina Papaveris vel parum Farinæ, quod decoctum maxime prodest ad sicca madefacienda, spissa meabilia reddenda, motum nimium cohibendum, multum quoque juvat infusum Ligni Colubrini; hac enim ratione tales anxietates sæpe tolluntur, quidam commendant Lapidis Bezoardicos, sed hæc medicamenta, nisi anxietas parva facileque dissolubilis fuerit, vix proderunt, hinc his confidere tuto non licet.

Nitrosæ. Quia metuo putrefactionem, & est sal omnium maxime penetrabile per minima vascula, interim impetum auget, tum à corpore secernitur, sed mirabimini me adjungi subacida, *Hippocrates* in morbis à tali causa productis nil aliud commendat.

Subacidæ. Quæ sunt penetrantissimæ & putredini adversæ, & credo me jam olim sustulisse scrupulum de vobis, quod acidula coagulent sanguinem, contrarium enim est, nam nulla sanguinem magis attenuant & dissolvunt, quam hæc, patuit enim in exemplo allato fru-

tuum maturorum Horæorum, qui sanguinem ita solvunt, si nimia copia assumantur, ut Diarrhæa aquosa lethalis brevi subsequatur, hinc illa in hoc casu non metuo, sed debent esse subacescentia, ut proposui.

Aromaticæ. Ut separatio inertiæ fiat.

Fotus. Hodie oblita est cura *Hippocratis*, qui in morbis nullam majorem curam adhibuit, quam ut certus esset, quomodo Hypochondria se habuerint, nam vix de pulsu aliquid dicit, sed de respiratione, lingua urente &c. semper dicit, omnium maxime est tensio circa Hypochondria duritie, renitentia, tensione; sursum introrsumque abductione & vera dicit, quoniam anxietatis officina hic hæret, & quando malum fit ab infarcta materia, quid plus juvat, quam partes laxatas tenere; objicitur ad interiora non penetrare? Sed penetrant in venas & vasa laxant, & quo plus laxantur vasa, eo minus ad interiora vergit, 2. ipse sanguis diluitur; hinc in morbis Acutis semper fomenta sunt adhibenda, & nostri Batavi sumunt pannos laneos e tela crassiori confectos, hos immersos balneis humectantibus exprimunt, & ad totam regionem Præcordiorum uti & ad Hypogastria & Hypochondria applicant, tum superimponunt ex materia fictili instrumenta, quæ partium structuram referunt, nostrates etiam laminam ferream, quæ calefacta, diu calorem nempe ad duas vel tres horas retinet, adhibent, quam laminam frigefactam iterum de novo calefaciunt, hanc laminam vulgo vocant *Colyksteen*, id est, lapides ad Colicam.

Clysmatibus ad emolliendum & laxandum, non vero ad evacuandum; nunquam inflammatoriam anxietatem videbitis, quin visuri estis bal-

balneum laxans requiri interne per intestinum Colon, sed non magna copia simul injicienda, ut diu retineri queat, ex solo lacte Hydrogala, sero lactis recenti & decocto Malvæ &c. hæc si injiciantur & diu retineantur, faciunt anxietates plus recedere quam creditur.

Vapore aquæ. Qui summa anxietate laborant ex eo, quod arteriæ Pulmonariæ sint immeabiles, habent in parte aërea pulmonum exsiccationem, simulac enim sanguis sistitur in pulmonibus, comprimuntur omnia vasa Bronchialia, & non fiet humectatio, vasa se contrahunt, sanguis transire non potest, maxima oritur anxietas, si talis æger ex pelvi aqua calida plena vel ex lacte recenter mulso &c. vaporem inhalet, mirifice reficitur, hinc hoc remedium esset commendandum in omnibus Pleuriticis, Peripneumonicis & Anginosis morbis; scio objicere hoc remedium pulmones suffocare, sed videtur hic vapor primo momento suffocare, sed ubi pulmo hæc paululum passus est tum laxat; hujus neglectus est valde damnosus, regula enim hæc est tanti momenti, ut incredibile sit, nam hac ratione pulmones exsiccati constituuntur in perpetuo vaporis balneo, & eo est efficacius hoc remedium, quia illo propior tutiorque datur accessus. Hoc decoctum fit ex Malva & seminibus Lini. Olim hic fuit Romanæ Religionis sacerdos, qui omnes fere Anginas suffocantes & Peripneumonicos opprimentes arcano quodam edocto curabat, & ut colligere potui, non erat nisi vapor aquæ calidæ cum pauco aceto & herbis quibusdam aromaticis mistis, qui vapor erat hauriendus ore ex infundibulo inverso, & hocce remedio ad miraculi stuporem usque plurimos sanaverat. Hæc sunt

ſunt omnia, quæ novi à Medicis cognita ad tollendum anxietatis ſymptoma, vos ubi diſtinxeritis in anxietatem Spaſmodicam & ab infarcta materia, vel viſcida, vel inflammatoria, habebitis omnia, quæ prudenti Medico requiruntur.

§. 634. *Citam.* Anxietas enim eſt obſeſſio cordis, niſi cito expedias, æger moritur, præſertim in Febribus Continuis, nam ſæpe poſt quadrantem reverſus defunctos ægros invenies, ergo nunquam ab ægro anxio ſecedas, niſi prius ſcias non poſſe curari, niſi applicetis illam methodum & remedia, quæ omnium optima ſunt contra hunc morbum.



Sitis Febrilis.

§. 635. Sitis hic eſt tantum aquoſi frigidi ſubaciduli potus deſiderium.

Siccitatem. Nemo habet os, fauces, laryngem, vaſa Pulmonalia, Æſophagum exſiccatum, quin ſitiat, niſi mens laboret; *Hippocrates* dicit, qui cauſam ſitis habet, & non habet ſitim, ei mens laborat, id eſt, cerebrum eſt obſeſſum; quod juxta illum eſt mortis ſignum. Semper adeſt humorum ſiccitas, ubi humores impotes ſunt ad fluendum per vaſa; ſi multum ſalem aſſumpſeris, ſities, ne ſanguis nimis ſpiſſus evadat.

Liquorum immeabilitatem. Deus nos tam mirifice condidit, ut ſitis nos doceat, quid ſubſit, quæ ſemper fertur in acidula, ut in aquam cum Limonum, Cydoniorum, Citriorum & Au-

rantiorum ſucco; licet homo abundet liquido, ut in Febre Tertiana & Quartana tunc tamen fit ſitis; quia ſtagnant liquida in pulmonibus, hinc creatur ſitis ob immeabilitatem, ut accidit Quartanariis in ipſo ſummo frigore, unde patet ſitim tantum non conſiſtere in humorum ſiccitate, ut multi voluerunt. In Pleuritica Æſtiva diatheſi diſpoſitione ſanguis ad coagulationem diſponitur, hinc dilutione eget.

Acrimoniam ſalſam. Sal Marinus, Gemmæ vel Ammoniacus cum aqua aſſumptus creabit ſitim; ſi quis aquam marinam affatim bibat, non tamen minus ſitit quam ante. Simulac natum eſt in corpore vitium, quod tolli poteſt quodam diluente, Deus dedit homini deſiderium liquidi cujuſdam tollentis hoc vitium, itaque tunc expetit potum ſubacidulum, quo omnis ſalſedo avertitur. Æger acrimoniam habebit, donec ſal dilutus ejectus ſit ex corpore.

Alcalina ſitim promovent, ſi enim ſumatur ſal Tartari aut ſpiritus Salis Ammoniaci, ſpiritus Cornu Cervi aut urinæ ad unciam unam, immaniter ſitiunt ægri, quæ ſitis non niſi acidis cedit.

A bilioſo oleoſo. Ut carnibus aſſatis in cruſtas Eſcharoticas ambuſtis & ſalitis, ſic ab Halece pingui maxime ſalito, ſic ſi lardum ſalitum ſumat homo, quam à ſolo tantum ſale; Hydropici, licet aqua ſint pleni, ſiticuloſiſſimi ſunt, quia habent aquam acrem ſalinam, oleoſam, rancidam; à bile ſitis eſt maxima, ergo non omnis ſitis eſt ab alcali, ut putabat *Sylvius* id arcanum roganti diſcipulo dans; id enim falſum eſſe diuturna ægrorum obſervatione didici; hinc eſt obſervandum, an ſitis oriatur à

ficcitate, an à coagulatione, an ab acredine alcalina, aliove putrefcente.

§. 636. *Præsentiam.* Forte cogitatis non esse exemplum, ubi sola immeabilitas sitim producat, sed qui Quartana, Tertiana laborant; habent in frigore sitim, tum vel nil humoris perdiderunt, novi fœminam, quæ in frigore febrili quadranti horæ decem libras liquidi assumpsit, vidi in Febre Epidemica hoc ubique verum fuisse. inquirendum igitur est, an calida spirituosa, salina, aromatica sitim faciant, si non fit calor ante Febrim, non est à ficcitate sed à sola immeabilitate, si tum v. g. discam per signa præsentia sitim non esse à defectu, non ab acri, sed ex eo, quod humores per pulmones ire non possint, nec per vasa minima; nunc natura instituit, ut æger adigeretur ad bibendum, ut sanguis fiat meabilis, si nunc æger non bibat, & causa maneat, tum fit oppressio, hoc observatio docet, simulac enim homini sitis sublata fit, non erit necessitas bibendi, hinc semper occurrendum est siti, in qua abigenda sæpe fælix fui, quod tamen fine jactantia dico. Si alicui fit magna ficcitas in humoribus, in vasis minimis fiet stagnatio in cerebro, unde Delirium; hoc confirmatur ex *Hippocrate*, qui dicit, si os, nares & fances ficcantur, sequitur Delirium, hinc oritur à pulmonis ficcitate Peripneumonia, idem si ab immeabilitate oriuntur diversis in locis Inflammationes variæ, si Sal Marinus abundet & æger non bibat, tum docemur sales acres se sensim insinuaturos ad nervorum initia, unde maximos dolores futuros in acri Scorbuto; in alcalino & oleoso oriuntur putredines, ergo fedanda est sitis, & damnandus *Helmontius* uti Chemici & *Sylviani* atque

plures

plures, sitim non esse sedandam putantes; *Helmontius* dicit se habere aliquod remedium, quo pacat Archæum in ventriculo, sed bibere non licitum erat, quam methodum multi clari viri secuti sunt, qui non volebant præscribere potum sed sua Alexipharmaca, à quibus plurimi perierunt; contigit aliquando ut aliquis æger à summa siti tortus in piscinam ex loco altiori se dejecerit & ibi affatim bibens corpus à sudoribus plane defluxerit, unde morbus fuit solutus, & sublatus. In morbis acutis sitis siccitatem, acrimoniam & immeabilitatem conjunctam habet, hinc fluida maxima in copia sunt assumenda. Si Hydrops à sola aqua; ægri sitiunt, & curandi sunt summa abstinentia à potu; at, inquit, *Hippocrates* Hydropicus summe sitiens morietur, quia humor acris factus excipitur in loca aperta; simul putrefactus stagnat, si bibat, accelerat mortem, si non bibat, putrescit, appetit semper acida, quæ putredini resistunt.

§. 637. *Aquosa.* Addatur his pauxillum Nitri, bibat æger demulcentia in pauca copia, nam aliter ventriculus se constringere non potest, hinc anxietates oriuntur, ideoque æger nunquam ultra duas uncias hauriat, & nunquam frigida, nam etiamsi aqua frigida statim refrigerat, attamen paulo post constringit vasa, & facit frigus febrile diuturnum, quod paulo post creat æstum tanto majorem, quo plus aqua refrigeravit; ita ægri non debuerunt uti frigidis potibus, ut voluerunt Itali, aqua humectat, & abstergit, hinc fere optima est, at meliora sunt subacida, quæ plurima sunt, sed quæ hic conducunt sunt levia, tenuia, ut Aurantiorum, Limoniorum, Citriorum succi, si bene maturi

aqua

aqua misceantur, huc pertinet Nitrum, nostra methodo paratum, quod est sal mirifice sitim exstinguens, solum inter omnes sales, tum demulcentia multa prosunt, v. g. potus ex Amygdalis contusis, in multa aqua coctis, decocta Avenæ, Hordei, panis Tritici, Oryzæ, potus Thée, Coffé.

2. Hæc est tanti momenti in morbis Acutis, ut illud vobis satis memorare non possim. Exsiccatio & acrimonia &c. non sunt nisi in cerebro & pulmone &c. si jam liberam fecisti circulationem in externa Carotide, eo magis liberabis ab impetu internam Carotidem & proin totum Encephalon, verum versus hasce partes sese distribuit illa; hinc membrana narium, oris sicca notat vasa quoque externæ Carotidis sicca esse, illam tum laxare debes & humidam efficere, verum hoc non fieri potest potando, sed topice applicando, præsertim ad glandulas Parotides & Submaxillares; si in siti aliquando non conduceret nimium potare, tum nil plus juvat, quam in volis manum aceti sumere, haurire naribus, & colluere os internum, sumatur etiam in panno calido Oxycratum ex aqua Rosacea cum pauco aceto Rosaceo, ut inhalent, vel eo colluant os vel gargarizent, incredibile est quantum boni hoc faciat ad sitis causam levandam, si æger perpetuo colluat has partes, & iterum exspuit, optime laxat, & fovet has partes, ubi vasa quam plurima sunt nudissima.

3. Ut in perfecta Febri Ardente v. g. Pestilentiali v. g. pannis laneis aqua tepida madidis involvantur loca affecta, & hæreant sic ægri in perpetuo balneo, ut aqua se insinuet, loca illa laxet, & sese sanguini misceat; inveni fere

ſemper ſitientes habuiſſe obſtructiones in Hypochondriis, hinc hæc loca ſunt fovenda ſequenti vel ſimili fotu.

℞. Aquæ	℔ iij
Aceti	℥iij
Nitri	ʒß

M. F. inde Fotus.

Omnes anxietates hac ratione diſſolvuntur, nam eſt epithema penetrans per Epidermidem.

4. Si Bronchia ſint obſtructa, ut etiam ſtomachus & inteſtina exſiccata, tum ſæpe non juvat bibere, hinc adhibeantur clyſmata ex ſimilibus, quæ ſæpe reſorbentur ad uncias decem, nam ſæpe obſervavi ea optima cum ſucceſſu per ſalivam & ſudorem eſſe reddita; legite Opuſculum Poſthumum *Sylvii de Boe de Febribus Lugduni Bataverum graſſantibus*, ibi videbitis eum commendare Diaſcordium Sylvii & Bezoar minerale, ſed ille ipſe ægrotus his non adjutus ſumpſit aquas Spadanas acidulas, ut diſerte dicit & ſanatus fuit. ex Clyſmatibus ſupra dictis non purgatur æger, ſed ſunt balnea interna, quæ vaſa Meſeraica refrigerant uti & hepar; &c.

§. 638. In hoc caſu ſæpe fui dubius, vidi ab una parte ægros debiliſſimos ab altera parte ſiticuloſiſſimos, à potu debiliori major debilitas, ab altera mors metuebatur; tum reperi vina & ſpirituoſa aquoſis addita optima eſſe, non vidi ſæpe ægros ſiticuloſos adeo proſtratos eſſe, ut *Lucanus* à dipſade morbos diſcribit; hinc ſitis aliquando non adeo eſt ab Inflammatione, quam ex aliqua cauſa ſingularis acrimoniæ, ut v. g. Hy-

Hydropicus quadraginta vel quinquaginta libras aquæ intra cavum Abdominis habens licet aquosa bibat, non à siti levatur, quia ejus sitis oritur, quoniam vasa superiora tanto sicciora sunt, quanto plus aquæ in cavo Abdominis hæret; in tali casu uncia una vini vel dragmæ duæ spiritus vini cum unciis viginti aquæ mixtis addito parum succi Citri conveniunt, ut æger sorbillando capiat, inde plus reficitur, quam si aquam hauriat, an ergo sitis nunquam fallit & an semper est bibendum, ubi sitis; ita, sed non semper requiritur liquidum in toto corpore; Hydropicus non prius sitiet, nisi quando aqua stagnando putredinem concepit, dein Hydropicus non sitiet, quando arteriæ & venæ aqua plenæ sunt, sed quando aqua ex arteriis & venis exivit, ergo sitis non fallet, sed his in casibus non conveniunt aquosa, nam malum producunt effectum. Hæc sunt ea, quæ de siti dicenda sunt.



Nausea Febrilis.

§. 639. Omnis conatus in Vomitum non est Nausea, sed tantum quando est cum idea horroris rei, quæ Nauseam facit.

Horroris. Si cum summa fame accedatis ad mensam, & primus, quem accipitis, bolus est frustulum putridi vel rancidi hepatis, appetitus, quantum fuerit, delutus est; neque cessat illa Nausea, nisi causa per Vomitum fuerit ejecta vel per acida vel salina correcta, vel potu di-

luente Coffé vel Thée amandata, tunc redit appetitus & Nausea desinit.

Faucium. Si homo sit perfecte sanus, & lingua attingit Pharyngem, mox nauseabit, & notum est, quod Nausea oriri possit ex qualibet faucium irritatione.

Æsophagi. Ut si quis trahit sibi Lumbricum ex Æsophago, mox nauseabit.

Ventriculi &c. Lumbrici moti per intestinum vacuum repentes & adscendentes versus ventriculum (ut accidit plerumque pueris) creant magnas deinde Nauseas.

Leviorem Convulsionem. Si digitus intrudatur ad initium Æsophagi, Nausea statim oritur, quæ vera est ejus irritatio, nempe stomachi & intestinorum, ut in diuturna Nausea videmus, bilem & succum Pancreaticum imo ipsas fæces ex ore redire, si volvulus adsit, tum decem musculi Abdominales simul convelluntur.

1. *Ab acri* &c. Bilis nostra discedens à naturali saponacea natura oleosa facta rancescit, adscendit in stomachum, ubi irritationem facit, quæ producit motum vomiturientis; hoc patet, si esurienti primus bolus sapiat putridum, fætidum, abhorret statim omnem cibum, aut etiam si ovum putridum gustaverit, si hi nervi irritentur, oritur Nausea, tum ægri fere nullum appetitum habent; Medici hujus seculi fermentum suum ventriculi restituere volentes dant acida, quæ quidem tum optime juvant, & dicunt se fermentum ventriculi hoc pacto restituisse, sed ego semper tunc observavi bilem putridam alcalinam fuisse, quæ in ventriculum adscendit per diuturnam inediam; in omnibus igitur morbis Acutis vel Chronicis, in quibus bilis flava putrescit, tunc cum ventriculus diu man-

manserit vacuus propter appetitum prostratum & inediam, relaxatus inde est Pylorus, quia non potest se constringere (vide Caput *de Actione Ventriculi*) hinc bilis putris sursum retroibit in Ventriculum, & huc potius tendet quam versus Jejunum, quod tunc se contraxit, ergo hæc bilis veniens in Ventriculum generabit maximam Nauseam; vide *Bellinum de Ovo Putrido Inaurato*, quod deglutitum maximam creavit Nauseam in *Tractatu de Ovo.* Bilis regurgitans in stomachum putrescit, & halitum fætidum dimittit, unde os & fauces sordida fiunt & fauces apparent crusta sordida iucrustatæ, tunc cognoscimus ægrum habere aliquid putridi, quod ex intestinis venit.

2. Sæpe hoc vidi, quod tum essent lumbrici aut viscidi humores, qui fluctuabant in stomacho quasi ad Æsophagum appellerent, idem fit ac si esset filamentum omni momento ascensum hac via tentans, unde appetitus tollitur; si homo diu fuerit omni appetitu destitutus, & hæc Anorexia lente admodum venerit, si pallidus sit, viribus destitutus, pulsum vix habens &c. tum illud oritur à glutinoso spontaneo, vide *Caput de hac re*; si æger sit frigidus in toto corpore, pulsum vix habens, tum adest vel talis materia vel lumbrici adsunt.

3. Si hæ partes inflammatæ attingantur, tum hæ fibræ retrotractæ & irritatæ faciunt, ut ingesta regurgitent; hinc in Acutis si fiat Inflammatio in his locis, tum minima res attingens creabit Convulsionem & Contractionem, quæ pertinet ad Nauseam, eamque tum ideo excitabit summam.

Signis. Tunc aderunt Febris & dolor &c. quæ sunt signa Inflammationis, si vero hæc magis

magisque augeantur, tum erit in his locis pessima Inflammatio; in cadaveribus Pestiferorum Medici detexerunt Anthracem in ipso ore ventriculi, quæ perpetuo per decursum morbi creaverat Nauseam & Vomitum horrendum.

4. Vidi fortissimos homines imperium bene habentes in suam voluntatem gloriantes se assumere remedia, sed si sæpius cogerentur, tandem nauseabant ad eorum memoriam, ad adspectum magis, ad gustum maxime, hinc si æger videat haustum, è quo potavit vomitorium, aliquoties abhorrebit & nauseabit.

5. Si corpus valde concutiatur, ut patebit in Apoplecticis aut in navi jactatis fit Nausea, multi tenelli, si sedem moveas iis, nauseabundi fiunt; quidam summopere irati, ut in Hystericis patet, sæpe quidem si inversi sedeant in rheda, hujus generis causæ sunt plurimæ, si Delirium incipiat, notat cerebrum leniter Inflammatione affici, si homo insultibus Spasmodicis sit obnoxius &c. ei fiet Nausea, quia Spasmus natus est in iis partibus; Vertiginosi facile vomunt, tum tremunt, hinc *Hippocrates* dicit, tremor labii inferioris denotat vomitum, quando cerebrum est læsum tum æger nauseat, & est signum Apoplexiæ lethalis, teste *Hippocrate*. Si in Febre Ardente æruginosus sit vomitus, certissimi sumus, dicit *Hippocrates*, totum cerebrum esse perversum, hinc propter motum spirituum inordinatum fit ingens vomitus biliosus, quod denotat ægrum Phreniticum moriturum.

§. 640. *Inedia.* Nauseabundo impossibile est edere, simulac appropinquatur cibus, viæ clauduntur, & musculi constringuntur, ut nihil transire possit; hinc facit; ne sanguis diluatur,

mitificetur, fordibus purgetur ob defectum novi chyli.

Acrimonia alcalina. Nam omnis homo, qui diu abftinet à cibo, interius putrefcit, ob defectum novi chyli, nam vires noftri corporis vertunt omne acefcens vegetabile ingeftum in alcalinum, fi vero illæ vires diu maneant fine refectione, tum femper fales exafperantur, & olea rancefcunt; hinc halitus fætebit, urina erit rubra & exurens, fudor fætorem fimilem referens, fæces erunt fordidæ, bilis acrior, uti & Succus Pancreaticus, nam eft de natura corporis, ut nifi humores reficiantur, putrefcant, inde fit ficcitas, quæ ad mortem pergere poteft, hæc funt omnia prima figna, quæ ex Naufea fiunt, obfervatum eft in omnibus Monafteriis, ubi diu fæpe jejunant, quod omnibus his tertio fere die faliva effet fœtida, putrida, halitus fætens, fordes in faucibus, lingua fcabra, dein debilitas & ficcitas.

§. 641. Si febricitans laboret Naufea, mihi eft inquirendum, a qua caufa, fi inveniam ex fignis datis effe humorem biliofum, incipit putrefcere bilis, quæ perpetuo irritat, curatur acidis, ut Vino Rhenano acido, fpiritu Nitri Dulcis, fpiritu Vitrioli, fucco recenti Horæorum, Citri & hinc apud veteres hauftus aceti cum aqua laudatur, vel potius cum fucco Citri ut hodie fit, omnia hæc grata Naufeam tollunt, ubi aliter vix aliquid efficitur.

Salfi. Salfa putredini refiftunt, ut Nitrum, Sal Marinum, & Ammoniacum, hinc factum eft, ut veteres in diuturna Naufea unciam unam vel duas Salis Marini vel Aquæ Marinæ commendarunt fcilicet ut putredinem abluerent; nil pulchrius eft ad hoc malum fuperandum, quam

cremor Tartari permistus Mivæ vel Pulpæ Cydoniorum, remedium sequens est *Riverii*; sumatur sal Absynthii cum succo Limoniorum recenter expresso bibatur hoc in actu effervescentiæ, pro potu adhibeatur sequens remedium.

℞. Hordei non excorticati ℥j
Decoquatur in tribus pintis
aquæ ad residuum ij pintar.
addatur Succi Citri ℥ij
Sacchari. Q. S.

Ne nimia acrimonia noceat, si hoc satis diu assumpserit aliud medicamentum dari potest, v. g. Vinum Rhenanum cum duodecuplo aquæ, & pauxillo sacchari, cibi in hoc casu semper ingerendi sunt, ut, si tempus sit Æstivum, sumat succi Ribesiorum, Mororum uncias decem, decoquatur parum ad ignem, edulcoretur pauxillo sacchari cum aliquantulo Vini Rhenani, quo irroretur & impregnetur panis tostus, ægro in cibo dandus. Ante viginti annos hic in Hollandia mos obtinebat, ut Medici in omnibus morbis Acutis commendarent vel spiritum Theriacalem vel tincturas cum spiritu vini factas, vel sales compositos, scilicet sal Alcali Oleosum *Sylvii*, vel sales Alcalinos ut sal Cornu Cervi, si nunc causa sit à tali malo, hæcce debent talem materiem suppeditare; qualem putredo facit, sed ab acidis omnia mala symptomata tolluntur; hinc *Hippocrates* Oxymel seu acetum cum melle temperatum præscripsit. Cibi debent esse salsi & subaquosi, v. g. Acetosa cocta cum jure carnium & pauxillo Butyri, hoc morbum quoque sustulit, pro medicamentis omnia conducunt,

quæ

quæ maxime placent v. g.

℞. Aq. Hordei ℔ ij
Fl. Rosar. Rubrar. ʒij
F. Tinctura per
Semi-horam affundatur
Spir. Sal. Marin. q. s.
ad gratam aciditatem
vel Rob Ribesior. ʒj vel
— Sambuci ℥j vel ß
admisceatur.

bibat æger omni hora ℥j vel ij, si morbus ex hac causa oriatur, tollitur morbus, si sit sanabilis.

Leni purgante. Pulpa Tamarind. ℥ij Rhabarbarum ℈vj optima sunt, qui enim laborant Nausea à putrida materia optime se habent ab acidis, nimirum succo Pomorum Cydoniorum Fernelii cum Mespilis, Miva Cydoniorum Mespilat. Cornville vel Saccharo conditis Berberibus & sic porro; vel Cassia cum Tamarindis, Cremor Tartari, Sal Prunellæ, Polychrestus; acida austera, quæ juvant, sunt imprimis Omphacium cum pauxillo panis tosti assumptus, aut succus Citri à *Riverio* commendatus, aut succus Granatorum vel ex Mespilis non penitus maturis.

Vomitorio. Si, hisce datis, non cesset Nausea, datur Vomitorium, sed si sit Nausea perpetua à putri fomite, considerate bene, nam viscera jam putrefacta non possunt ferre concussiones, hoc vero cognoscitur ex viribus, pulsu, duratione mali, symptomatibus, & tunc possumus uno Vomitorio plus facere, quam multis aliis

medicamentis, ergo morbum perfecte curare possumus, modo sciamus quid locus possit vim Vomitorii ferre, primo dentur acida cum succis adde Rob Ribesiorum, Cerasorum, Sambuci &c. hoc facto Vomitorium detur, postea Miva Cydoniorum, bene condita aut vinum subausterum Gallicum, &c. vomitoria non debent esse Antimoniata, ut nimis fortia, sed sumatur radix Ipecacuanhæ ad dragmam unam in substantia vel ad uncias duas in infuso, vide *Materiam Medicam*, vel adhibeatur *Gilla Paracelsi*, id est, Vitriolum Album. Si his prædictis acidis non cedat morbus, tunc plurimum in Hepate est ulcus ichorosum, unde ichor cum bile regurgitat ad Stomachum, quo fomite præsente Nausea non tollitur, id nuper adverti in *Mercatore*, cui erat Febricula, & Nausea accessit, dedimus levissima Vomitoria, unde per inferiora & superiora dejecit æger materiam flavam ichorosam, sed tamen sine levamine, & postea in ægri cadavere aperto apparuit Hepar tali ichore flavo fere esse consumptum. Aliter sæpe Vomitorio opus est, quia aliquando viæ ita glutine sunt obductæ, aut putredo mucosa hæret, aut ibi sæpe sinus vel fistula ulcerosa est, quæ aliquando Vomitorio expurgatur, quod pro re nata eligendum est vel leve vel fortius, unde hujus causæ Nausea tollitur. Acidum se jungens salibus alcalinis in nostro corpore eos corrigit & convertit in Tartarum Vitriolatum &c. Vide *Chemiam* nostram.

2. Si lenta pituita fluctuans faciat Nauseam & vellicationem, quasi filum sursum tractum hæreret, tum instituatur fere sequens curatio, præparetur materies per diluentia, attenuantia, & aromatica, per duos tresve dies, tum detur Oxy-

Oxymel Scilliticum, quod est sapo putredini resistens, optime detergens, *Hippocrati* adeo laudatus, fit sequenti modo ℞. Aceti stillatii Mellis & Scillæ herbæ q. s. in phiala subere clauso methodo nostra decoquatur, ne exhalet vis, ut faciunt Pharmacopæi usurpantes ad hoc phialam apertam, vis enim Scillæ in Sale Volatili hæret; tum diluatur in aqua q. s. ad unciam unam duasve, per duos tresve dies inde potandum detur, die quarto detur aliquid maxime innocuum, Tartarum Emeticum ad grana quinque, quo assumpto bibatur aqua tepida cum salis & mellis pauxillo, & hoc toties reiteretur, donec assumptum maneat, hæc est vetus methodus *Hippocratis* Oxymellis præparandi, tunc Vomitorio expellere; lenta materia non est putrida, ergo ab his nullum est periculum, si non sit lenta, calor adest cum siti & acrimonia, Mercurius Dulcis ad scrupulum unum vel radix Jalappæ hic convenit, si occurrat tibi æger, cui sine Febre appetitus est prostratus, facies pallida, urina tenuis, porrige huic ægro infusum Absynthii, Centaurii Minoris, Cardui Benedicti &c. tincturæ Myrrhæ, Helenii, Elixir Proprietatis Paracelsi, quod si non juverit, superbibatur Oxymel Scilliticum ad uncias tres cum unciis quinque aquæ dilutum, tunc iterum assumat vinum cum Absynthio vel Helenio infusum.

3. Hæc est levis Inflammatio, & hic est locus, ubi patet sapientia Medici, tum ibi est cogitandum, quod malum non cedit, nisi cesset Inflammatio; homo, qui habet oculos sanos sine incommodo, potest respicere in lucem, sed qui habet oculum inflammatum, si velit inspicere in lucem, ejus musculus Constrictor

palpebrarum convellitur & non aperiri potest, sic manus leviter inflammata ad motum retrograditur, si Æsophagus, Intestina, Diaphragma, Pancreas inflammata, tum illæ partes ab Inflammatione se contrahunt & oritur Nausea & Vomitus, hoc bene est animadvertendum, nam quando oritur in Peste Anthrax, tum quidquid agitur, nil efficitur, nisi tolletur Inflammatio, quæ non curatur nisi Venæ Sectione, vide Caput *de Inflammatione*, tunc danda est magna copia potuum Antiphlogisticorum, ut aquæ cum Nitro, syrupi acidi ex Horæis, & acetum, postea fomenta ex Antiphlogisticis, ut Vinum Rhenanum, acetum cum multa aqua externe impositum, dein Clysmata, quæ cum aceto tuto dentur, uti videre est in *Hermanno vander Heyden* in Libro commendatissimo idiomate Wallonico conscripto *de Morbis inflammatoriis per Aquea Diluentia curandis*: Clysteres ex aceto cum aqua in pessimis morbis inflammatoriis optima præstitisse testatur, aut injiciatur serum lactis & lac acescens vel ebutyratum; hinc videtis phænomena, quæ in morbis Acutis sunt scilicet Nausea & Vomitus non nisi Missione Sanguinis curari, quæ symptomata semper oriuntur ab omni levi harum partium Inflammatione, ut in omnibus Variolis, Morbillis, Peste, Febri Ardente, Febri Continua, Synocho, Paraphrenitide, Stomachitide, ipsa Iliaca, in omnibus his morbis causa Nauseæ est diathesis inflammatoria, hic Vomitoria sunt damnosa venena, nam destruunt partes, nam in Inflammatione partes sic tensæ sunt, ut jam jam rumpendæ sunt, hinc natura fecit tantum dolorum, ut homo subterfugiat omnem attactum rei, si nunc concutiatur corpus per Vomitoria, Necrosis inducitur,

tur, *Sydenhamus* notavit, quod felix fuerit in curandis Febribus Intermittentibus, omnes has Febres, quæ de natura Inflammationis non erant, curavit Miſſione Sanguinis & Vomitorio levi diluente, ſed cum vocabatur ad dominum quendam, cum Peſtis Angliam infeſtabat, præſcripſit Venæ Sectionem & Vomitorium, tum dato Vomitorio longe periculoſior evaſit morbus, hinc aſſociabat alium Medicum, qui cum illo morbo mederetur, ſed æger mortuus eſt in iſta Peſte, & Medici in ejus cadavere aperto invenerunt Anthraces ventriculi os obſidentes, hinc ſi in hoc caſu detur Vomitorium, facile videbis, quid ſubſecuturum ſit.

4. Nil aliud hic opus eſt conſilii, ſi quis unicam ſemis foliorum Sennæ aſſumpſerit, altero die ingrati ſaporis recordatur, ubi de Senna plus loquitur, non ceſſabit Nauſea, verum pro cura oblivioni trademus, nec dabimus amplius.

6. Sunt homines, qui in ſella ſedentes vel curru vecti, vel à primo in navem ingreſſu nauſeam accipiunt, his malum oritur à genere nervoſo facile mobili & oberrante ſpirituum Ataxia, in his optima ſunt auſtera, quies, narcotica, aqua frigida, hoc conſilio multis profui, qui mare ferre non poterant; ſerum lactis, poma Citria cruda, aqua frigida ſimiliaque ſunt optima, v. g. granum unum Opii diſſolvatur in pauxillo ſucci Citri, ſuperbibatur frigida aqua, hoc figet quodammodo nervos ſpiritus os ne indeterminate vagentur, hinc primo homo tenet ſe in aëre aperto ſub navi, non in aëre clauſo, ſecundo potet meram aquam frigidam, ſi hoc non ſatis juvet, ſumat ingrediendo in navim unam vel alteram pilulam Opii, & dein cum

aqua frigida sorbeat Mivam seu Pulpam Cydoniorum vel syrupum Granatorum, sic postquam his æquilibrium est restitutum, non periclitantur; poma Cydoniorum, spiritus Sulphuris Camphorata & similia austera maxime conveniunt, quia fibras optime roborant, ne ventriculus subvertatur, si Nausea oriatur à vermibus seu lumbricis, tunc matutino tempore aqua frigida cum pauxilllo Nitri & ferri in ea soluti optimum est remedium, si homines, qui à minimo concussu vomiturientes aliquid de radicibus Tormentillæ Lapathi Acuti vino infusis & assumptis capiant, ventriculum roboratum accipiunt, idem per Chalybeata tempestive propinata obtinetur.

§. 642. *Prosit.* In omnibus morbis acutis, ubi Inflammatio adest, & ubi materia putrida vel mucosa in primis viis, in omnibus Vomitorium primo initio datum curatur, sed si diutius protractum sit, tum magis magisque agitata acrior redditur, hinc ægri toto morbi decursu Nausea laborant, unde *Sydenham* miratur materiam rejectam esse tam paucam, ut non videretur talia efficere posse, si tum non daretur Vomitorium, laborarent toto vitæ tempore, cogitate dragma una bi is putridæ in ventriculo hærere, prima die non multum mali, sed semper magis magisque putrescit, unde malum augetur. *Hippocrates* dicit, quo vergit materia, eo ducenda est, & quidem in initio, & *Sydenhamus* fatetur, se Vomitorio neglecto in Febribus Intermittentibus à Nausea incipientibus, pugnare dein semper debuisse cum diris symptomatibus, quæ dato Vomitorio aliter non fuissent subsecutura, quales Nauseæ plerumque accidunt in initio Febrium Autumnalium, quoniam Æstas tunc excussit humores.

Cur frigida. Hoc verum eſt in omnibus Acutis & Putridis Febribus, calida aromatica & pinguia horrent, hæret enim iis putridus & oleoſus fomes, qui his augetur, nam hæc putreſcunt in eorum Ventriculo, & omnes putrefactæ carnes & piſces faciunt Nauſeam deterrimam, hinc natura hæc abhorret, hi ægri appetunt aquam, quæ diluit, acida & frigida, quæ ranciditati, putredini & calori reſiſtunt, clamant ſæpe, utinam haberem hauſtum aquæ frigidæ, quoniam calor à putrido rodente perpetuo adeſt, ſi offeratur ægro Nauſea cum Febre laboranti piſciculum aſſatum conditum, vel calefacientia cum aromatibus, horret, ſed ſi offeratur potus acidulus cum aqua frigida pura, certe redimit, ut Rex Thraciæ & Darius.

Nil proſunt. Quoniam non admittuntur, mirum eſt, ut *Helmontius* conſideravit, ventriculus eſt animal proprio ſenſu conſtans, nos ſumma fame laborantes non advertimus, quod ſimulac ovum putridum ſit deglutitum, ventriculus repudiat, ergo ſi non ſuperetur cauſa, quæ facit Nauſeam, id eſt, quæ facit, ut ventriculus ſe evacuet non admittitur reliquum medicamentum. Habui hic ſub mea cura nobilem dominam, quæ Dyſenterico Fluxu & Vomitibus laborabat, advocabat autem ſeptima morbi die, inveniebam eam penitus viribus fractam, nam intra viginti quatuor horas quidem quinquageſies alvum depoſuerat maxime ſimul nauſeabunda erat, dedi Acidula Auſtera, Opiata, Clyſmata ſimilia, nil proderat, revertens ſequenti die vidi me nil profeciſſe & hanc viribus jam pene ſomnibus deſtitutam, ſciebam non adeſſe Inflammationem, dedi ergo Vomitorium, ubi hoc ageret ſuum opus, tum Narcoti-

coticum compescens nocte exhibui, & mane multo fortior & integre restituta fuit, aliter continuasset Fluxus Dysentericus usque ad finem vitæ; *Bellinus* narrat, quod si putrefactissimi ovi granum seminis micæ panis involvatur, & hæc pilula aureo folio obducta assumatur, tum ciet enormem alvi purgationem, nam si tale quid hæreat in plicis ventriculi & intestinorum, perpetuo irritabit, & omnia incassum dantur, si non poterit illud excutere, sed si excussum sit, tum dentur acida austera, & erit tutissima methodus.

Cur incurabile. Si fiat pessima Nausea ab Ictero diuturno, quia substantia hepatis putrefacta fuit in intestinum, tum hoc est insuperabile, nam etiamsi acidis corrigi utcunque possit materia putrida, attamen non tolletur fomes, si vero demus Vomitorium, multo pejus cedet & orietur Hypercatarsis veterum, id est, superpurgatio, quæ fit quando fomes putridus ad finem usque se exonerat, idem fieri potest in splene.

Appetitu. Historiæ sunt plenæ testimoniis hujus rei, summopere tunc appetunt Haleces v. Tulpius, Salmones &c. pro cibo, pro potu acida, acetum, muriam salis &c. & natura eo vergit, nam ibi hæret humor putrefactus, oleosus, horrendus, hinc natura sæpe plus valet quam ars; ergo cum Medici vident pejores fieri ægros, jubeant domesticos, ut reponant appetita ab ægris, ut illi quasi in opinati & aliis nescientibus in illa incidant. Sic vidi imprimis juvenem decumbentem in Parmacopolio Febre maxima Inflammatoria laborantem & summopere appetentem acetum, quod illi negabatur, at illa caute de lecto in Pharmacopolium irrepens, tota lagena aceto plena

plena epota in lectum se recepit, eique morbus brevi post maximo cum sudore solvebatur; inde videmus, quantum peccant Medici, qui dant Vomitoria in Acutis, non observando unde procedat Nausea, nam si fomes non hæreat in materia libera nec adhærente partibus inflammatis pessime cedet, & Inflammatione adhuc acuta morietur æger, vide *Sydenhamum*, qui fatetur se occidisse matronam dando Vomitorio, cum esset Inflammatio in ventriculo.



Ructus & Flatus.

§. 643. Ructus est explosio violenta aëris sursum facta; qui ructus sunt flatus aperti, adsunt clausi, qui extendunt corpus, vel vagi dicti Borborygmi; flatus est materia elastica erumpens cum impetu; ergo naturalis causa flatus est elastica, causa elasticitatis multiplex esse potest, omne recludens plurimum aëris est elasticum, & quod remittitur pressioni, locumque priorem occupare studet, est elasticum aut Chalybs &c. quæ maxime resistunt.

Elasticitatem. Nam aqua non abit in ructus, nisi quatenus aërem habet, ergo causa semper est aër rarefactus se expedire conans.

Fermentatione. Fructus Horei assumpti hærentes, in corpore, primum veram fermentationem subeunt, quando nec diluti nec expulsi sunt, *Boyleus* docet, quod postquam omnem aërem ex vasa eduxerit, quod tum à fermentatione tantus aër generaretur, ut depresserit Argentum Vivum, ergo habemus triplicem causam,

sam, quæ facit ructus, 1. calorem, 2. effervescentiam, 3. fermentationem incipientem, hinc puto has tres causas esse in quolibet ructu, 1. aër præsens seu elementaris ab effervescentia, 2. aër calefactus & coërcitus, ut exire non possit, sed sese extendens, 3. relaxatio claustrorum, quæ aëris exitus impedit, homo, qui Mustum recens magna copia bibit, ejus ventriculus distenditur, clauditur Pylorus, adscendit, tum resoluto Sphinctere fit impetus effervescentiæ, vel halitus, vel ructus.

Dilatabilem. Sic videmus, quod si modo scrupulum semis Olei Vitrioli immittatur scrupulo uni Salis Tartari in vacuo *Boyleano*, unde omnis aër eductus, ut Argentum Vivum per unam lineam descenderit, quando in hoc vase tum generatur tanta aëris copia, ut deprimat Argentum Vivum infra locum Horizontalem, tum per effervescentias oritur incredibilis aër, si acetum cum Lapide Cancrorum misceatur, oritur magna effervescentia. Flatus est explosio materiæ elasticæ fluidæ rarefactæ compressæ nunc iterum relaxatæ, aër ille in ructu & flatu est duplex; 1. aër externus Atmosphæræ elasticus, 2. aër, qui continetur in ingestis flatulentis, & qui inde educitur fermentatione vel putrefactione, ut accidit Rapis, & illa materies flatulenta, si subducatur, demonstrat *Boyleus*, quod generet multo majorem copiam & expansionem aëris, quod fecit *Boyleus* cum Rapis rasis in sua machina, ita ut inde Argentum Vivum deprimeretur, hinc corpora aërem generantia sunt 1. aër externus &c. 2. ex salibus inter se oppositis, verum quamdiu ventriculus & intestina non constringuntur, nec exitum impediunt huic materiæ flatulentæ, tum non generantur

flatus

flatus, nam aër, qui ibi educitur, ex cibis tunc libere exhalare potest, verum si è contra intestina constringantur & intercludatur exitus aëri, tunc calor adhuc accedens facit majorem rarescentiam & distensionem, ut accidit ventriculo, & quando clauduntur ejus ambo orificia, unde tum fit quasi angor mortis propter compressionem omnium viscerum vicinorum, si autem illi homini solvantur orificium superius ventriculi & Sphincter Æsophagi, statim fit ructus, & liberatur prorsus æger.

§. 644. Inter liquida solus aër maxime elasticus est, omnes reliqua fere solida elastica sunt fructus Horæi multum continent aëris, docente *Boyleo* in machina Pneumatica; capiebat plantas flatulentas, quas in quoddam vas immisit, quod obsignaverat & posuerat in illo loco parvum tubum aëre plenum, tum incipiebat generari materia flatulenta, ut vas comprimeret & extenderet contra superius vas, qui Atmosphæra extensus fuerat in illo tubo, & tandem vas creparet, ita ut vis materiæ flatulentæ non coërceri possit, nam sexties intumuerat supra vim Atmosphæræ. Hinc hæc proprie flatulenta sunt dicenda, Cerasa matura, magna copia ingesta, alii fructus Horæi, qui simulac calescere & fermentare incipiunt, ventriculus intumescit, hinc fibræ ventriculi distenduntur, orificia clauduntur, quod parit anxietatem. A *Boyleo* demonstratum est putrescentia de novo generare aërem, vel præbere materiam ructui, non ergo putandum flatum semper esse à frigore aut in maximis Inflammationibus & calidis morbis, ubi morti jam proximi sunt ægri, ructus adsunt; aliquando tamen sunt à frigore; ergo hæc vel simi-

similia hærent in Æsophago, Stomacho vel Intestinis procreabunt ructus & flatus; flatus aliquando tolerabilis est, aliquando est lethalis, ut vidi in mortuis sphacelata inde intestina à violentia materiæ elasticæ & fætor est varius; distinguuntur flatus secundum violentiam & qualitatem, de violentia dixi. Qualitas, id est, quidam sunt acidi in frigidis, acidoque laborantibus & docent in fermentationem tendere vegetabilia, 2. quidam sunt nidorosi instar piscium cum oleo frixorum in sartagine, & demonstrant hærere putrescens in stomacho, hinc in initiis & finibus Acutorum adest, 3. quidam sunt in ultimo gradu putridi, sic fætor cadaverosus est pessimus, indicans corruptionem humorum & solidorum prænuncius Gangrænæ & futuræ mortis.

§. 645. *Libere.* Si homo perfecte sanus hæc assumat, tamen flatus non dimittit; sed si unum frustum Pomi in intestinis comprimatur & intercludatur, tum potest ibi fieri tanta distensio & Inflammatio, ut pessimum creent Colicum Dolorem, Volvulum, Miserere mei & postea mortem, vidit *Ruyschius* dissecans cadaver, cor triplo vel quadruplo distensius solitio, & punctâ tunc Aortâ exiit flatus cum sibilo, & subsidit cor; notum est, quod corpora fermententia si coërceantur, maxime evadant tam fortia, ut omnia disrumpant, quod patet præsertim in musto fermentato in dolio arcte clauso.

Laxati. Ergo flatus proprie est materia elastica, quæ calore corporis assiduo motu respirationis deducitur in majorem rarescentiam, si simul accedat Spasmus in fibris Æsophagi, Stomachi, Intestinorum contractione clauditur elastica materia rarefacta calore & motu, si

fibræ

fibræ maneant contractæ, flatus fixus manet Belgice (*besloote winden*) extendens ad rupturam usque, si aperiantur, abeunt in alium locum reclusum, & faciunt mobiles ructos dictos Borborygmos Belgice (*Rommelingh*) qui sunt flatus vagi, si in utroque orificio ventriculi constrictio fiat oritur Colica Stomachica dicta, qua maxime tenditur Stomachus, unde sæpe ægri enecantur; ingesta conclusa calescunt, rarescunt, extenduntur, ut mustum in dolio clauso, stomachus quasi rumpendus extenditur, & simul magis clauditur à tensione; facitque terribilem morbum Colicam tectam ventriculi Belgice (*verboolen maag-colijk*) qui teterrimus est morbus, maxime post venena assumpta, comprimit venas Jugulares, hinc rubor faciei & Hysterica Passio oriuntur; totus morbus tollitur, si ructus erumpat; hæc causa ventorum conclusorum est materia, 1. elastica, 2. calefacta; hinc in mortuis desinunt, 3. mota, 4. conclusa Spasmo contractili, si reciproce laxentur, ructus exeunt per Æsophagum, si Sphincter ani agat crepitus fiunt, si in intestinis vagus sit dolor, fiunt Borborygmi, si fixus sit in illis, est Ileus, si in Stomacho Colica Stomachica, si in Æsophago, Hysterica Passio; ructus in Hystericis fæminis contrahit musculos Æsophagi, vidi fæminam obnoxiam huic malo habere tumorem in Collo, quod manu mea admota sentire poteram.

Ructus &c. Quando una parte intestinorum contracta aëre interceptus turget, & cum saltatione abit.

Borborygmi fiunt, quando oberrant flatus in intestinis nunc in hanc, nunc in illam partem, quia utrumque clausa est illa pars intestinorum,

in

in quam, aberrant; quod videmus præsertim in virginibus Hystericis & Melancholicis viris oriri. Flatus oriri possunt in corpore sine materia flatulenta, nam v. g. simulac affectu quodam movetur genus nervosum, ut his ægris, id est, vaporibus obnoxiis, accidit, fit flatus. Forte circa materiam flatuum observandum est, quod omnia venena atrocia, Antimonium, Arsenicum, Mercurius Præcipitatus &c. perpetuo flatus faciunt, imo ab Arsenico totum Abdomen turget, intestina corrugat in statu sanitatis, jam summopere turgant, ab aëre distendente, nam per Æsophagum perpetuo aërem dimittimus, sed quando hæ partes Spasmo constrictæ sunt, tum aër sursum vel deorsum pellitur, si applicetur venenum ventriculo, clauditur os ventriculi, ut ne guttam transmittat, hoc accurate observavit *Wepferus*, sumebat in animali vivo aperto penicillum oleo Vitrioli intinctum, tum attigit medium ventriculi, unde fiebat tanta contractio, ut in oculo, tum statim oriebatur Inflammatio, quoniam aër non æquabilior pervagabatur, sed rarescebat, intercepta fistula, ac si vi inflata esset, non ergo putemus, quod ructus & flatus à materia flatulenta semper oriantur, sed etiam sæpe à Spasmo, si hic adsit, tum materia intercepta omni momento dilatatur ad crepaturam usque. In actis Britannicis est sequens historia, juvenis qui biberat multum vini & deinde cerevisiam suppressam in actu fermentationis (Belgice *bottel el*) it postea cubitum, & maximo dein per noctem affectus fuit Dolore Colico, qui nec Venæ Sectione nec Vomitoriis nec ullis medicamentis tolli potuit, sed brevi mortuus est; in aperto cadavere inventa sunt intestina maxime inflata

&

& spasmodice affecta, pluribusque in locis admodum incrassata, & Colon inflatum ad capitis magnitudinem.

§. 646. *Simul.* Si quis succum Uvarum recenter pressum seu mistum biberit, vel qui Uvas ad libras quatuor vel quinque, ut helluones faciunt, devorant, ventriculi orificiis constrictis nondum modo aget ut in dolio, quod in millena fragmenta vi sua diffringitur, nisi ferramentis undique fuerit obsitum.

Perstant, id est, si elastica materies rarescens pressa sit, & constrictio duret, tum tristissima fiet morborum caterva.

Tum calore. Id movebitur per respirationem, & propria vi fermentante dilatabitur.

Dilatationem. Tunc fit summus dolor, ac si intestinum dilaceraretur, quia ita tenditur, hinc non ultra duas vel tres horas malum durat; sic à cerevisia recenti lagenis inclusa (*bottel bier*) sæpe Spasmi & dolores intolerabiles fiunt, imo hi Spasmi post mortem sæpe perdurant.

Membranas claudentes. Ponite partem intestini ita interceptam, tum tunicæ comprimuntur uti & vasa, ut Inflammationem faciant. Cum autem membranarum extensio fit etiam nervorum, hinc videmus quare summus oriatur Dolor in Colica Flatulenta.

Comprimit. Facit talis flatus primo ut membranæ dilatentur, ut vesica inflata, conclusa, aëre ad ignem rarescente rumpatur, simul tensa expanditur ad crepaturam usque, quasi fibræ singulæ violento torculari extenderentur, irruit per Paroxysmos. In membranis hærent vasa intermedia, quæ tractione comprimuntur, evacuantur, nutritio tollitur, & oritur illa an-

xietas intolerabilis, in qua ægri clamant se morituros.

Cessante, putantes mox se morituros emissis flatibus sani sunt, hinc patet causæ citæ mortis à cibis & Horæis nimis assumptis. Est genus pessimæ Colicæ, in qua multi flatus dimittuntur Belgice (*Gesloote Colyk*) ejus causa est acredo occupans partes, hinc pars intercepta tumet, ergo Arsenicum facit, ut intestina non erosa, ab illo sed adeo distenta sint, ut ultimo tunicæ discedentis rupturam producant. Membranæ totæ quantæ scatent arteriolis, hæ igitur à flatibus comprimuntur, & fiunt quasi mortuæ, unde ab illis compressionibus tum sæpe oriuntur Gangrænæ lethales, & hæc est ratio, cur post magnum usum fructuum Horæorum & præsertim si vinum tum superbibatur, unde fient teterrimæ Choleræ lethales, ita non debemus addere vinum supra fructus Horæos, tum enim fit magnus motus & expansio ingens, non autem correctio, ut vulgo creditur, ideoque uti fit in regionibus calidis & in illis præsertim ubi vini usus non est, debemus aquam calidam superbibere.

Flatus nunquam fit sine Spasmo, haurimus enim semper eandem aëris copiam per deglutitionem, sed in uno corpore non in alio apparet, quando per vices compingitur; ergo causa materialis est aër, sed efficiens est Spasmus, ille aër tum ita distentus, calefactus, se sic manifestat, hæc phænomena resolvit, videmus v. g. hominem Hypochondriacum affici contumelia, angetur, dimittet ructus & flatus, donec subsiderit animi affectus, sed hic angitur, quod non dimittit spiritum in musculum Strictorem ventriculi, verum momento post in pristinum vi-

vigorem restitutus, tum iterum haurit aërem in Æsophagum, quem antea dimisit, nunc posito solo aëre in corpore, & Spasmo in intestinis vel Æsophago, tum ab aëre se sic expandente morbus tam ingens & periculosus fieri potest, ut intestinorum vasa non modo compressa sed etiam Gangræna afficiantur, ut explicui; ergo videtis quanti momenti hæc consideratio sit? Spasmus est vel à systemate facile mobili, uti in Hypochondriis & Hystericis patet, nonnulli ita moventur, ut Ileo laborent, lacrymentur, rideant, urinam dimittant, alvum solvant, &c. à causa levissima; hi viri sunt semper Hypochondriaci, & hæ fæminæ sunt semper Hystericæ, vel quorum genus nervosum est semper mobile, tum à causa maligna ortum habent, vidit *Wepferus* ventriculum & intestina sese contrahentia ab acri quodammodo applicato, uti oculus sese contrahit, ex his multum lucis habemus; hoc *Hippocrates* tanti fecit, ut integrum tractatum de Flatibus scripserit, ut demonstret, quod Flatus in omni corporis parte inveniri possint, ad quam rem probandam sufficit unum exemplum, quod in observationibus *Ruyschii* invenitur, cum cadaver aperiret & inveniret cor distentissimum, incisa parte elastica erupit Flatus cum sibilo, nunc omnis Flatus pro materia habet aërem, sed ille aër est vel naturalis vel factitius; aër factitius vocatur ille, qui ex parvo corpore magna copia se dimittit, demonstravi vobis, quod ex una gutta olei incredibilis aëris copia erumperet; ille aër factitius fit vel quatenus solvitur ex corporibus, quibus adhærescebat ita, ut copia ingenti in spatio minimo nunc constet, quod aër ad 25000. spatium minus

quam ante occupavit, comprimi possit, intelligitis ergo quantum ejus pondus, si ergo talis particula ex loco minimo solvi possit, tum habet maximum spatium, hoc *Hippocrates* per observationes descripsit, hinc ex Pomo tantum aëris provenit, quoniam aer ibi tam est compactus, si illa solvatur, fit millecuplo extensior, cum nunc non sit demonstratum, quo usque hæc extensio fiet, etsi aër millecuplo compressus incredibiliter se expandat, ergo patet, quod materia flatulenta est aër, ille aër factitius se restituens in pristinum statum reducitur, vel fermentando vel putrefaciendo vel per quædam corpora opposita sese extricando, ergo intelleximus causam naturalem Flatuum. Est morbus, qui vocatur *Inversio Intestinorum*, ubi intestina transeunt per angustum & assidue pressilem tubum, dein interceptus aër inter duas stricturas erit latior, & intra stricturam inferiorem, si strictura inferior tollatur, & cum ruat flatus, qui, novo accedente liquido, magis constringit intestina, hinc fit morbus *Volvulus* dictus aut vera convolutio.

§. 647. *Auferendo materiam.* Illa materies est vel aër, vel materia fermentans, vel ructus vel materia effervescens à salibus oppositis. Quæ cura hic requiritur? Medici generaliter respondent dandos esse potus carminantes. Quid est carminare? Vox est à Poëtis desumpta, quibus carminare est Belgice (*streelen*) adeoque vox incognita obtruditur, intelligunt vero Medici medicamenta facientia, ut Flatus clausi erumpere possint, quæ sunt sequentia.

Diluentia. Si æger aquam ferre possit, potus Thee vel Coffe vel infusum Sassafras est primarium remedium, addantur calida aromatica levi-

leviter dissipantia, ut sunt semina Carminativa vulgo dicta, semina Bardanæ, Coriandri, Dauci Cardamomi, Anisi, Fœniculi, Petroselini, Carui, Celeri, Apii, quatuor semina calida majora & minora, radices Angelicæ, Galangæ, Calami Aromatici infusa cum aqua fervente; pulveres Diagalangæ, & Diacalaminthis parva copia adhibeantur, ne irritent nimium, sed larga aquæ copia misceantur, & hoc est summum remedium Anticolicum vel Antipneumaticum, id est, pro Flatibus: hoc modo ratione aquæ ferventis ipsum corpus aëreum profligamus & ratione Balsami alium motum inducimus, videtis mulieres Hystericas constricto collo vix animam ducere posse, nam sic Æsophagus expandi potest, ut asperam arteriam comprimat, applicetur spiritus salis Ammoniaci, qui movet spiritus, tum statim alius fiet motus, ergo calida aquosa diluentia habentia stimulum aromaticum sunt optima, nempe si quis pintam unam aut duas potet Thee vel Coffe cum Mentha & similibus: clysmata ex floribus Chamemeli &c. & similibus.

Salium præpondium est sæpe salium oppositorum magna dosis data, ut infantibus sæpe hæret in ventriculo caseus grumosus, ubi si detur sal Tartari aggrediens caseum, acidum oritur violenta ebullitio, unde infans sæpe moritur, quia ventriculus flatibus distenditur & Convulsiones oriuntur, si ergo à salibus fiat origo; statim faciendum est, ut alteruter sal dominetur, ex gr. infanti tali dabo acetum, quo exstinguatur, dein acidum aceti superabo alio leni non fermentante. Si quis sumpserit in prandio sales oppositos in actu effervescentiæ, ut in hac urbe aliquando mos erat in prandiis

sumere sales Cornu Cervi cum Acetariis, tunc illis sunt porrigendi sales acidi, ut superare possint alcalinum, v. g. tum prodest succus Citri, hinc hoc symptoma est tollendum multo acido vel multo alcali, ut per salem Absynthii, dummodo alteruter sal prædominetur, aut etiam utrumque corpus fermentans subverti potest per oleosa; hinc si æger haberet alcalinum & acidum fomentum in ventriculo, est perpetuo flatulentus, sed simulac alcali vel acidum prædominet, omnis fermentatio est sublata. Putrescentia fermentant & valde se expandunt, hinc si inde oriatur morbus, acida semper conveniunt, quia putredini sunt contraria & putredine sublata flatulentia tollitur. *Sylvius de le Boe* dicit nullum medicamentum in hisce casibus sibi melius observatum esse quam spiritum Nitri Dulcis; spiritum Sulphuris per Campanam. Lapides Cancrorum vel copiam Cretæ satis magnam, quod verum est; hoc didicit in morbo Pestilente putrido *Lugduni-Batavorum* grassante, ubi spiritus Nitri Dulcis datus compescuit putredinem & anxietates inde ortas sustulit.

Fermentationem. Vocatus fui, elapso aliquo temporis spatio, ad ægrum, qui fructibus Horæis repleverat ventriculum, unde stomachus ita expansus erat, ut fere creparet, unde Cholera & multa mala oriebantur; in eo casu oportet educere materiam, hoc optime fit per Vitriolum, quia statim agit, cum cætera vomitoria ad aliquot horas in ventriculo remaneant, hinc Gilla *Theophrasti* exhiberi potest ad scrupulos duos, tres vel quatuor, & tum flatulentia desinit.

Sedantia, qualia maxime sunt spiritus Nitri Dulcis vel spiritus Sulphuris per Campanam, hinc

hinc in Autumnalibus ob nimios fructus Horæos comestos sæpe incidunt homines in Choleram quæ optime curatur per oleum Sulphuris per Campanam vel Sulphuris fumos, sed horum compendium est in oleo Sulphuris per Campanam, quod etiam purius est oleo Vitrioli; sic Vomitorio prius dato talem Choleram & flatus curat *Sydenham*. *Riverius* dat Citri succum valde acidum, qui subtilissime dissipat.

2. *Sedantia.* Materia nil mali facit, si non fuerit caustica, nam si Mustum hæreat in ventriculo, inde constringatur stomachus, & Convulsiones oriuntur, quæ, laxatis fibris, tantummodo sedantur.

Lenientia acrium. Si morbus sit ab acido, alcali fixum vel pulvis absorbens exhibetur; si vero ab acri putrido proveniant flatus non ita, si homo hausit Mercurium Sublimatum, huic alcalia optima sunt, quoniam hæc acidorum antidota sunt, si vero sumpserit Arsenicum, tum cremorem lactis assumere debet ad integras libras, ut venenosa spicula involvantur, nam Arsenicum non habet antidotum, quantum novimus, si vero Arsenicum hauserit, ut se jam fixerit in vivas partes, æger peribit; hinc ab acribus fit constrictio, acetum oculum adstringit, spiritus Nitri pulmonem, ut in cane aperto ab Aqua Forti intestina valde contracta inventa sunt, in hoc casu conducit clysma ex oleo vel decocto Lini, quia impactum acre mitificat, ut, sublata causa, effectus cesset.

Compescentia spirituum. A tumultuario spirituum influxu fit Spasmus, quo sublato, fit flacciditas, laxatio, & species Paralyseos. Opium cum sit princeps agens in spiritum, tunc facit corpus quasi Paralyticum, & sopitur mo-

tus inordinatus, abeuntque Flatus, hinc Opium eſt domitor Herculeus ſpirituum, qui perierant fere luctibus, ſumpto pauco Opio reſtituti ſunt, ſi nunc ex hiſce componatis medicamenta, facile fiet cura; hinc Opiata hic ſumma ſunt remedia, nec immerito ſummus eſt eorum laudator *Sylvius*, nam Spaſmos & eorum effectus coërcent; Diaſcordium, Laudanum Opiatum huc faciunt, Diaſcordium *Sylvii* ad ſcrupulum unum vel *Fracaſtorii* ad dragmam unam.

Antihyſterica ſunt omnia illa, quibus natura abhorret, hinc tum fit alius animalium motus, quæ remedia conveniunt Hypochondriacis & Melancholicis; hæc medicamenta ſunt ſalia acria ut Ruta, Sabina, Mentha, Myrthus, Crocus &c. hæc irritant nervos & ſpiritus impetuoſos colligunt in unum locum & coërcent, ne diſſipentur, hæc ita agunt, dum in hoc caſu nervi afficiuntur, aliter ſpiritus determinant v. g. Caſtoreum & cæterea ad nares adhibita plus propellunt ſpiritus ad inteſtina, quo facto ructus, Flatus, crepitus, qua data via, erumpunt; optima ſunt gummi Sagapenum, Ammoniacum, Opopanax, Aſſa Fætida, Caſtoreum, Succinum, Myrrha, Spiritus ſalis Ammoniaci, Volatilis Cornu Cervi, Tincturæ & Oleum Succini, quæ proſunt, quia æquabilem ſpirituum influxum promovent, v. g.

℞. Aſſæ Fætidæ
Caſtorei optim.
Borrac.
Myrrh. el. ana ℈ij
Olei Succini gut. x.
M. F. Pilulæ ſing. gr. iv.

℞. Aq.

℞. Aq. Rutæ ℥vij
Elix. ppt. cum ſale
Tartari præparat. ʒiv
Spiritus ſalis Ammoniaci ʒj
Syrup. Artemiſiæ. ℥ß.
M.

3. *Clyſmatibus*. De hiſce ante dixi, hoc tantum addo, ſi æger flatibus diſtentus laxari poſſit, flatus amplius non habet; hinc tale clyſma optimum erit.

℞. Fol. Bardanæ
—— Roriſmarin. ana M. ß
Sem. Cardamomi ℥ß
Conſciſſa & confracta coquantur
in ſ. q. Aquæ puræ colaturæ ℥iv
addatur Sal gemmæ ʒj
Mel. Roſat. ℥j
M. F. Clyſter.

Epithematibus ex Malva, Althæa, Meliloto &c. optime etiam tum conducit ſpiritus vini tegulis calidis applicatus vel ſolus vel cum Theriaca Diaſcordii Philonis Romani &c. huc facit ſpiritus Carminativus *Sylvii* vel Aqua Vitæ Matthioli; hæc ſunt bibenda, per Clyſteres injicienda, per fomenta & epithemata applicanda.

Cucurbitis. Hæc mirabilia faciunt, & in omni morborum genere, ubi eſt nimia tenſio fibrarum convenit, inde vidi ſummos effectus ita ut morbus quaſi incantatione tolli videretur, hinc ſumantur Cucurbitæ & applicentur, vix ſugunt & frigeſcunt, quin dolor & flatus abie-

rint, ergo faciunt aliam determinationem ſpirituum, hinc in magnis caſibus, ubi magnus inteſtinorum Spaſmus adeſt, Cucurbitæ ſunt adhibendæ; memini me vocatum ad ægrotum agonizantem, & ſuaſi, ut calefactas Cucurbitas adhiberent, & citiſſime, quando Cucurbitæ trahebant, aqua frigida applicabatur, tunc ilico dolor abiit, ſed non oportet ut ſcarificatio adſit, ratio eſſe videtur, quoniam laxando muſculos Abdominales aër per inteſtina libera tranſire poteſt, tamen neceſſe eſt, ut Cucurbitæ ſint amplæ, ſi videamus fæminam Hyſtericam non poſſe ulla ope liberari à flatibus, tum oportet imponere umbilico magnam Cucurbitam (omnium tales optimæ ſunt, quæ fiunt in machina *Boyleana*) & fortiter attrahere, tunc enim magnus motus vel tonus inducitur generi nervoſo, unde mirifice ſanantur mulieres Hyſtericæ & viri Melancholici; hæ Cucurbitæ ſcrobiculo cordis impoſitæ, ubi omnia incaſſa fuerunt, maxime juvant.

§. 648. Qui cibi ſunt flatulenti? 1. qui plurimum habent viſcidi, 2. multum aëris incluſi, omnes qui generant in calore aërem factitium, id eſt, omnes fermentabiles & facile putreſcentes, & maxime quibus conjuncta eſt acrimonia, unde viſcera contrahuntur, ut ſunt omnia aromatica, quæ ſolent Flatus producere, ſic Naſturtium, Cochlearium, Rapa, Raphanus non ſolum ventoſitate, ſed etiam acrimonia ſua flatulenta ſunt, & hæc ſunt ex quibus Chemia ſal volatile acerrimum elicit, ſi illud acre & fermentabile ſimul occurrat, peſſimi generis ſunt, omnes Fabæ, Glandes, & fructus Horæi eundem effectum producunt.

Potus flatulenti, qui in fermentatione potan-

tantur, ut cerevisia saliens Belgice (*bottel bier*) vel qui in actu fermentationis incipiunt esse, ut incipiens cerevisia Belgice (*geyl bier*) maxime flatum excitant, tum multum purgant, idque maxime ex Pomis vel ex Pyris.

Venena flatulenta, Mercurius Sublimatus, Arsenicum & omnia, quæ tantam habent acrimoniam, ut Æsophagi, Stomachi & Intestinorum fibris applicata Spasmum inducere possint, hæc effecta ut & signa sunt assumpti veneni, nempe tumor Abdominis Belgice (*de buyk swelt als of hy vergeeven was*) Spasmo contrahuntur, omnia tument, ut æger per medium crepare possit, qui Spasmus perpetuo durat, donec adveniat aqua illud venenum diluens, quod idem accidit oculo, si acri quodam attingatur.

Medicamenta flatulenta. Ut Esula Campana, Euphorbium, semina Carui, Anethi, Bardanæ, Angelicæ, Dauci, Petroselini, Fæniculi, omnia acida acria, purgantia acria, tormina excitantia, Pulvis Vomitivus & non dando materiam sed excitando causam spasmodicam, hæc faciunt hanc venenorum actionem, quod optime demonstrarunt *Peyerus* & *Wepferus*, dum canibus Abdomen aperuerunt & applicarunt intestinis venena, statim hic illi fuerunt constricta intestina, quia aër rarescens interceptus facit tumida loca constricta.

Cur vacuis? Quoniam intestina vix contracta aëre plena ad motum Diaphragmatis aërem huc illuc moveri faciunt, nam qui diu jejunant, flatibus distenduntur, murmurant intestina, nam flatus motu respirationis nunc in hunc, nunc in illum locum pelluntur ab acredine constricti; hinc lepidus servus apud *Plautum*

dicit in Theatro *intestina famem annunciare & de vacuitate murmurare.*

Cur vulneratis? Ob nervorum puncturam & Spasmum musculorum.

Cur Abdomine? Nil notius est quam quod fœminæ delicatæ, quæ junceum student reddere corpus, ut fiant Belgice (*fyn van midael*) Abdomen, simul intestina, & præsertim intestinum Colon sursum comprimant, unde flatus clausi descendere non possunt, iisque sint in Abdomine murmura instar coaxantium Ranarum, si hæc vincula solvantur, redit statim libertas. Domicellæ Passioni Hystericæ sunt magis obnoxiæ, quia habent genus nervosum maxime flexile, spiritusque admodum mobiles, non vero rusticæ virgines.

Hypochondriacis. Hi habent spiritus maxime mobiles, & eorum Sensorium Commune facile invertitur, si viscera non fuerint læsa, totus ille morbus tantum consistit in facili illa spirituum volubilitate, ut cecinit *Horatius:*

Irasci facilis tamen, ut placabilis esset.

Sic etiam Hystericæ, vide *Sydenham* in Tractatu *de Affectu Hysterico*, hæ perpetuo Flatus eructant, Epileptici fiunt ob nervorum effectus uti & Colici ob adstringentium acredinem.

Convulsis. His autem Convulsio fit præsertim in ventriculo & intestinis, quæ partes sunt maxime nervosæ, hoc observamus in Epilepticis &c. qui in Paroxysmo emittunt urinam, fæces, semen, flatus, ructus, nam spiritus animales, præsertim agunt tunc temporis in visceribus Abdominalibus, quæ omnium maxime abundant nervis.

Colicis. Hi habent dolorem summum in intestino

ſtino Colo, nunc omnis dolor, qui ibi oritur, non eſt ab acrimonia, ſed plerumque eſt à tenſione, ſi nunc Spaſmi in inteſtino Colo contrahentes illud ſic diſtendunt. Colicus Dolor vocatur omnis dolor inteſtini, ſive ſit ab acri ſive à flatibus, ſi dolor hæreat circa Umbilicum, nec Flatus tranſire poſſint, tum eſt Dolor Colicus in inteſtinis tenuibus, ſi cum Teneſmo egerendi alvum, tum eſt in Recto, ſi modo ad unum latus, modo ad alterum vadat, tum erit in Colo; oſtendit *Wepferus* experimento, quod nunquam inteſtina ab aliqua re acri attingi poſſint, quin ſtatim ſpaſmodice ſe conſtringant, ſi vero ille Dolor Colicus nimis diu duret, tum orietur ſuſceptio inteſtini, *miſerere mei*, id eſt, Ileus verus.



Vomitus Febrilis.

§. 649. Eſt ſymptoma febricitanti accidens moleſtiſſimum, minime ſatisfaciens inquirenti. Primo eſt expulſio ex ventriculo, ſi enim tantum ſit in Æſophago vocatur ſimplex regurgitatio materiæ, quæ vomitu redditur, hinc tantum illa, quæ eſt in ſtomacho, adeoque prima materia erat hærens in ſtomacho, ſed à ſecundo per vomitum evacuantur inteſtina, ergo & ſimul omne, quod in inteſtinis hæret, nempe Succus Pancreaticus, Lympha, Chylus, imo fæx alvina, ultimo egreditur, non in Ileo, ubi eſt ſuſceptio inteſtinorum, ſed in *miſerere mei*, ubi ſcilicet eſt egreſſus à podice ad gulam, hinc materia vomitus modo eſt 1. ventriculi,

2. intestinorum, sed & 3, quæ ex visceribus se in intestina evacuantibus deponitur, ergo quidquid ex Hepate, Liene, Pancreate, arteriis Mesentericis in cava intestinorum fluit; hæc tertia materia est, sub qua continetur bilis, ex vesicula deprompta, unde vomitus est biliosus & alter fluidorum succus Hepatis, lymphaticus magis, unde est Cholera vomitusque serosus & lien se evacuat in hepar, materia hujus atrabiliaria per portam dilatatam perque hepar, materia est, sub qua continetur bilis ex vesicula deprompta, arteriæ Gastricæ, Epiploicæ &c. evacuant se in hepar, adeoque hæc omnia possunt expurgari, hinc intelligitur, unde sæpe tanta saburra vomitu ejiciatur, ut primo navigantibus post anxietates fit Nausea, plurimum vomunt, & mirantur se paulo ante sanos tantum pituitæ rejicere posse, altero die iterum vomendo rejiciunt bilem flavam & magis anguntur, bilis tunc ex vesicula fellea simul expurgatur & simul maxime anguntur. Ultimo vomunt Lympham Salsam, tunc omnia viscera summopere evacuantur, hinc triplex materies per vomitum rejici potest, vel 1. quod per Æsophagum intrusum fuit, 2. vel quod per ventriculi tunicas transudavit, 3. vel quod ex intestinis per pylorum ascendit in ventriculum. Sæpe etiam puris vel sanguinis in visceribus hærentium ejectio fit v. g. dato Antimonio, primo ventriculi contenta ejiciuntur, ubi dein aqua, tum bilis ultimo materia atra salsa cum summis anxietatibus, causa proxima non est violenta ventriculi contractio, nam omnis ventriculi contractio est potius clausio, quam ejus evacuatio, hinc aliter se res habet observantibus *Wepfero* & *Peyero* post data vomitoria;

hi:

hi viderunt, quod ibi inceperunt vomitus ex suffocato ventriculo & omnibus intestinis mensæ statim impositis, tunicæ exenterati ventriculi sed adhuc aliquo modo contraherent; notarunt, quod sæpe magna vi oriretur talis contractio, quæ pellebat etiam in exenteratis contenta in Æsophagum, non adeo per fibras transversas, sed per parallelas. In Academia Monspeliaca Collegium Medicum dedit animalibus vomitoria, tum incipiente vomitu subito aperto Abdomine visum est, quod tres actiones faceret vomitus nempe contrahi Diaphragma & musculos Abdominales, simul quidem ventriculum sed parum, ergo duplex contractio una ventriculi sola non sufficiens, altera pressione Diaphragmatis simul actionem musculorum Abdominalium facta, necessario ventriculi contenta sursum pellunt, hinc vomentes sentiunt quasi attolli & sequi Abdomen, & patet in cane vomituriente, quod ventrem introtrahat, hæc est causa proxima, Convulsio fieri debet, si plumula oleo illita per fauces hinc inde trahatur à Convulsione, hinc fit vomitus, & si Æsophagus digito irritetur, quasi sursum trahitur & convellitur, tum Convulsio musculorum, intestinorum, Diaphragmatis, musculorum Abdominalium juxta observata *Peyeriana* & *Monspeliaca* fieri debet; ergo in vomitu semper duo adsunt, unum inversus fibrarum ventriculi motus, quo contenta à Pyloro ad Æsophagum determinantur, & simul fiunt contractio & convulsio in dictis musculis, hæc est causa proxima; causa remota est omnes nervi harum partium, qui ab eadem radice pari vago & intercostalibus inter se communicant, docentibus *Lowero* & *Willisio*; hac ratione omnes

irritantur, hinc causa remota vomitus est irritans quodcunque nervos ibi dispersos. Veterum opinio fuit, nempe vomitum fieri, tantum per hæc tria, sed *Wepferus*, *Pejerus* & *Chirac* Medicus olim Monspeliensis & nunc Parisinus ostenderunt impossibile esse, ut ventriculus per suas proprias fibras solas vomitum faceret, de hac disputatione vide, quæ dixerint in *Actis Parisinis*. Quando ventriculus est plenus & cogitur vomere, tum retrovertitur ventriculus à Diaphragmate & valide tunc trahitur Æsophagus, unde summopere in vomitu dolemus, præsertim ibi loci, ubi Æsophagus Diaphragma ingreditur, quia ibi est nervosissimus.

§. 650. *Stomachus* vocatur *Convulsus*, *si motus fibrarum parallelarum à Pyloro incipiens ad Æsophagum determinatur*, hinc fit vomitus, quod patebit in *Cicuta Aquatica Wepferi*, qua cani data is vomebat ad mortem usque, aperto Abdomine visus est ventriculus sic contrahi à Pyloro ad superius ventriculi os; at in chylificatione fiebat motus ab Æsophago ad Pylorum; ergo hic motus est inversus.

Inflammati. Ex Inflammatione oritur vomitus, in Peste enim ventriculi sæpe Inflammationes & Anthraces (unde ventriculus à quacunque re attingente constringitur) inventi sunt.

Suppurantis. Simulac quidquam incurrit in suppurantis ventriculi parietes, enormis vomitus oritur, sæpe enim ibi hæret ulcus unde vomitus purulentus; exempla prostant in Pleuritide à tantillo Cardialgico, multos plurimum puris ejecisse & sanatos fuisse.

Scirrhosi. Post Inflammationes male curatos ægri

ægri accipiunt Scirrhos in ventriculo, qui Scirrhi, si nimis calidis tractentur, cancrescunt, unde tot mala & querelæ ægrotantium fiunt, quod nihil ventriculo retineri possint, quod Lugduni Batavorum in cadaveribus apertis & apud *Bonetum in Sepulchreto Anatomico* fuit observatum.

Cartilaginosi In hac urbe tractabatur à *Clarissimo Nuckio* mulier, quæ simulac quidquam deglutiverat & deglutitum in ventriculum pervenerat, statim vomitu illud reddere cogebatur, donec tandem blanda mors ipsi pro medicina fuit, postea aperti cadaveris ventriculi os superius inventum est cartilagineum; unde talis irritatio fiebat, ut vomitus subsequeretur, quia licet ventriculus esset immobilis, tamen fibræ adhuc bonæ contra cartilagineum corpus convellebantur.

Febre Acuta. Si causa remota sit in ventriculo & sanguis valde moveatur, facile vomitus succedit.

Pertinax. Quia nulla medicamenta ventriculus retinere potest; sæpe oritur à Cancro dolor maximus circa ventriculum, tum vomitus succedit materiæ atrabiliariæ & purulentæ, hæretque in hoc casu species veri Cancri in stomacho, quo manente non curatur vomitus, hinc vomitus ad mortem usque durat, cognoscitur an homo vomat ab inflammato ventriculo, ex dolore ardente, pungente in ventriculi regione aucto ad inspirationem, tussim oscitationem validam, suspiria ad minimam ingestionem ciborum, potuum & medicamenti cum Febre Continua Acuta, si hæc mala adsint tum vomitus est ab Inflammatione. Qui laborant Variolis (quia egrediens saliva est permixta cum aëre

re ex corpore affecti) primo habent dolorem circa ventriculi os, & quidquid in hoc casu detur sive vomitorium sive aliud, nihil juvat, hic enim est diathesis inflammatoria circa superius os ventriculi, simile quod in omnibus morbis contagiosis observatur, certus sum, quod Inflammationis curatio fit etiam hujus vomitus sanatio.

§. 651. *Vitio viscerum.* Si aliquid viscus, quod ventriculo proximum est, fit inflammatum, tum tumente ventriculo tenditur, irritatur, & facit Convulsionem ab irritatione ortam, nulla pars est in corpore, quæ si attingatur, quin se convellat, ponite aliquam partem alicujus visceris stomacho adurentis inflammatum, simulac nunc homo tantum comedit, ut ventriculus distendatur, statim adest vomitus, hæc est ratio, cur etiam in Inflammatione Lienis, Hepatis in Nephritide, dolore Iliaco, Mesenterico, vomitus adsit, Deus fecit nostrum corpus, ut expellere possit, quæ hausit, si venenum sit haustum, si Diaphragma pertusum, vomitus accedit, sic sæpe incognita causa pertinacissimum fecit vomitum, si accedat Febris, has partes magis magisque distendit, tum plurimi Medici cogitant de ventriculo, sed an non certi sumus per experientiam *Hippocraticam*, quod si modo calculus inflammatorium punctum tetigerit, statim vomitus sequatur, ergo vomitus fieri potest, ubi ventriculus nil omnino in culpa est. Si quis Scirrhoso Hepate, Liene, Pancreate, Mesenterio, Intestino, iisve inflammatis suppuratis, laboret, perpetuo vomet, ventriculus ab assumptis distenditur, viscera comprimuntur, hæc convelluntur, omnia regurgitant & excutiuntur. Vomitus oritur ab

In-

Inflammatione viſcerum, quia ventriculus dum eſt aliquantulum diſtentus, tunc per illam diſtenſionem urget illas partes inflammatas, ut Hepar, Lien, Diaphragma, Renes & Inteſtina perdunt tonum ſuum, tunc oritur vomitus Symptomaticus dictus. Si autem fiat vomitus ex eo, quod in pelvi renum hæreat Calculus, tunc Medicus dare non debet, quæ ſiſtunt hunc vomitum, ſi aliunde ſciat hunc ægrum eſſe Nephriticum, nam hac ope utitur natura, ut per talem compreſſionem excutiatur Calculus per Ureteres ad veſicam, ſed debet Miſſionem Sanguinis inſtituere, laxare vaſa, aperire vias, præſcribere Balſamica, Oleoſa, & Demulcentia; hinc cauſa eſt multiplex, unde patet plurimos hic morbos comprehendi ſub vomitu, ſi Febris acceſſerit, eſt peſſimum ſymptoma & res fere deſperata, quia omnia magis irritat.

§. 652. Fortia purgantia, repletio nimia ciborum, & omnia vomitoria producunt vomitus.

§. 653. Vomitus ſi diu maneat producit Atrophiam ſeu nutritionis defectum, qui eſt exſiccatio vel collapſus habitus totius corporis defectu nutrimenti, hinc *Hippocrates* dicit, *qui multum purgant & vomunt, his deſueſcit corpus nutriri*, aut nutrita expelluntur, fit Ileus ſeu Volvulus, quæ eſt regurgitario materiæ inteſtinalis per vomitum ab obſtructo inteſtino. Si tubus inteſtinalis ſit in aliqua parte contractus, in altera parte quoque conſtringitur, tum pars ſuperior maxime inflatur, dum inferior eſt tenuiſſima uti vidi in pueri cadavere ex Ileo mortui; cum vero homo vivat per motum reſpirationis, pars inferior inteſtini, quæ non eſt inflata intrat in alteram exſpanſam, & ideo Paralyticam

red-

reddit, quæ igitur post vomitum restituere non potest, hinc susceptio intestini, quæ plerumque usque ad mortem durat, ergo in vomitu ventriculus facile pelli potest in unam partem intestinorum, unde fit susceptio expansio & Ileus, legite *Sydenhamum*, sæpe fit inversio intestini, quia ab anó ad gulam est motus inversus Peristalticus, hoc scitur, si per inferiora recedit clysma; nam signum est Obstructionis in parte intestini, si per vomitum paulō post redditur ore clysma, est inversus motus Peristalticus, quæ si diu duret, omnia superius feruntur & fit *miserere mei* seu *Volvulus*, qui est species Ilei ab intestino Ileo intra suscepto. *Ruyschius* demonstravit, si in Febre Acuta æger perpetuo vomat, ut nec à Venæ Sectione, nec à Clysmate, nec Opio cedat, semper causam esse intorsionem intestini.

Effecta. *Hippocrates* dicit ab Elatere, ab Hypercatharsi, ab irritatione generis nervosi, partim ab evacuatione.

§. 654. Eadem hic timenda, quæ à majori Nausea dicta sunt, si v. g. vomitus ab inflammato ventriculo, optimum remedium est Venæ Sectio larga, ut vidimus, præterea sumenda sunt decocta Antiphlogistica parum simul, dein similia clysmata & epithemata, inter quæ maxime laudantur omnia subnitrosa, hinc fomenta animalium solo gramine pastorum calide toti Abdomini applicata commendantur à nonnullis auctoribus. Si Cancrosa sint viscera, nempe si frigus, dolor diuturnus & summus sint in aliqua parte, ibi est Convulsio & insequens vomitus, tum sunt effectus harum, quæ non curantur nisi illis sublatis, hi su t vomitus lethales, ubi optimi Medici frustra sæpe agunt.

§. 658.

§. 655. Si à Nausea oriatur, revocanda maxime sunt ad ea, quæ ante dicta sunt; si Scirrhus occupet ventriculum, & inde vomitus oriatur, nunquam sanatur, nisi Scirrhus dissolvatur, idem in Inflammatione & reliquis morbis verum est. *Egregii Lazari Riverii* experimentum hodie à multis Medicis per Europam usurpatur, si æger habeat vomitum perpetuum, qui nullo modo sisti potest, suos sales oppositos uno momento intra corpus ingerat, v. g.

℞. Salis Absynthii.
Succi Limonum recens
pressi ana ℥ij
M.

His duobus assumptis in ventriculum, ut effervescant, tum oritur incredibilis motus in ventriculo sursum deorsumque tendens, unde vomitus tollitur, sed hoc experimentum non semper succedit, nam Inflammatio sæpe in causa est sed ubi per concussum tolli potest, facile sic profligatur.

Opiata. Si vomitus sit assiduus & violentus ob causas §. 642. dictas in eo casu Opium est princeps remedium, quod licet non tollat causam, tamen pro tempore impedit, ne fiat Ileus vel Convulsio, & sopit fluxum spirituum, aliud nil agit, hinc optima remedia sunt sequentia, Diascordium *Sylvii* ad dragmam dimidiam vel Diascordium *Fracastorii* ad eandem quantitatem vel Theriacale *Mithridatii* ad scrupulum unum vel ipsum Opium ad granum unum, vel unum & semis, hæc optime vomitum sistunt, qui à perverso spirituum motu originem ducit, qualem accepit, qui in rheda dorso averso vel per mare vehitur.

Epi-

Epithemata. Si à fluctuante materia vomitus oriatur, tum Emplastrum Theriacale cum Mastiche extendatur supra Alutam & imponatur regioni Epigastricæ vel sumatur emplastrum Ceratum Splenicum dictum vel spiritus vini aromaticus, ut Aqua Vitæ Matthioli cum pane tosto & superimponatur vesica suilla, vel vinum rubrum calidum pauxillo panis tosti exceptum Abdomini non umbilico applicatum; in summa inopia & omnium exasperatione Cucurbitæ fine scarificatione Epigastrio applicata juvant, pomum Citreum subitò comestum etiam sæpe tollit vomitum, si his non tolletur, vix est curabilis.

§. 656. *Hinc in Acutis.* Ubi in Acutis vomitus est perpetuus, tunc vel materia putrida oleosa hærebit in ventriculo, ergo in tali casu vomitorio curatur & excernitur hæc materies, vel 2. vomitus fiet à malo hærente Phlogistico in cerebro & Phrenitide, unde Sympateticus erit vomitus, tum autem lethiferum erit vomitorium, vel aliquando vomitus oritur à Convulsione, vel 3. hærebit malum inflammatorium vel in ventriculo aut in intestinis, tum etiam cave dare Vomitorium, in morbis Chronicis itidem, si judicandum sit Cancrosi quid hærere in ventriculo, tunc quoque cavendum à vomitorio, si autem in Chronicis judices materiam putridam oleosam & biliosam hærere in ventriculo, videndum est, an illa sit ex hepate intus consumpto per Dysenteriam aut Icterum, & tum non est dandum Vomitorium, aliter oritur Hypercatharsis, materiesque tabefacta ad mortem usque evacuaretur, ergo tum tantum oportet præbere lenia Emollentia Diluentia, non vero Purgantia & multum moventia, uti hoc

hoc mihi experimentis constitit & præsertim in nobili quodam Geldro, qui à radice Ipecacuanhæ ad mortem usque vomuit consilio Medici Galli, licet huic contradicerem, quia hepar ei erat putrefactum.

Tum curatur. Regula hæc inter Practicos est admissa, at nunquam tam proterve, prius videte an causa admittat, si enim causa sit acris, pessimum est, si à pituita aut putrida bile in primis viis, tum prodest, hinc quod vomitus curatur vomitu, universaliter non est verum, ergo ubi vomitus à materia fluctuante oritur, conducit, ubi vero à causa Cancrosa, Inflammatoria & Scirrhosa vomitorium est pessimum, testante *Sydenhamo*.

Cur in Peste? Hoc valde mirum est, vomitus est acerrimus, qui à somno excitato sudore cessat, si jam frigescant ægri iterum vomunt, hoc in casu Venenum admodum Volatile & Causticum intus hæret, quod si cutis pateat, & ad exteriora feratur, tum vomitus cessat, si intro coërceatur, fit vomitus perpetuus.

Cur Variolis? Hoc mirum est in Variolis, simulac erumpunt Variolæ, tollitur vomitus, hoc fit, quoniam venenum, quod cum acri primo permistum erat primo cum saliva biliove humore ingestum in ventriculo creat Inflammationem, nunc dissipatur per massam sanguineam & cutim, nam tamdiu vomituriunt, quamdiu maculæ non apparent, sed simulac materia ad exteriora determinatur, vomitus tollitur.

Cur inflammatoriis? Vidi sæpe in morbis inflammatoriis per Venæ Sectionem sublatum esse vomitum, quia Inflammatio, id est, vomitus causa tollitur per revulsionis speciem.

Cur

Cur Emetico? Si oriatur Febris Acuta à saburra gravante ventriculum, ut imprimis in Autumnalibus Febribus præ æstu exustis humoribus, hi permisti sanguini faciunt Febrim, ita hæc saburra evacuanda est in initio per vomitorium, ne postea in fine morbi superveniat Diarrhæa lethalis, sæpe Aphthæ & Tenesmus, si in initio morbi detur vomitorium, ejecta saburra hæc omnia præveniuntur: hæc est observatio *Sydenhami*, quam cum ratione & veteribus convenire comperi, nam in Hepate, Intestinis, Pancreate & Ventriculo hæret materia mucosa, crusta non repurgata, quæ si vomitu ejiciatur, bonum est in initio morbi, sed si materies per durationem morbi & coctionem putrida evadens adeo tenuis fiat, ut eat in sanguinem, tum ad finem morbi se evacuabit per Diarrhæam lethalem.

Pessimus fit? In Acutis non est pejus signum, quam si æger omni momento, quo aliquid hausit, ilico vomat, hoc est signum inflammati vel Hepatis vel Ventriculi vel Mesenterii vel Pancreatis vel Lienis, aliter non tam cito fit vomitus, si stomachus sit inflammatus, & æger omnia rejiciat, quibus morbus superari possit, certo moritur.

Cur potest? Singultus videtur esse subitus Spasmus in Æsophago factus, quo ejus longitudinales fibræ contrahuntur & convelluntur & simul trahunt tunicam internam ventriculi, & orificium ejus ab irritatione tunicæ inferioris nerveæ ventriculi & ejus orificio; ægri vomunt ab irritatione ventriculi, sæpe observavi illud symptoma sublatum levi vomitorio, tunc plerumque est materia acris picea ex specie atrabiliaria tenaci, qua excussa per vomitorium tollitur singultus. Multi dixerunt, quod omnis Singul-

tus

tus sit Convulsio Diaphragmatis deorsum tracti, sed contrarium patet, nam si homo laboret Singultu, tum Diaphragma sursum concutitur, & Abdomen non tumet, hinc vera est hæc idea data, qui Singultus oritur à subitanea deglutitione panis, ab acri irritante & vomitu diuturno, vel ut pueri dicunt Belgice (*hy heeft een koekje gestoolen*) à subito deglutiente furtivum bolum; post diuturnum usum Hellebori Albi lethalis est Singultus; si evomatur sanguis arteriosus subsequente animi Deliquio Singultus est lethalis; si oriatur à depletione, requiritur cibi repletio & vice versa; si ab acri emolliente epoto curatur, si à crustis Aphthosis suppurantibus in ventriculo oriatur, dandum est interne oleum Amygdalarum Dulcium, vel Emulsiones emollientes, Diascordium *Sylvii* vel similia, & perfecta habebitur hujus Singultus curatio; si ab alia causa, convenit Venæ Sectio & fomenta, *Sydenham* dicit, quod magis fertur ex natura, nullum præstantius est remedium quam Opium prudenter datum. Omnis Singultus (ut credo) habet sedem in illa parte Æsophagi, ubi ingreditur Diaphragma, nam in Singultu diuturno dolorem ibi sentimus, in omni Singultu est integra Æsophagi contractio, nam in singultu non tumet Abdomen, sed introvertitur, ut facile advertere possumus, & tunc subsidente & tracto antrorsum Abdomine sursum fertur ventriculus, hinc quidquid Convulsionem facit, quidquid acre est, Singultum facere potest, unde Singultus ab Inflammatione, Excoriatione, Evacuatione, Convulsione &c. fieri potest & curari per eadem ac Vomitus, Nausea, Ructus & Flatus; si Singultus fiat à nimia evacuatione, sive illa evacuatio oriatur à nimia Venæ

Sectio-

Sectione, five à nimia Purgatione pronunciat hunc Singultum lethalem esse.



Debilitas Febrilis.

§. 657. Debilitas proprie est impotentia exercendarum functionum imprimis animalium sine dolore, si enim dolor adsit, hic non spectatur, sed concipitur impotentia seu impedita facilis exercitatio musculorum, qui voluntati subjacent; ergo ponit impeditum influxum liquidi arteriosi & nervosi in musculos; hoc posito causæ debilitatis proximæ hæ sunt, impedita admissio fluxus arteriosi & nervosi ad musculos voluntarios; causa remota est, quæ influxum & pressionem utriusque humoris ad musculos impedire potest, distinguo debilitatem ab itineribus, laboribus, quæ potius est aliqua rigiditas.

§. 658. Causa remota esse potest 1. ab inanitate vasorum exhausto liquido, ita animal fortissimum fit debilissimum exhausto liquido, ut si in Febribus solvatur Pulmonalis arteria, aut similis quædam in ipsis visceribus interioribus, tum tanta potest sequi evacuatio, ut inde oriatur; debilitas est in Febre, hoc est Febris in vasa agens dilacerando rumpit, inde debilitas & dilaceratio vasorum; hinc causa est sanguis nimis magna copia eductus, uti & lac, & ingens urinæ profluvium. Nunquam moriuntur animalia, quia sanguis totus est exhaustus, sed tantummodo, quia sanguis non est ea copia in vasis, ut pressionis continuitate cerebro & cere-

cerebello applicari possit ad spiritus faciendos.

Immeabilitate. Nam si sanguis sit tam spissus, ut per suos ultimos fines vasorum apte transfluere non possit, tum licet sit in magna copia, pariet tamen maximam debilitatem, nam tum liquidum nervosum fieri non poterit; maxima debilitas oritur sæpe à Plethora, ubi sanguis est bonus, sed tantum nimia copia peccat hinc tum nimis premet corticem, & hinc cognoscitur Medici prudentia in sanguine opportune mittendo, nam si Venæ Sectio instituatur, & liquida diluentia assumantur, æger curatur, quia meabilitas restituitur; hinc debilitas fit, quia canalis ita est obstructus, ut sanguinis serum, quod videtur solum transire per cerebri corticem non fluere possit, nunquam vidi rubere corticem cerebri, nisi in suspensis, sed in Pia Matre vasa sanguinea distenta sunt, hinc per corticem naturaliter non it sanguis ruber, sed serum, cogitate nunc hæc vasa repleri, tenaciore liquido canalis obstruitur, & sic bonus sanguis, bonus liquor, bonus spiritus, eritque tamen debilitas, quia sanguis obstruens emissaria ultima reliqua vasa claudit; hinc pars erit debilis, ad quam non possunt fluere humores ob Obstructionem vel compressionem, hinc maxima debilitas, si tale quid ad nervorum vel arteriarum origines oriatur v. g. si Polypus adsit in arteria Pulmonali, debilissimi fiunt ægri, si fiat cordis nervorum compressio, maxima erit debilitas, quia motorum princeps agere desinit.

Compressione. Hoc ex OEconomia corporis patet, quod cerebrum & cerebellum accipiant primarium impetum sanguinis in vasa sua arte-

riosa, hæc distribuuntur per corticem ad cerebellum, si nunc impetus hujus sanguinis in vasa augeatur supra modum, tum vasa arteriosa majora fieri & plus distendi debent, si nunc hæc plus turgeant, pressio tam magna fieri potest in Pia Meninge, ut illa turgens comprimat supposita, habetur ergo debilitas summa, & hæc est Debilitas Febrilis, quæ sic oritur, v. g. homo sanus, Athletice valens Febri Ardente laborare incipit, habet calorem, impetum summum & Delirium, tamen est robustissimus longe fortior ac sanus, ut coërceri non possit, sed ille æger impetu aucto debilitatur, ut cadat in Lethargum & sic moritur, hinc evidentissime videtis, quod magnus motus rarefaciat humores, vasaque ita distendat, ut interiora comprimantur, ita ut nihil dimittant; bos qui violentum ictum à lanione accipit, simulac tantum sanguinis ad cerebrum colligitur, ut illud comprimere valeat, humi prolapsus viribus destituitur.

Debilitate cordis. Hic est debilitas musculosa, quæ vero semper dependet à spiritibus per nervos cerebelli minus fortiter actis in villos musculosos cordis, & quando hoc contingit, cor est minus debile vel vergit in Paralysin, ab exhaustis viribus etiam provenire potest, sed hic ago de Debilitate Febrili.

§. 659. Illæ debilitates, quæ oriuntur, postquam Febres cessarunt, fere semper inde accidunt, quia corpus nimis exhaustum est suis liquidis, quæ debilitates plus minusve durant pro morbi ratione & gravitate, donec corpus humoribus sanis repletum sit.

Hæmorrhagiæ Morbosæ. Hæ à Febre fieri possunt; robustissimus juvenis Febre Acutissima laboravit, & postea sanguine de pulmone effuso

effuso valde debilem inveni, sic vidi, quod subitanea & magna Hæmorrhagia per nares eundem effectum præstiterit, huc pertinent in Hæmoptoë sanguis nimia copia excretus, Menstrua nimia, Lochia immodica, Hæmorrhoidalis sanguis ut & in vulnus sanguis nimis ejectus.

Artificiales. Quando maxima & violenta Febris est in corpore, tum motus vel calor rarefacit sanguinem, qui non tam copia quam raritate peccat, atque raritas facit idem ac copia, si nunc Medici inveniant homines leviter calentes & delirantes, mittunt iterum Sanguinem, & deducunt ad temperiem frigidam ut in sanitate, si sanguine misso impetretur, ut sanguis vasa adeo turgere non faciat, tum calor desinit, inde major debilitas, hinc Medicus nunquam debet supprimere sanguinis motum ad statum naturalem, sed in gradu majori sistendum, si homo sit Pleuriticus, nascitur Febris, quæ sanguinem rarefacit, si Medicus Venæ Sectionem instituat, fit major raritas, quæ iterum facit Plethoram, si Medicus iterum mittat Sanguinem, ultimo sanguinis partes se invicem pellere non possunt, calor desinit, tum æger tam paucum sanguinem habet, ut vel in Animi Deliquium incidat vel moriatur.

Sudor. Nulla enim excretio plus debilitat, hinc in Sudore Anglicano & in pluribus aliis morbis omnis vis vitalis perit, & sudore diffluunt ægri, idem fit per artificiales sudores ut per motum & medicamenta Sudorifera.

Diabetes est urinæ fere insipidæ, albæ, inodoræ ingens excretio adeo ut ægri brevi collapsi fiant præ debilitate, nam omne tenuissimum nervosum & lymphaticum brevi educitur.

Salivatio artificialis vel spontanea nunquam fit, nisi excitetur Febris; si quis omnem salivam exspuat, brevi debilitatur, itidemque maxime à Mercurio assumpto, sponte frequens est salivatio in Hypochondriacis, unde maxime debilitantur.

Diarrhæa maxime debilitat, scilicet omni pressione facta versus has partes & à cerebello aversa; ut *Bellinus* optime observavit; hinc in Cæliaca passione, Lienteria intestinorum vel ventriculi lævitatibus fit debilitas, quia chylus non intrat in vasa, aut ab Obstructione vel Paralysi intestinorum, unde clauduntur vasa Lactea, nec chylus in eo adigitur, ergo oritur summa debilitas, licet omnia reliqua sana & bona sint.

Defectus cibi. Nam in Febribus, dum victus nimis exquisitus præscribitur, multum peccatur, & plusquam si mediocriter indulserit, hinc strictissima Diæta in curandis Febribus non sequenda, sed victus est præscribendus, ut morbi longitudinem æger sustinere possit, hinc cibi defectus prohibitus assumi facit debilitatem, dum Medici adeo meticulosi sunt, ut ne micam panis concedere audeant, *Hippocrates*, dicit; *æque peccatur plus subducendo, quam plus addendo.*

Digesti. Si crassa ingesta per imprudentiam putrescant in ventriculo, non digeruntur sed rejiciuntur.

Intropulsi. Crustæ Aphthosæ intercipiunt, ne chylus in vasa Lactea transire possit, adeo cibi exeunt per alvum non mutati vel revomentur. Sæpe Tunica Villosa Inflammationis dispositionem habet, tum nullus chylus versus Lactea intrare potest & licet Emulsiones Avenaceæ &c. assumantur, nil juvant, hinc ex cibi defectu sæpe est debilitas in Febribus, videtis sæpe homines

mines Febribus laborare, ut os, fauces, lingua, Aphthis obsessa sint, sed qualem crustam Aphthæ faciunt, talem Æsophagus & intestina tenent, tum debilitas summa, licet æger comedat, ab inanitione venit, hinc debilitas in Febribus à solo liquidi defectu provenire noscitur ex signis hic expositis.

§. 660. Liquida nostra immeabilia fiunt, vel quia 1. crassiores partes sanguinis iverunt in vasa subtiliora, vel 2. quia liquida sunt mucilaginosa glutinosa & pituitosa frigida, vel 3. quia sunt inspissata per Phlegmonem, id est, per nimiam agitationem Inflammationis compacta; hinc immeabilitas in Febribus est semper inflammatoria; dixi in sanis aliquando ab oleo crasso aliquando à mucoso, aliquando ab atrabiliario crasso, plerumque in Febribus à glutinoso denso inflammatorio & forte ex decem, novem sunt, qui agnoscunt hanc causam, tum sequentia signa Inflammationis adsunt, nempe calor intolerabilis, in toto corpore rubedo, sanguis concrescens in formam corii concreti, si ergo videatis ægrum valde debilem, cogitate, an non causæ sufficientes Phlegmones, Diathesis sanguinis, vel forte in hoc ægro minus boni spiritus adsint.

§. 661. *Canalis.* Tum debent esse signa, de quibus jam ante actum est §. 107.

§. 662. Si videantur subtilissime delabi vires, tum cogitate vel nimiam esse inanitionem, quæ si non erit, patebit forte causa in crassitie nimia liquidorum aut compressis canalibus in cerebro & cerebello, omnes sensus interni & externi ut ratiocinium, motus animales male fiunt, hinc cerebro compressio sequi debet Vertigo Tenebricosa, quæ sunt signa comprimi vasa

ad cerebrum, ut spiritus Visorii non transeant, tunc fit caligo, vel in animi Deliquium cadunt, olfactus perit, stupor ad tactum, oblivio & leve Delirium, sopor & tinnitus aurium sequuntur, unde cognoscitur vasa in nervorum origine obstrui. Credo, quod plerique ægri, qui ab Acuta Febri moriuntur, quantum potui in scriptis *Hippocratis*, ex inspectione cadaveris & ex consideratione symptomatum videre, quod plerumque ex his causis moriantur, tum Medicus ut tollat debilitatem, cerebri & cerebelli compressionem tollere debet; sed certo illi est cognoscendum, an cerebrum & cerebellum nunc comprimantur, reliqua signa sunt clarissima, si aliquis nimium febricitet, tum functiones, quæ à Febre exercentur debilitantur, motus voluntarius, sensus externus & internus, motus vitales, actio respirationis, pulsus celer & æquabilis; ex his non apparent functiones, quæ à cerebro vel cerebello dependent, destructæ, ergo causa denotans cerebrum esse affectum est 1. si æger deliret, 2. si Vertigine laboret, ut volebat *Hippocrates*, ut omnia fieri nigra in plena Meridie, & omnia rotari, & tinnitus aurium videantur, in qua Febre hæc adsunt, cogitate cerebrum & cerebellum esse obstructum; fuit hic Studiosus, qui morbo affectus maxime debilis esse videbatur, sed post Venæ Sectionem institutam paulo fortior evasit, delirabat enim maxime & curatus est per sæpius iteratam Venæ Sectionem.

§. 663. *Si à cordis debilitate* debebit causa hærere in tota sanguinis massa, quod apparet ex inanitione, crassitie, vel nervis cordis, quod cognoscere est difficilius; quando homines cadunt mortui primo bene valentes subito in col-

loquiis amicorum, tum apertis nil apparet mali; credibile est tum oriri in cerebello compressionem eorum nervorum, qui cor movent, quo desinente omnes pereunt actiones; hoc accidit in matrona mihi affine colloquente cum sua filia. Si homo Febri laborans sit sine calore desinente frigore, cum pulsu debilissimo respiratione lentissima, frigore circa extrema, nullo motu violento, & tamen sit Febris, tum Medicus etiam cogitare debet, quod causa sit in nervis, qui ad cor pertingunt, tum expressione cerebelli oritur Paralysis cordis, & tandem mors.

§ 664. *Cibi* vocantur *omnia corpora, quæ in corpus humanum ingesta per vires naturales ita mutari possunt, ut evadant nova elementa solidarum & fluidarum partium*, dividuntur in liquida & dura.

Sanguini similes. Ut serum lactis, ipsum lac recens, jus carnium.

Gelatinosi. Sic enim chylus semper fit.

Vinosi. Leviter vinosa & leviter aromatica, si etiam mista sint, optima erunt, videtis, quod in febrili debilitate vinum commendem & hoc facio non inexpertus, nam certus sum, quod in multis Febribus, si Medici vinum aqua dilutum dedissent, quod plures refrigerassent, quam si solam aquam dedissent, sed si debilitas à magna evacuatione, tum hi cibi prosunt, lenis externorum frictio est adhibenda, hinc *Hippocrates* dicit, si hominem nutrire vis, frica, hac enim ratione per venas defers & toto corpori applicas. Hæc omnia sunt Cardiaca primi ordinis, hæc repletio semper per venas fieri debet, hinc per vasa Lactea & Meseraica, *Lowerus* recitat casus hominis, qui ex maxima Hæmor-

morrhagia relictus quasi mortuus revixit assumpto jure carnium, ita ut jusculum purum redierit per arterias nasi; cum vero æger suas vires utcunque recuperaverit, tum addenda sunt aromatica & ad putrefactionem arcendum addenda acida, potius quam salina, quæ repudienda sunt in vulneratis præsertim; quia sanguinem dissolvunt; homini Plethorico debilitato, si detur spiritus vini Hispanici, enecatur, si è contra ei Venæ Sectio instituatur, curatur, si à nimia Hæmorrhagia, juvant priora, & Venæ Sectio nocet, ergo si sit à nimia inanitione *Hippocrati* κενεαγγεία implebo vasa, substituendo liquidum deficiens; si v. g. vocer ad hominem, cui omnis fere sanguis missus, non dabo salia, quæ parum quidem sustentent, sed dabo talem humorem, qualis fere hic deficit, & hunc movebo per corpus, dabo liquida, quia ex regula *Hippocratis* citius replent liquida, hinc talia, quæ sanguini similia sunt, quæ, dum ei accedunt, quasi à corpore digesta sunt, nam nostrum corpus debile tunc temporis suo mechanismo hoc perficere non potest, gelatinosa sunt optima, ne sanguis pauca copia restans non nimis debilitetur, hinc juscula carnium non erunt nimis diluta, aliter enim collabuntur vasa, pauxillum salis est addendum & aliquid oleosi lenis reficientis acidi, ut est succus Pomorum Aurantiorum, Limoniorum, Citriorum, juvant Hordeata, Avenacea, quæ sustinent crassiuscula, nec nimis crassa, blanda, non vinum nisi cum aqua dilutum, non Elixiria, non Ambra, non Volatilia, plus enim impellunt ad vasa excretoria id, quod superest, suntque ut ignis momentaneus Belgice (*een stroo vuur*) subito ingentem flammam excitans mox

mox collabescens; si corpus sit pingue, tum nil pingue est dandum, si acidum prædominetur, nullum acidum, sed jus carnium, ova, si salinum nil salis, si corpus ex aliis humoribus putridis plenum, nil ex piscibus, carnibus, ovis addendum; sed leviter acidula ex Vegetabilibus Acetosis; puls Hordeata, Avenacea, succus Limonum, Cerasorum, Pyrorum. Tractavi nobilem fæminam, cui fere omnis sanguis per Abortum perierat, pulsus vix aderat, sanguis ex utero effluxerat, datis multis Cardiacis parum sanguinis restitans iterum ex utero fluebat ibi in angustia positus, dedi Panatellam Gelatinosam cum aliquo succo aromatico v. g. Aurantiorum, ovi pauxillum, addidi parum Sacchari & Vini Rhenani omni quadrante hora dandum ad unciam semis vel unam, unde, Hæmorrhagia sublata, somno corripiebatur, quod est sanationis signum. Si quis dicat talem curam per liquida producturam Hydropem, quia à pauco residuo sanguine non subigi nequeunt ingesta, tum respondebo, me hoc facile præventurum, nam tum videns illud futurum vitabo liquida, dando Limaturam Chalybis paulullum vini, panem biscoctum, sæpe & parva dosi simul, dein frictiones adhibebo ad vasa roboranda, quæ juxta monitum *Hippocratis* omnia vasa determinant.

§. 665. Si Febris oriatur, quoniam pinguia soluta sunt vel quoniam massa sanguinea reddita magis concreta, tum hoc contigit à pinguedine non ab obesitate pingui & non à magno calore febrili; nunquam enim corpus obesum Febre laborat, quin oleum ex cellulis subcutaneis exprimatur & in venas abeat, hinc sanguis redditur immeabilis, quando facit tis-

Medicinam, visuri estis, quod homines valde pingues uno vel altero excessu exstinguantur; si ergo videtis in corpore pingui Febrem; cogitate à pinguedine, si in corpore senili pituitoso, tum verum glutinosum, ut meare non possit per minima vasa, sed contingit etiam, ut lenta massa à Febre solvatur & in fluida derivans humorum immeabilitatem producat. Summa Cardiaca sunt quandoque summa debilitantia in hac occasione, tum enim si non tollatur Obstructio, impingetur materies in loca, unde non exibit, & ægri morientur Phrenitici, si ergo vasa nimis fortia sint & vasa nimis crassa, tum liquidior pars se ex sanguine expedire non potest, nisi diluatur; hinc ad illud expediendum, Venæ Sectio, aqua tepida, clysmata, fomenta, hic sunt exquisita remedia.

§. 666. Vide paragraphum citatum in capite *de Obstructione ab Inflammatione Glutinosa* vel *in Inflammatorio Glutine de Obstructione ab Oleosa Glutine*, ibi habetis signa manifestissima, indicationes claras & remedia opposita, quando oleum peccat, nil juvat ad debilitatem superandam, nisi ejus evacuatio fiat, Missione Sanguinis, clysmatibus duodecies de die repetitis ex leni decocto Farinæ, detur aliquid saponaceum ut mel ad unciam unam, acetum ad unciam semis. Nitrum ad dragmam unam, hæc in aquæ unciis decem diluta ingenti copia injiciantur, donec pinguedo meabilis sit facta.

§ 667. *Illi loco.* Sum certus, quod ex centum hominibus, qui pereunt Febri cum debilitate à Febri orta sine evacuatione, quod nonaginta novem pereunt, quia nimium fit propulsus humorum per corticem cerebri & cerebelli, si

attendamus ad Autopsiam, ad Symptomata, ad morbi historiam, nam omnes homines sunt debiles, postquam cerebrum in functione deficit, tum Carus, Tetanus, Apoplexia & tandem mors insequuntur.

Deobstruere. De diluentibus Nitrosis, saponaceis, mellitis, & fructibus Horæis antea dixi.

Avertere. Sanguis noster est ut rivus aquæ, ex cujus alveo, quo plus subduxeris, eo plus minues, possum enim per venam pedis poplitis educere sanguinem ad mortem usque, ergo eo usque ut non urgeat in cerebrum; non autem dico tantum distrahi debere, si homo hodie suum cerebrum compresserit, post horam tantum sanguinis appellere ad cerebrum potest, ut moriatur ab Obstructione, non enim est argumentandum malum oriri ab extensione, quia sublata extensione non fit, tum est attendendum ad pulsum, ut exploremus, an vis idonea supersit; *Sydenhamus* observavit, quod in summa Plethora ægri sæpe debiles ita videantur, ut membra movere non possint, attamen uncia una sanguinis educta, iterum omnes functiones restituuntur, hinc instituatur Venæ Sectio, tum ilico redit cerebri functio, si vero statim ac sanguis mittatur, vires abeunt, desiste.

Humectando. Hæc optima sunt, nam non scio, quæ medicamenta capiti laboranti præstantiora sint, quam humectantia externa, tum enim est efficiendum, ut minor sanguinis copia eat in Carotides externas, minorque in has fiat impetus, quod fit laxando ramos Carotidum externarum per fomenta &c. si vero velimus avertere, tum hoc fit clysmatibus & epispasticis,

nam si in partibus inferioribus laxentur fibræ, tum minor fiet ad caput impetus, acetum Rosaceum potest hic pro Epispastico inservire; Cucurbitæ ad pedes applicatæ etiam conducunt, erat hic *Lugduni-Batavorum* morbus Epidemicus, in quo ægri somnolenti omnia data sine conscientia assumebant, tum similia capiti & pedibus applicata profuerunt.

§. 668. Contra cordis Paralysin profecto nullum remedium scio, nam non possumus curare nisi per remedia universalia, cum enim nervi Cardiaci sint intimi, illis non possumus proficere per Topica, sed si sit à causa, cerebellum comprimente, tum cura in præcedentibus est tradita.

§. 669. Vexabimini à nulla re plus quam custodibus infantum & à nobilibus fæminis, quæ semper clamant de Cordiali potu, Medicus optime facit, si nihil obloquatur, sed interim sub specie malignitatis curandæ vel respirationis juvandæ sua ordinet, interim iis indulgens, detur Rosacea cum pauca aquæ copia Cinnamomi, & addentur quæ potius refrigerant, ut Vinum Rhenanum dilutum cum aqua Rosarum, aliter omnia Cardiaca sunt acria vel salina vel spirituosa, vide *Institutiones Medicas*. Optimi Medici sunt in ea opinione, corroborandam esse vitæ vim, hinc danda sunt Cardiaca, quia ægri sunt debiles, vidi nuper in pago *Zoeterwoude* Rusticum longe omnium robustissimum, qui in violentissimam Pleuritidem & Peripneumoniam inciderat, quo morbo ejus bini fratres itidem robustissimi paulo ante exstincti erant; conspexi corpus quale Herculis vel Lacoontis in statua, sed erat factus debilissimus, brevi tempore multum animo, quæ causa esset, agitavi,

tavi, & credidi congelationem esse sanguinis, perpendens paulo ante fratres esse mortuos concludi Venæ Sectionem esse instituendam, licet ipse Chirurgus metueret, at postquam circiter unciæ quindecim sanguinis exierant; jam resurgebat Rusticus; hinc in Acutis Cardiaca ea non adeo tuta sunt, si dedissem spirituosa vinosa & calefacientia, suffocatus fuisset, tertio die iterum misso sanguine reconvaluit Rusticus, hinc non tollenda est debilitas, nisi simul tollendo ejus causam, si enim à compressione vasorum & Inflammatione oriatur, Cardiaca sunt pessima, & magnus committitur error.

Insuperabile. Medici in Acutis sæpe debilitatem non tollunt, ut in Peripneumonicis, ubi sæpe aggeritur sanguis in pulmonibus, tum ægri fiunt debilissimi, idque per nimiam cordis prementis vim, quia sanguine in pulmone aggesto, aër illum extendere non potest, si dentur Cardiaca, tum pejor fit morbus, si instituatur Venæ sectio, tum sanguis inter cordis thalamos hærens non tollitur, resolventia in pulmone nil faciunt, hinc non danda sunt Cardiaca vel moventia, sed ut Medicus satisfacit adstantibus, innocua danda sunt v. g. saccharum Diamororum; de Kermes Monspeliac. & similia in pulte, vel aqua Buglossi, Violarum & similes aquæ vappidæ, non vero dandi sunt trochisci de Viperis, de Hyacintho & similia fortiora. Lapides pretiosi plus sunt nocui quam proficui fragrantissimi autem halitus, qui stimulant spiritus, att men hic prosunt succi Aurantiorum, Citreorum &c. Cardiacum est, quod vires cordis auget, cordis vires augentur vel quatenus bene nutritur corpus, vel quatenus augetur motus sanguinis venosi in cordis dextrum,

trum vel quatenus augetur motus sanguinis arteriosi, vel motus liquidi nervei in ipsum cor, vel utrumque simul, vel tria simul.



Calor Febrilis.

§. 670. Symptoma caloris est adeo frequens in Febribus, ut principes Medicorum dixerint, calorem naturam Febris absolvere; quid calor sit, id ignotum est nisi, quod in Thermoscopiis aërem rarefacit, calor febrilis si in externis partibus à Medico contingendis hæreat, facile patet.

Thermoscopio. Nam hoc quantum scio nullo modo fallere potest, si ergo homo ambigatur, an adsit major calor hominis sani, tum Thermoscopium teneatur manu compressum, si hoc non sufficiat, Thermoscopium ori immissum aliquamdiu teneatur non inflando aërem, nec affundendo per os, tum calor perfecte notari potest, si ergo Medicus tali instrumento in Febris Quartanæ initio calorem mensurare velit, tum debet adhibere tempore, quo æger magis ferveat, & habebit tempore, quo si calor sit intimus, tum ex ægri sensu hoc est cognoscendum, nam quo major æstus est interne, eo majus frigus externa occupat.

Rubore urinæ. Quamdiu est rubra sine causa in cibo, potu, vel motu hærente vel in medicamentis assumptis, ut Croco, Curcuma &c. tamdiu in illo morbo est major motus naturalis, nisi hoc sit à retenta urina, tunc non est Febris, de Ictero non loquor, ergo extrema frigent, sed potestis objicere, si calor sit internus,

ternus, cur non in extremis, at cognoscitur, si locus in corpore sit inflammatus tum ibi longe major calor, hoc quoque esse potest circa viscera tum urina semper est rubra; ergo hæc signa sunt caloris, nempe Thermoscopium, sensus ægri, & intensivus urinæ color.

§. 671. Causa proxima est major ignis copia in illo loco, qui calefacit, nullus est calor sine igne, ante quadriennium tam clare demonstravi, ut dubitari vix queat, quod illa qualitas, quæ calor vocatur, nil sit nisi ignis elementalis. *Ignis* est *congeries mobilissimarum, tenuissimarum & solidissimarum partium totius universi*, ergo major calor notat hanc materiam ibi esse auctam. Ille calor omnem effectum veri ignis edit, hinc calefacit.

§ 672. Non scio, quod sit exemplum, ubi magnus calor in corpore, quin demonstratum sit in illo corpore non esse magnum attritum, & magnus partium attritus, quin magnus sit calor, si sciam in hoc ægro esse majorem calorem, tum etiam scio in toto ejus corpore vel etiam illa parte esse plurem ignem quam solebat, sed omne corpus edit inæquabilem calorem, si ignis non retineatur in illo corpore plusquam in aliis, ergo in hujus ægri corpore est major calor, ergo major ignis; ergo major partium attritus, quam alibi, & si in toto corpore major calor, concludo, quod sit major tritus, hic tritus triplici modo propagari potest, vel per solida vel per fluida, inter se omnia fluida sunt elastica, sanguis est expansilis & contractilis, hinc vasa exercent potentiam & vim extendendi canalem, nunc omnes partes (dum iis resistitur) considerandæ sunt, quasi essent inter duo præla, ubi fricarentur,

quod nunc de vasis dixi, id de qualibet particula fluidi verum est, ergo triplex tritus, 1. ab impetu, quo projectum liquidum affricatur contra latera vasorum 2. est ab elastica vi omnium vasorum premente in angustia liquidum, 3. est quoniam omnes fluidæ partes irruunt in aliorum contactus inter se, & ad vasorum membranas; hinc omnes inter se superficiem nectunt, pro ut nunc hic triplex tritus est major vel minor, quando nullus est attritus, tum corpus non plus calet quam aër externus, ergo omnis calor à circulatione superstite oritur, & corpus, quod per centum annos caluit, frigebit simulac desinit circulatio. Ignis qui in homine calorem facit, colligitur ex aëre ambiente, hinc simulac homo est mortuus, ejus corpus non plus calet, quam externus aër.

§. 673. Nullus fit attritus, nisi ubi unum corpus contra alterum prematur, si enim moveatur corpus contra superficiem alterius, tum fit calor, & si corpus durissimum alteri incumbat, non calescit, sed si durum corpus mox huc, mox illuc prematur, tum adest calor, sic enim in nobis res sese habet, sunt quoque duæ causæ, quæ calorem faciunt, attritus & velocitas, aucta experimentis liquidum cordis, seu major resistentia liquidi projecti, quod idem est, si enim duplicem motum augeam vel duplo majorem resistentiam faciam, est idem, hinc unicus modus generandi calorem est attritus corporum inter se, & quo illa corpora erunt duriora, eo, cæteris paribus, fiet major motus, calor major, ignisque copiosior, 2. quo violentior est ille attritus, eo idem calor fiet magis ac magis, 3. quo illa frictio erit celerior, eo idem adhuc magis accedit, si hæc

tria

tria simul uniantur, tanta major erit calor; inde patet vana nonnullorum imprimis Chemicorum objectio contra causam caloris à me datam scilicet attritum, dicunt, si aër per siphonem propellatur, perpetuo non calebit sipho, nulla hic est convenientia, nam aër perpetuo hic accedit, & præterea est longe alia machina, quam nostrum cor; ergo si liquor assidue atteratur ad eadem vasa, fiet calor.

§. 674. Nil clarius est in Mechanicis: Ut corpus in Mechanicis moveatur, requirit vim moventem; ut corpus duplo celerius moveatur, requirit duplicem vim, ut duo corpora æquabili velocitate moveantur, ergo duplex causa movens esse debet, nunc omne corpus constat duabus partibus in unam massam admixtis, hinc motus totius & motus omnium partium, quo nunc corpus est densius eo plus corporeitatis habebit, si nunc corpora æqualis magnitudinis & unum duplo densius quam alterum æqualem motum accipiant, tum illud corpus, quod duplo densius est, duplo majorem motum habebit, si velocitas adsit, tum eadem ut prius, sed si densitas augeatur, tum magnitudo motus augetur, sed hoc facit attritum seu calorem; quo plus deplentur vasa vel implentur, inde novi celeritatem, si nunc inveniam in ægrotantis corpore majorem calorem, quomodo scio, quod calor oriatur, ex eo quod densitas in liquidis fit major. Caloris augmentum cognoscitur ab impetu à corde, 1. si densior ex corde propellatur liquor, secundo si velocior, quod docent Mechanici, in hoc solo audiendi, aut sola velocitas non absolvit, an vis duorum globulorum ejusdem magnitudinis, unius aqua alterius Mercurio pleni impetus

petus & effectus erunt iidem. Ictus prioris erit vigesior minor, quam posterioris, hinc aër levis vento, ergo quo sanguis densior, eo calor erit major, & nil in nostro corpore est levius aqua, quo sublata, reliquus sanguis fit ponderosior, hinc homo statim fit calidior, ergo calidi bibant multum aquæ, ut calor minuatur; altera est velocitas per vasa, si eadem velocitate corpora moveantur, tum attritus fit valde major, & tanto calor erit proportionate major ab utraque, hinc in morbis violentissimis adeo calor augetur; ut liquidissima dissipentur; ergo sunt tres causæ augentes calorem in corpore, nempe 1. augmentum soliditatis & compactionis humorum, 2. augmentum constrictionis & roboris vasorum, 3. augmentum propulsionis humorum.

§. 675. *Extravasati.* Nam omnis sanguis extravasatus est in pondere major, quam alius sanguis, secundo omnis sanguis à corpore mistus ilico concrescit in glebas scissiles, & ille est densissimus, si hæc videam, tum certus sum, quod sanguis densior calorem faciat; sanguis in morbis inflammatoriis extravasatus mutatur in coriaceam materiam, hinc eget majori dilutione, secundo ponderosior sanguis ab urina exeunte aquosa à sudore nimio, hinc sudantes nisi statim amissa aqua recuperetur, incidunt in Febriculam, sic humido difflato sanguis densior cognoscitur.

Dissipatione. Sanguis est longe ponderosior, quam spiritus vini, quam oleum tenue, in nostro sanguine oleum est subtile & aqua est levissima, ergo sanguis non potest fieri tam tenuis quin moriamur, hinc in omni morbo, in quo certus sum aquam de sanguine ivisse & ca-

calorem esse, ibi sanguis est densior, ergo post largam Diabeten ac largum sudorem calore remanente sanguis est densior.

Duritie pulsus. Quando Medicus arteriam sentiens perfecte sentit, quod arteria intropremi non possit, sed quod digitus quasi à baculo repellatur; si habeamus vesicam suillam aquâ plenam, vocamus vesicam mollem, sed si fortissime constringatur (licet non sit aër in vesica) tum vesica erit æque dura ac lapis, & hac vesica æque hominem occidere possum, quam alio instrumento, sic arteriæ quando habent sanguinem, quæ facile redit, notant, quod ibi non est densus, non compressus, sed quando pulsus cum duritie, certus sum, quod in ægro sanguis compressus sit; hæc est res summi momenti in Praxi, & attentionem meretur, antequam ægro medicinam facio, debeo scire, an calor adsit à densitate, dedi tria signa, primo vel ab extravasato pondere, secundo vel à forma concreta, vel ab historia docente liquidissimum esse dissipatum, vel ab habitu vasorum imprimis, si turgeant & cum duritie resistant; scio à velocitate oriri, si reliqua sint eadem, pulsusque tantum duplo velocius, unde fit major calor.

§. 676. *Ictuum cordis.* Pulsus magnitudo facile invenitur, quæ vocatur distensio Diametri inter arteriam distractam & dilatatam, Systole & Diastole arteriarum, hæc ab impactione digiti mensurantur, si nunc arteriæ sic valde propellant & sæpius dilabantur, tum major copia liquidi transjicitur, sed non ex numero ictuum supputatur magnitudo sanguinis trajecti, nec ex plenitudine arteriarum, quæ in hominibus magna animi Deliquia passuris observatur, quod

quo-

quoties crebrior in ictu & expansior in dilatatione majori moveatur, nunquam plus augetur velocitas, quin densitas augeatur, si idem sanguis moveatur duplo celerius per canalem; tum duplicem habet resistentiam, quam ante, quando pressio erat minor. Si pulsus sit celer micans & explicatus, tunc erit frigus prope cor, id est, cor tunc temporis tantum palpitabit, nec sanguinem expellet utpote statim inter cor Dextrum & Pulmonem.

§. 677. Omnis calor oritur à magna pulsuum velocitate & resistentia: priora explicata sunt, major resistentia cognoscitur, si magna sit moles movendorum, & canales simul arcti, hinc si Plethoricorum vasa sint constricta, oritur celerior motus, & major resistentia; nam quo major sit impulsus, eo major erit resistentia, idque proportionaliter, hinc fit, quod si quiescenti sit calor moderatus, currenti sit calor maximus & vasorum tumor, quia resistentia est major.

§. 678. Nimia moles cognoscitur, primo ex Plethora, secundo ex Cacochymia, quæ notat humorum non sanorum abundantiam, humores vero non sani maxime stagnatione colliguntur, in Plethora vero si duplum accedat velocitatis, vasa rumpuntur, quia omnia sunt plena, hinc Plethorici currentes aut maxime moti ob hanc causam sæpissime moriuntur, in obesis succi pleni sunt suo oleo pinguescente, si huic accedat violentus motus, pinguedo liquefacta redit in circulum, & moles movendorum augetur.

Cacochymiæ v. g. in corpore Hydropico illa materies, quæ est extra vasa sanguinea in dilatatis liquidis duplo plus movetur, quia duplo majorem densitatem habet.

Obesis.

Obesis. Multi humores in humano corpore perfecte stagnant & non moventur; hoc certe verum est de maxima nostrorum humorum parte, pone hominem adultum centum libras ponderare, & post annum ducentas libras, quid est, quod dat suprapondium? Sola pinguedo, nam in omni homine minus pingue est in cellulis, pone nunc signa docere, hanc materiam esse solutam & moveri, morbus augebitur, simulac ergo Febris cum magno calore hominem occupat, ut calor si tam ingens, ut urina rubra fluere incipiat, & moveat molem movendorum, tum videbis hanc ingentem differentiam.

Inflatus. Nullum signum est clarius molis nimiæ movendæ, quam pulsus magnus violentus & creber, simul venæ inflatæ signum sanguinis violenter ex corde moti, ob pulsum & magnam resistentiam, venæ turgent & arteriæ pulsant, quia major ibi adest sanguinis copia; in cadavere omnis liquor fluidus est in venis, sed arteriæ nil habent, in morbis omnis sanguis fluidus transit arterias, sed venæ nil habent, ergo debent esse distentæ arteriæ & pulsare.

§. 679. Hoc clarum est, si pulsus sit magnus & violentus simul adest Obstructio, calor est major, hinc inflammatis simul Febricitantibus maxime promovetur calor, ubi liquidorum motus non augetur, sed vasa minuuntur, inde clare sequitur calorem increscere debere; hinc vasorum paucitas resistentiam augere potest, hæc cognoscitur, quando vasa vel obstructa vel vulnerata sunt, de his egi in loco citato; homo amisit femur, arteria consolidatur, actio vasorum Chylopoeticorum & Haimatopoe-

poeticorum est eadem, hæc conficiunt sanguinem, sed non pro toto corpore, hinc quod superest de trunco plus accipit, adeoque moles augetur, unde calor.

§. 680. *Conspectu.* Si videamus corpus, quod prius lautius, torosius magis expansum subito contractius fiat.

Temperie sicca. Hoc cognoscitur, quando vasa ratione Fluidorum sunt minus arcta, & proinde humores densissimi & ponderosissimi, & in omni homine intelligitur, quod minima motus incrementa valde incalescant, qui habet minima vasa, ille semper magnum motum sine magno calore, ferre non potest; si Phthisici paululum moveant corpus, ilico calent, illa vasorum angustia non potest satis commendari, scitis ex doctrina caloris, quod omne, quod magis calet in omni dimensione sit magis expansum, omne quod frigus magis contractum; pone corpus penitus calere, sed sine manum in aëre frigido, contrahitur, fiet minor, si sanguis per has partes libere movere incipiat, hæc pars duplo calidior erit, & hoc fit, quoniam sanguis nactus libertatem, ut æquabiliter fluat, invenit vasa minora magis angustata, hinc cum majori attritu transfluit, sed unde Phthisici semper calent, donec moriantur, habent enim nil humoris, pulsum debilem, & tamen calent, ex his apparet, quid vasorum angustia facere possit, totus musculus Temporalis est contractus, totum corpus illi sic est contractum ut sit quasi nullum, nam est tantum Sceleton, & tamen æque multa habent vasa, hinc licet videantur nullos habere humores, tamen adhuc habent, hoc ita videtur, quia eorum vasa sunt angustissima; quo vasa sunt con-

contractiora, eo magis agunt; hinc cognoscitur maxima vasorum angustia, si ad leve incrementum motus maxime calet homo, talis enim plerumque habet vasa angustissima, uti videmus in omnibus atrabiliariis & siccis, qui non tantum laborare vel movere se possunt, sic etiam Hispani & Itali habent vasa strictiora, plus quam Septentrionales, qui lentiores & laxiores sunt.

§. 681. Vide paragraphum citatum, si canales essent perfecte rigidi, in infinitum resisterent, & plane tum essent immeabiles, hinc cor se evacuare non posset.

§, 682. *Proximis.* Combinando duos vel tres effectus semper erit vehementior reliquis omnibus in statu sano remanentibus, sed inde sanguis fit magis rarefactus, vel stimulus solida ad contractionem sollicitet, & calor erit præsens, hæc veteres vocarunt potentiam calidam; hinc Febricitans calescit, primo quia plus colligitur ignis in eo, quod fit, quia major est attritus, & major attritus, quia cordis contractio major & resistentia vasorum potentior; major velocitas oritur 1. à sanguinis velocitate 2. à liquidi densitate; major resistentia ex sanguinis inopia vel Obstructione vel angustia vel immobilitate vasorum, sic tota res facillime intelligitur, ex his patet esse infinitas causas remotas caloris in Febribus, quæ non opus est ut sciantur omnes, si modo proxima causa bene intelligatur v. g. si quis in juventute vasa rigidiora laborando acceperit, & ego videam rigiditatem, non curabo illam causam remotam, sed tantum corpus laxando aqua tepida fovebo, ut satisfaciam intentioni. Plerique Medici valde errant putantes, quod calor sit à specie putrefactionis vel

effer-

effervescentiæ vel caloris in corpore, sed dabo tantum illud exemplum, æger moriatur à quocunque morbo, moritur vacuo ventriculo & vacuis intestinis, & erit æque frigidus quam si alio morbo mortuus esset, homo sub aquis suffocatus exponatur aëri, erit æque frigidus quam alius mortuus, nam nec Oleum Vitrioli nec oleum Cinnamomi &c. majorem calorem habent, quam aqua, ergo calor non à materia, sed à solo motu, an ergo Aromata & Alcalia non augent motum vasorum? hoc patet, si aromata in corpus ingeruntur, non calor oritur, sed statim ac motus augetur, calor increscit.

§. 683. Duæ caloris causæ generaliter fuerunt, si violentia expulsionis ex corde crescat, tanto major fiet attritus, eritque calor ut increscens causa; si cor duplo velocius & fortius contrahatur, tanto major erit proportionata causa caloris & calor ipse, si simul sanguis sit duplo densior, tanto major erit calor, vis contractilis violentior & soliditas proportionaliter multo major, sicque incrementum facile supputari potest; hinc solus motus, sola Diathesis, sola vasorum strictura, & si solus vasorum numerus minuatur, calor augebitur. Si densitas & velocitas simul augeantur, habetur caloris multiplicatio, sed si augeatur velocitas & contractio nempe velocitas & vasorum angustatio tum densitas in liquidis augebitur; hinc si duplo major sit velocitas, quadruplo major erit calor, si triplo major erit velocitas novemcuplo major calor erit; & hoc se habet pro ratione quadratorum, ut loquuntur Arithmetici.

§. 684. Si densitates, velocitates & resistentiæ bene cognosci possent, tum calor Mathematico calculo posset determinari.

§. 685.

§. 685. Physica dispositio, causæ remotæ & proximæ explicatæ sunt, nunc hoc paragrapho inquiritur, quæ effecta à calore nimium aucto producuntur. Quod calor sit excitatus à Febre per causas Physicas heri demonstratum est, & quidem sic ut dicere auderem hanc rem constare, cui explicandæ tam mira & dubia advocata sunt principia: cogitate, quod in febricitante, ubi est calor auctus ultra mensuram sani, quod ibi sit motus humorum inter se motorum vel ad vasa, vel vasorum ad humores auctus, sed si nil esset considerandum nisi hoc, tum medicamenta semper præsto haberemus, quæ hunc calorem tollunt, sed nunc videamus, quid calor faciat, si diu duret.

Dissipat. Hæc est natura caloris, leviora, tenuissima & mobilissima expellere, hinc si corpus diu perpessum violentos calores aqua privatur, nam in sanguine sunt liquidissima, quæ vix majorem calorem patiuntur, quin exhalent; *Bernierus* Indiam delatus scripsit se adscendisse montes, cujus una parte tantus fuit calor, ut potus assumptus per corpus quasi per cribrum setaceum filtraretur, hic effectus in febricitante contingit à solo calore, qui dissipat liquidissima, id est, aquam spiritus & olea tam subtilia reddit, ut forma spirituum exire possint, unde homines fiunt debiles. Leones, Tigrides aliaque animalia nimio æstuante Sole in speluncis manent, noctu vero ubi vires optimæ vigent, prodeunt. Spiritus sanguinis est illud tenue volatile suboleosum, quod hæret in nostro sanguine.

Sales. Sudor noster est salsus, hinc sales transudant per nostrum corpus.

Olea. Sunt, quæ maculant aliquando ipsa

lintea, corpori indita colore croceo; ut mihi quoque accidit post magnum iter pedibus factum, notavit *Hippocrates*, quod per maximum calorem liquidissimum dissipatur. Sales Adiaphori redduntur per motum tendentes ad alcalinam naturam, hinc veteres vocarunt hunc sanguinem exassatum vel ustulatum.

Materiam. plane ut albumen ovorum, quod in aucto calore concrescit in materiam scissilem, quæ vix ulla arte resolvitur, hinc dico materiem immeabilem & irresolubilem, uti vidimus in Chemicis serum coagulatum ad ignem, quod nec aqua tepida, nec sale, nec ullo remedio redditur in fluorem; hinc si modo paululum liquidi dissipetur de sanguine extravasato, tum fit in sanguine densitas & siccitas, nam sanguis non exspectat omnem humidi ablationem, sed pauca copia liquidi ablata, reliquum siccum fit, hinc noster sanguis solidescit, simulac liquidum modo ex sanguine expulsum est, manifestum est indicium, quod plus de natura Solidi, quam Fluidi participet. Laxitas nostrorum uasorum non modo pendet à calore, sed ab humiditate & humectatione simul junctis, cum autem nostra vasa per motum liquidiori parte orbentur, tum evadunt rigidiora, & fiunt aptiora ad motum præsentem adhuc augendum.

Densat. Pars levissima in nostro sanguine est aqua & spiritus, si nunc per calorem aqua transit; ergo id, quod remanet, debet esse ponderosius quam ante, ergo calor condensat seu ponderosum reddit missum sanguinem, novi quod calor rarefaciat sanguinem, sed calor, qui à sanguinis compressione generatur, supponit pressionem tanto majorem, quo plus calescit.

Im-

Immeabilem. Simulac sanguis humanus semel inspissatus esse incipit, postea resolvi non potest, verum talis manebit, licet in aqua, oleo, vel salino liquido ponatur.

Movet. Nam in experimentis Chemicis vidistis, evidentes gradus caloris, calor enim per viginti quatuor horas urinæ vel sanguini communicatus facit, ut sales evadant acres, volatiles alcalini, vidistis quoque, quid ingens calor, quid calor moderatus efficere possit, hinc quoties augetur salina materia ex semi-fixa volatilis, ex blanda acris, ex muriatica alcalina; necessario ergo omnia stimulare, omnia movere debet, nam nil plus stimulat, ut illa volatilia, sal nunc eo usque non pervenit, ut penitus alcalinus fiat, nam prius morimur, sed dum tendit in illam naturam, hoc facit.

Rumpit, tam per majorem calorem, quam per acrimoniam, vasa nostra minima sunt longe tenuissima, per quæ hæc acria & subtilia liquida transeunt, hinc destruuntur. Si æger valde caleat circa caput, & longe plus quam circa cor, tum ille moritur destructo cerebro & cerebello, vel Phrenitide, Caro & morbo Soporoso exstinguitur, si nunc ille calor sit versus loca, ubi vasa sunt tenuissima, ut in pulmonibus & cerebro, tanto plus periclitatur, hinc in omnibus Febribus Ardentibus, Pleuritide, Peripneumonia, Rheumatismo inflammatorio &c. æger fere semper moritur Phreniticus, quia liquidior sanguinis pars dissipata non amplius pervenire potest ad cerebrum, hinc tum fiunt Obstructiones, disrumpuntur tenerrima vascula, oriuntur Furor, Phrenitis & mors.

Siccat. Hinc *Hippocrates* dicit corpus exuri & squallescere præ siccitare, qui magnum

calorem habent, his cutis eſt tam arida & calida quaſi igne conſumpta.

Reddit. Fibræ fiunt rigidæ & contractæ, ut patet in Acutis per hanc iſtam cauſam.

Producit. Si cerebellum afficiatur, fit uno momento mors; ſi cerebrum, Delirium, Phrenitis, Lethargus, Apoplexia; ſi vero pulmones Peripneumonia, ſi arteriæ Intercoſtales Pleuritis, & hæc ſequentur ut plurimum ob nimium æſtum diutius toleratum; hæc eſt ratio, cur Peſtis & morbi adeo lethales ſubito oriuntur, cogitate cerebrum conſtare vaſis adeo minimis, cogitate hæc pati primum impetum caloris, unde deſtruitur, & nunc perveniat ad illum gradum, per quem penitus deſtrueretur, ſunt gradus infiniti intermedii, hinc nulli morbi Acuti ſunt, quin à fluiditate, denſitate & acrimonia ſint, unde vaſa atteruntur, donec ſint deſtructa, unde oriuntur infinitæ morborum ſpecies; puto hanc rem eſſe fundamentum, quod nos doceat, quid in Febribus agere debeamus; Medici mirantur in Febribus Ardentibus per calorem inveniri duo Phænomena, quæ omnia ſunt naturalia, nempe quod ſanguis hæreat in arteriis, & quod Polypus concretus ſit circa cor & pulmones (vide de hac re *Bonetum in Sepulchreto Anatomico* vel aliis in locis) vel aliis in viſceribus, ſed vaſa craſſa minime per calorem patiuntur, verum vaſa minima plurimum, hæc non apparent; nam finis corticis cerebri non apparet, hinc illorum morborum calidorum ratio Phyſica non patefit, niſi ſanguis ſit exſiccatus, & in arteriis hæreat & circa cor & pulmones ſanguis ſit concretus.

§. 686. Hinc in calore plurima fiunt effecta, & remedia maxime variant pro cauſa & varietate,

ſtate, hinc doctrina calorem curandi à Practicis adeo confuſe eſt data, at in Acutis maxime eſt ſtudendum, ut tollatur calor, quod fit inducendo in corpus aliam cauſam Phyſicam, ſi homo Ardentiſſima Febre laborans exſtinguatur intra octo horas, erit æque frigidus ac alius, qui alio morbo fuerit mortuus, in hoc caſu Sanguis erit mittendus; in Phthiſi hora quinta poſt prandium ſemper erit calor, ſi in tali ægro Venæ Sectionem inſtituere vellet Medicus, omne liquidum ſubduceret, hinc Medico attendendum, an adſint contraindicantia.

§. 687. Inquiro juxta meam methodum ingeſta, retenta, excreta, & applicata, ſæpe enim è minimo motu oritur, ergo ſi à ſola velocitate hæc indicatur curatio, niſi ſit quoddam Miaſma in ſanguine, ſed ſi ſit Febris violenta tantum à ſolo calore; & Medicus in tempore adſit, ut impediat deſtructionem vaſculorum, tunc ſemper curare poteſt ægrum methodo Antiphlogiſtica.

Quidquid eam minuit. Pone hominem ſanum cucurriſſe per prorupta ſpatia, & eſſe tam calidum, ut homo à Febre Ardente, hinc calor oritur à ſolo curſu, in hoc caſu non requiritur Miſſio Sanguinis, ſed talis homo ponatur in aquam tepidam, ut venæ reddantur laxæ, ergo quando ſola velocitas facit calorem, illa eſt imminuenda; ſi mittatur Sanguis, ſanguis reducitur ad calidam temperiem, ſed ſi detur aqua tepida reducitur ad laxationem & frigus, ſi in balneum immittatur, venæ laxantur & calor aufertur, inde videtis quam diverſa hic requirantur remedia. Imperetur maxime quies muſculorum, uti & animi, nam iracundi & furentes ægri non curabuntur; hoc facto optima eſt Miſſio San-

guinis, quæ nimis protracta summam quietem & mortem producere potest; hinc medium tenendo emissa sanguinis parte motus inhiberi potest. Ligatura, optima sunt remedia, quæ multis hominibus tollere sæpe Febrim possunt, nam propter ligaturam dein necessario habebit majus frigus, in venis enim vinculis facile compressis & occlusis aggregatur sanguis, & sanguini per cor fluenti tantum demitur, hinc ligaturæ debent esse leves, ut venas tantum comprimant, & cor liberetur à sanguinis copia, arteriæ non comprimant, ut Chirurgi, quando Venam secant, faciunt, sed in Brachio sub Axillis & ad Inguina leviter ligatura circumducatur, ne arteriæ comprimantur, quod si contingeret, cor non liberaretur, hinc leves sint ligaturæ, ne sanguis grumescat; ligatura ablata, sanguis refluit sed lentior, hinc post ligaturam unius femoris resolutam illud vinculum alteri femori injiciatur, quo satis diu compresso resoluta vincula circumducuntur brachio. Hoc est egregium remedium jam ante circulationem notum, inde ejus ratio intelligitur.

Frigidorum lenta. In summo calore subito applicatis frigidis perit æger, hinc ratio patet, cur potus frigidissimus, qui adeo celebratur, nocet, statim enim dolet caput, quia frigore in stomacho recepto per haustum aquæ vel in pulmonem per aërem frigidum statim contrahuntur omnia vascula, sed capitis vascula contrahi non possunt, hinc ibi extensa sæpe rumpuntur, & oritur Apoplexia, hinc jubeo usque ad genua tantum intrare in aquam tepidam, quæ sponte frigescit, hinc assumantur, quæ laxant & potentia sunt frigida, actu vero calida, hac ratione morbus lethalis fit curabilis.

In castris sæpe milleni sunt ægri, quando enim Dux vult castra movere, per diem totum ita defatigati sunt milites, ut omnes homines & equi habeant sanguinem inflammatorium, si nunc Medicus hoc norit, hos morbos sanabit, si prohibeat frigida, det sola tepida aquosa, si necesse sit, mittatur Sanguis, balnea pedum instituantur, & detur uncia semis Papaveris Albi vel Diacodii, ut quiescant post largum potum aquæ calidæ, & sequenti die optimi erunt.

Diacodiata. Hic optima sunt, quæ si tollerentur, curare nescirem, videatur de hac re *Egregius Daniel Ludovicus in Pharmacopœa moderno seculo applicanda*, qui sincere fassus est solam esse rationem, quod adeo felix in Praxi fuerit, quod primo ejus tempore inciderit *in libellum Sylvii de Opiatis & Diacodiatis*; fateor sæpe damna hic fiunt, at plerumque ab imprudentioribus, sed plurima bona sæpe experta sunt, v. g.

℞.	Vini Rhenani	℥j
	Succi Citri	℥ß
	Aquæ coctæ	℔j
	Opii gr. ß	
	Salis Prunellæ	℈jß
	Syrup. Diacordii	ʒjß

M. F. Potus.

De hoc potu bibat æger, unde æstus tollitur, calor citissime est tollendus, quia maxime est periculosus, & tali cura præscriptâ est curandus, nam si sanguis nimis fiat compactus, tum oritur Pleuritis, Febris Ardentissima & mors; equis enim certatoriis post cursum talis methodus adhibetur, aliter moriuntur & concidunt

 cum

cum refrigeratione, quod vocatur Belgice *bevangen.*

§. 688. Hic casus à modernis Medicis est neglectus, licet frequentissime oriatur, si sanguis sit nimis compactus, vide signa antea data, tum aqua diluens maxima parte est exhausta & sanguis est ponderosior quam naturaliter, si hoc cognitum sit Medico & ille sanguinem non faciat leviorem, calorem non tollet, hinc Pleuritici ad ultimum usque calent, quia licet vasa sint dilatata, minima portio impacta & remanens vasa adhuc atterit, ut nil relinquat, hinc sanguis reddendus est levior, hoc fit 1. si velocitas minuatur, aut vis cordis magis impellat unam partem ad alteram, sed hæc pressio tollitur & dissipabitur hac methodo, unde postea partes non compingentur, sed laxæ cohærebunt (non enim hic de glutinoso loquor) ergo 1. instituatur cura juxta §. 691. si sanguis eo usque fiat compactus, ut flocculentus evadat, tunc per Venæ Sectionem non curari potest; *velocitatem minuere* hoc fit per Venæ Sectionem, si sanguis noster fieret tenuitatis aquæ, tum deduceretur per circulationem ad venas reduces, sed iret per omnia vasa lateralia, & nil rediret in cor, certissimum est, quod ubi velocitas minuatur, causa sit densitas, sed forte non resolvetur, nisi resolvatur extra corpus sed sperandum est intra corpus resolutum iri, ad quod arteriarum actio juvat, hinc adhibeantur, Mel, Sapones Diluentia, & novi nil melius esse quam aquam, nam ab aqua & oleo Terebinthinæ augebitur calor, ergo aqua danda, sed calida, addatur mel cum aceto, qui est optimus Sapo liquefaciens densum sanguinem, si aqua tepida diluatur, & per circula-

tionis

tionis vim sanguinem resolvit; non novi liquidum sanguinem tuto leviorem reddens quam aquam, Alcohol quidem levior est aqua, sed sanguinem coagulat, acetum est aqua ponderosius, oleum adhuc ponderosius, ergo si aqua sanguini misceri posset, omnes morbos Acutos superaret; pauci Practici observarunt, quomodo aqua sanguini misceri posset, ne sub specie urinæ exeat, quod fit, si cum solo Oxymelle diluatur; Mel enim est sapo vegetabilis nativus, resolvens, & oleum aquæ miscibile reddens, additur huic acetum, quod saponem determinat in naturam acidam, sumitur simplex Oxymel ex his binis solis compositus, non Scilliticum, ne sanguis nimis agitetur; nam tunc temporis partes sunt compactæ & cohærentes, quæ sola aqua non dissolvuntur, & à se mutuo separantur, nam sanguis missus in mediis aquis concrescit, sed si in illa aqua Nitrum & Oxymel diluatur, non concrescit, ergo in hoc casu additur Mel, Acetum & Nitrum, quibus sanguis coalescens, si possibile sit, resolvitur. Tum quæ laxant, addenda sunt, nempe potus emollientes, clysmata emollientia, balnea, epithemata, embammata ex iisdem: hæc verò remedia sunt pulveres Diaphoretici, Bezoardici, Mineralia præparata, Sulphurata, Sales Cornu Cervi, & quæ ad sanguinem densatum resolvendum commendant Chemici, quæ nemini conveniunt; Chemici veteribus illudentes jactant suas pulveris vires v. g. *Helmontius* sanguinem Hirci contritum, alii Corallia Rubra, alii rasuram dentis Apri, Eboris, Cornu Cervi, spiritum Theriacalem laudant, hinc plurimi hac methodo mortui sunt; at hæc vera est methodus veterum rationi & experientiæ

consentanea; vidi plurimos periisse à datis pulveribus Comitissæ Kent, Lapide Bezoardico, oculis Cancrorum, Bezoardico Minerali &c. hi non pereunt, quia hi pulveres mali sunt, sed quia nil faciebant ad morbum, hinc recurrimus ad Medicinam *Hippocraticam* curando per aquam; adhibenda sunt fomenta ad Axillas, ad plantas pedum, ad inguina &c. corpus est involvendum fasciis, similibus imbutis, ut spongiis ex his madidis, & clysmata similia sunt injicienda.

§. 689. *Superatur.* Si sola Plethora ut Plethora peccat, curatur Venæ Sectione, tempestate calida, homines Plethorici maxime æstuant, si Febris Ardens adsit, Venæ Sectione curatur, & hac ratione est facillima, nisi negligetur, aut plerumque post triduum nimis sera est Venæ Sectio.

Evacuando, id est, Missione Sanguinis, quæ pro viribus in Cachexia est instituenda; in Plethora vero subita & magna prodest.

Pinguibus. Nam si hic mittatur Sanguis, non educetur oleum; si oleum à Febre fit solutum, tum bilis in sanguine derivata corpus flavescere facit, si Cacochymia fit pinguis à subito excussa & resoluta pinguedine, quæ diu stagnavit, summopere æstuabunt, ut in Melancholia, quoniam pinguedo per motum fit 1. rancida, 2. si motus augeatur, evadat amara & flava, unde tunc habetur pro bile in sanguine, hinc Biliosæ Febres sunt adeo timendæ & hoc idem accidit in corpore, ac butyrum in sartagine, hinc talium hominum urina est flava, fœtida, amarissima.

Aquosa. Totum arcanum in eo consistit, quod tantum aqua sanguini restituatur, quantum

tum calore dissipatum est, qui solam aquam sanguini admiscet, nil agit, hæc enim cito ac ingesta est, per urinam excernitur, hinc convenit addere mel, & ea, quæ sunt vera instrumenta aquam oleo miscibilem reddentia & pinguedinem in nostro corpore perspirabilem facientia, quæ pinguedo soluta aliter sic cum sanguine ingenti copia ad cerebrum deferetur, ut æger Apoplecticus moreretur; hinc si Medicus advocetur ad ægrum Febre Ardentissima laborantem, & ad aliquem, cui pinguedo sanguini est mista, prævideat ad minima vasa futuras Inflammationes similes ac ab oleosis Chirurgorum emplastris cuti applicatis; ergo Venæ Sectio est instituenda ad ingentem satis copiam, cui sanguini sæpe innatat pinguedo, tum adhibenda sunt purgantia macilenta dicta, ut Crystalli Tartari cum potu acido, sic purganda & potum acido saponaceo corrigendo est pergendum, ut externe Chirurgus emplastra gummosa aceto dissolvunt, sic hic Oxymelle aut saccharis, syrupo Violarum ad uncias tres intra viginti quatuor horas addito succo Limoniorum, Citri recenter expresso, aut addantur succi Horæi aut vitelli ovorum maxime commodi ad pinguedinem aquæ miscibilem reddendam, si illis ægris detur movens statim moriuntur, vel plerumque utcunque Plethorici fiunt.

Saccharina. Multi celebres Medici, ut *Duretus*, *Ballonius*, *Hollerius* & *Forestus* hos ægros curarunt per syrupos Violarum, Cichorei, Rhei, novi *Drelincurtium* ex instituto *Riverii* & *Ballonii* dedisse libram semis syrupi Violarum uno die, hinc nil est, quod pinguedinem magis miscibilem reddit quam Saccharum, si nunc Saccharum non sit calidum & dissolvat & oleum

aquæ miſcibile reddat, cur non admiſcebo ex ſyrupo de acidis Citri, de Ribeſiis, de Baccis Sambuci, de Violis, de Cichoreo cum Rheo, de Cichoreo Simplici, de Fumaria, de Rubo Idæo, de Corallis, de Jujubis, hæc magna copia ingeſta incredibiliter ſolvunt, novi Medicos dicere dulcia in bilem converti, ſed neſcio, quo experimento hoc probant, non enim admitto virtutes haud cognitas, ſed omne oleum lentum & reſinoſum diſſolvit & attenuat Saccharum, ubi vero humores noſtri vel nimis ſoluti vel vaſa nimis debilia, ibi Saccharum minus convenit, hinc in Scorbuto & Rachitide nocet, aliter enim ſemper optimum eſt, ſi vero aliquis de Saccharo abhorreat, ei ſyrupum de Acetoſitate Citri, ſyrupum de Violis propinare poteſt Medicus, nam hos utpote acidos non abhorrent. Evacuantia ſunt adhibenda, quæ oleoſitatem tollunt, ut cryſtalli Tartari, cremor Tartari, Tartarus ipſe, Nitrum purum, Nitrum fuſione depuratum, Sal Prunellæ, Sal Stibiatum, Tamarindi cum magna aquæ copia cocti & epoti, donec ter, quatuor vel quinquies nuchthemerum ſpatio alvum ſolvat, hæc ſunt medicamenta, quorum uſu morbis calidis in obeſis curari poſſunt.

Mellita. Hæc ſe in bilem non vertunt, ut vulgus credit, quia ſunt dulcia, ſed è contra ſanguinem ſolvunt, hinc Oxymel *Hippocratis* ſeu Oxycraton μετάμελιτος optime convenit.

Vitelli. Nam vitellus reddit oleum aquæ miſcibile hinc vitelli ovorum conquaſſati cum optimo melle proſunt ad detergendum, ſi illud oleum Amygdalarum Dulcium miſceri velimus aquæ, tum cum ovorum vitellis illud eſt concutiendum.

§. 690. Cura ex paragrapho 125. eſt petenda.

§. 691. Si vaſa tantum ſint nimis ſtricta, ut Hiſpanis, Italis aliiſque ſub æſtuante cælo viventibus, Venæ Sectio eſt mala, ſed vaſa ſunt amplianda, hinc profunt potus laxantes, clyſmata laxantia, & balnea perpetua, iiſque cum fiant debiles, tuncque frigidi fiunt; hæc fuit cauſa, quare *Helmontius* contra Humoriſtas ſcripſerit, quia Bruxellis *Fonſeca* Medicus Archiducis ipſi in Febre Ardente tot Venæ Sectiones præſcripſit, unde mortuus eſt æger, quia ſanguinis impetus inde non diminuebatur, ſed ſi dicta methodo laxaſſet corpus procul dubio æger fuiſſet curatus, vide caput *de Stricto* §. citato.

§. 692. Vide curam in §. 54.

§. 693. Eſt unum axioma, quomodo calor curari poſſit, pone corpus habere alcalinam acrimoniam ſtimulantem cum ſanguine denſo, vaſa contracta & maſſæ velocitatem, hæc mala quomodo per ſigna apparent, dictum eſt, ſed pone combinari, quid faciendum ſit ratione denſi & quæ ſint adhibenda dixi; quatenus vaſa ſunt laxanda, 1. mittendus eſt Sanguis, acre demulcendum compoſitis demulcentibus & corpus laxantibus, adhibenda ſunt quatuor remedia contra quatuor cauſas ad effectum ex quatuor cauſis natum, tunc ſimul utraque cura eſt adhibenda, ſi tres ſimul ſint, tum etiam 1. danda ſunt remedia contra velocitatem, 2. contra ſanguinis ſoliditatem, 3. contra vaſorum conſtrictionem.

§. 694. Sequentia reſolvuntur ex hac doctrina.

Cur Febris calidiſſima ſit Acuta? Si æger ſit val-

de calens, & ille calor aliquamdiu perseverat; tum certi sumus illum calorem non pendere à Febre Intermittente, sed à Febre Acuta, scilicet tali, quæ cum periculo & subito decurrit, calidissima Febris designat attritum validissimum ad vascula, qualem cerebri, cerebelli vascula diu sustinere nequeunt, hinc portenditur acuties vel celeritas.

Celeris? Nil clarius quam si partes violentissime inter se atterantur, & nil clarius docet partes atteri, quam si maximæ caleant.

Putrida? Putredo Febris ita vocatur, in qua humores vi Febris incipiunt degenerare à salubri constitutione, non enim illa Febris tantum dicitur Putrida, quæ plane putredinem infert: magnus æstus facit magnum attritum, hic attritus magnus maximam mutationem, exhalationem salium, subtilisationem oleosorum & aquosi discutionem; omnis Febris, quo est calidior, eo est putridior, id est, eo facilius efficit sales volatiles fieri, quod est putredinem creare.

Pestifera? Si calor sit maximus, æque noxius est ac Febris, ac Pestis, in Peste talis est corruptio humorum vitalium, ut vita subsistere nequeat, si calor sit maximus, tenuissimæ pulmonis fibrillæ ut & cerebri & cerebelli destruuntur, hæc est natura Pestis; hinc raro ibi causa est manifesta ob teneritudinem vasorum cerebri, quæ tunc destruuntur; calor internus æque facit ac externus; hinc in summo calore Febris vocatur Pestilentialis.

Cur noceant? Hæc sunt, quæ *Sydenham* maxime inculcavit; multi enim non nocere putant, sed hi contra omnem rationem & experientiam agunt.

Cur

Cur Lectis? Si lectus caleat, illo calore sanguis plus movetur quam aëre frigidiusculo, & calor situ, quem corpus habet in lecto, ad caput facile dirigitur, hinc citissime delirant, qui jacent in lecto calido, nisi jaceant in corio Turcico vel Russico, quod corpus non calefacit sed refrigerat, at sedentibus & lecto surgentibus sistitur aliquatenus Delirium. Amstelodami ubi depuratur Saccharum, camera habet calorem similem calori sanguinis humani, unde homines aliquamdiu persistere nequeunt, quin cadant in animi Deliquium, nam pulmo aërem æque calidum ac est noster sanguis pati non potest.

Cur aëris clausi? Pessimum est ægrum includere lecto cortinis obturato, ut æger in eadem Atmosphæra semper hæreat, nam tum cogitur aërem rarefactum semper haurire, & propria effluvia & contagia resorbere, quæ tam mala, ut sanus vix feret, multo minus æger.

Cur victus? Si quis maxime calefcat, non dandus est cibus, vel potus calorem augens, ut sunt omnia calida Aromatica, Spirituosa, & Oleosa, sed danda sunt refrigerantia, nitrosa, aquosa, farinosa, subacida; omnia calefacientia quæ corpori ingesta abeunt in oleosum alcalinum, hinc carnes pisceſque maxime sunt vitandi.

Medicamentorum? Inde puto plus mori in Febribus a Sudoriferis quam servari.

Cur æstus malus? Multi sunt ægri, qui si manu attingantur, vix calorem habent, nisi calor maximus circa Cor & Hypochondria, hinc *Hippocrates* non adeo notat vibrationes arteriarum, sed semper observat æstum in Hypochon-

chondriis & Præcordiis, nam si ægri dicant se in his locis comburi, tunc plerumque hoc morbo moriuntur, quia tunc ille calor in pulmones & cerebrum se diffundit, & tenerrima vascula Pulmonis, Lienis, Hepatis & Pancreatis destruuntur; hinc calentibus in his locis bona non sunt prædicenda, si autem aliis in locis, & hic loci sit libertas, non tantum adest periculum.

§. 695. *Quin siccitatis.* Quæritur, quid in ægro calente sit siccitas? nempe illis, quibus sunt oculi pulverulenti, ut dixit *Hippocrates*, id est, quibus non lachrymæ, sed arenosi quasi pulvisculi; talis plerumque moritur, si nares, os, lingua, palatum, fauces siccissimæ sunt, si vox sit clangosa cum respiratione difficili, indicatur pulmonem esse arefactum, si per sedes nil exeat liquidi, indicat totam viam ventriculi & intestinorum esse arefactam, pauca urina docet siccitatem in sanguine; siccitas semper comitatur calorem; si siccitas sit maxima, designat ex Lymphaticis nil emitti; & nil ab iis accipi, hinc sanguis parte liquidiori orbatur, quid hoc efficiet? hinc scitur cerebrum deficere à repletione, vel obstructione hic requisita, hinc cito tales ægri moriuntur, bene monente *Baglivio*.

Potu. Simulac recens assumpta est aqua, transit in cor dextrum, tunc statim vadit ad renes & transpirat extra cutim, verum si in vaporis balneo teneatur æger, tunc omnes venæ humectantur, cum prius aqua epota iverit in venas, quæ sunt circa cor; paucis hic describuntur, quæ in *Materia Medica* & alibi latius data sunt; Aqua est basis, sed sola non ita diluit, hinc additur mel, & quia fibræ sunt

strictæ

strictæ, laxantia adhibenda sunt, sales fiunt in hoc casu volatiles & alcalescentes, hinc addantur subacida. Hæc est methodus *Hippocratica.* Non assumantur violenta Chemicorum medicamenta, ut Diascordium, Alexipharmaca, Theriacalia Philonis, quod elegans observatio confirmat, quod à viginti abhinc annis, postquam reducta sit à pluribus Medicis methodus *Hippocratica* in nostra Batavia, non tam frequentes fuerunt Febres Ardentes. Medici utebantur ante viginti annos & ultra Lapidibus Bezoardicis, Lapide Pedro del Porco, pulveribus Diaphoreticis, Bezoardico Minerali, & similibus, spernebant aquea, omnia clysmata, fomenta, balnea, & omnia *Galenica*, Julapia rejecta erant à Medicis, ut videre est ex *Helmontii*, *Bontekoe* & *Craanen* scriptis, qui omnes auctores sic procedebant, verum jam à plurimis annis meliore methodo ponuntur post Aures Axillas, Poplites, Inguina; talia laxantia, ex aqua Hordei cum pauxillo Aceti Rosacei, quibus madefactæ linteolæ illis locis imponuntur, quæ aquosa maxime resorbentur, tum mane & vesperi balneum est adhibendum ex decoctis seminibus Lini, foliis Malvæ, Althææ, cui admisceatur parum Nitri, vel Aceti Sambucini, Calendulæ; hæreat æger pedibus unam horam & demidiam in hoc balneo, tum fomenta sunt continuanda, ut aqua calida, cui etiam fere eadem medicamenta admista sunt, totum enim corpus juxta *Hippocratem* est penetrabile, & aqua per Lymphatica se sanguini insinuat, unde fistulæ & sinus laxantur, potus optimi sunt ex Avena, quia blandissime acescit & levissime fertur, in aqua decoquitur, ita ut fiat decoctum non sero spissius, additur Nitrum ad dragmam

mam unam, spiritus Vitrioli ad guttas decem, Oxymel simplex ad uncias decem, si æger respuat, quia multi mel ferre non possunt, tum substituatur aliquando Rob Sambuci aut conserva Rosarum, gelatina Cerasorum aut Morellorum, hisce maxime levatur æger, ac plerumque servatur; *Hippocrates* ultimo monet, in Acutis mane & vesperi injicienda esse clysmata.

Mellitis. Hac ratione ægros in Febre Epidemica curavi, deinde huc spectant fructus Horæi maturissimi, si enim homini fortissimo detur succus Mororum maturorum, sic solvetur ejus sanguis, ut in Lue Venerea à Mercurio.



Delirium Febrile.

§. 696. *Sequente.* In omni Delirio sunt ideæ, quas delirans æque intelligit ac nos; sed si respondeat externis caulis, non præsentibus quasi hæ causæ essent præsentes, tum vocamus illud inordinate cogitare ideam, idem fit in nobis interna idea non præsente externo, ut nocte, sed illud vocamus delirare ab interna dispositione, estque hic primus gradus Delirii, sed sæpe hoc superatur à mente, si se recolligant & moniti agnoscant errorem. At majorem gradum Delirii ægri non animadvertunt, quod cognoscitur, si ægri acerrime loquantur de variis rebus, carmina melius & melius facientes mira fingunt, hic est secundus Deliri gradus; tertio sequitur judicium, multi sæpe delirant, sed non judicant, ut vidi ægrum putantem, quod omnes, qui ad ipsum accederent, essent gigantes,

gigantes, ipse tunc aliquatenus agnoscens errorem quærebatur adstantibus nil sibi molestius, quam quod illi viderentur sibi gigantes, cum sciat eos non esse. Sed si adsint judicium & ratiocinium, gravius est malum, & major gradus. Quartus est gradus, si affectus animi adsint, nempe si ament, aut oderint; nos à somno exporrecti, cognoscimus amasse vel odisse varia, si ægri ita delirent, ut cum alicujus persuasione rem potando & affectu magno aliquid sumant, tum major est gradus; quintus gradus est, si adsit magnus motus, ut nempe latrones adesse se imaginantes, & hosce metuentes in pedes se conjiciant; hoc est quintus gradus, qui est summus omnium.

§. 697. Omnis Medicina docet, quod homo sanguine, cerebro & nervis bene constitutis bene ratiocinari dicitur, ergo omnis diversa actio sequens habet cerebri partem perverse dispositam, v. g. si quis cantet, nil ibi mutatur, quam à sano concentus in organo auditus sui nervo Auditorio, dico me audire, jam si nervus Auditorius ad cerebrum depravatus vel abscissus sit, an audeam æque bene, quam dum bonus erat nervus, tum enim illæ fibræ & nervi Auditorii non tantum externe tremunt, sed interne audio, verum non possum mihi persuadere auditus hanc perceptionem ab externa causa esse ortam, quod si crederem, delirarem, dum referrem ad causam externam, ad quam non pertinet; ergo *Delirium* est *nihil aliud, quam partis medullosæ cerebri perversa dispositio*; si à causa externa non præsente percipiatur, eodem modo delirabit, ut cæcus, qui omnia ante visa bene videt, quia nunc in se videt, sed si nunquam visa putet se videre, errat; hinc

raro

raro nova sunt Deliria, sed rerum, quæ aliquando factæ sunt, & quarum jam habetur quædam perceptio, nunc fit recordatio. Talis perversæ medullæ dispositio oriri potest 1. ab Obstructione, tumque idem fit, uti in insomniis, si objecta, quæ visa præponuntur, & series cogitationum, quas ante stultas cognovimus veniunt. 2. Si affluxus per cor & cerebrum depravetur, vel tollatur, ut si cerebrum comprimatur, qua pressione fluxus impeditur, non videbit, & putabit esse noctem, causam cæcitatis ignorans, ita ut si quis ei diceret, est dies, rideret persuasum habens esse noctem 3. Est velocitas, nam si homo maxime cucurrerit, & postea in quiete dormierit, tandem evigilans omnia fere objectorum genera videbit, idem accidit, si vinum nimis magna copia assumpserit æger. 4. Est stagnatio. Hæ sunt causæ primariæ, licet sint aliæ maxime indagandæ, ut iis petatur curatio, causam proximam quidem facile attingimus, sed raro remotam, cum maxime varia sit. In Catharro homo in insomniis delirat ob impedimentum, quod externæ Carotides patiuntur in membrana Schneideriana, sæpe Delirium oriri potest ab Inflammatione vel à Miasmate, si à Miasmate accidat hoc ablato aufertur Delirium.

§. 698. Unum hoc præmittendum antequam ad curationem aggredior, nempe quod rarissime curentur Deliria in tertio gradu, id est, si cum affectibus animi excitentur, id est, si *fuerit delirium ferox*, id est, *furor*, hinc non differendum est eo usque, neque enim donec pervenerit ad secundum gradum, id est, tum adeo fortiter mutatur Sensorium Communne, ut nulla ratio ab hoc averti possit, verum si æger incipiat delirare,

rare, signa adsunt futuri majoris Delirii, hinc jam curandus est æger, ut *Hippocrates* nos ubique monere conatur, cum dicit, *ab homine sedato ferox responsum, Delirium instare notat.* Porro, inquit *Hippocrates*, si æger petat matulam & præbes, & postea dicat, non petiveram, porrigens eum alloquitur; imo petieras, æger respondit nesciebam, jam cura, nam brevi fortissime delirabit, sic *Galenus* de se ipso scribit, cum Romæ decumberem, Medici advocati super me consulebant, inter se dicentes videtisne *Galenum* nostrum esse deliraturum floccos enim ex stramine capit, hoc ille audiens illos alloquebatur; audio vos dicere me colligere flocculos, cave, ne in Phrenitidem incidam, nam ego hoc insciens feci.

Varietate causarum. Sic potest fieri Delirium à defectu ut in Lethargo, quando Febris desinit, in somnolentia perpetuo delirabit æger & deficiente calore, aliquando à nimia concussione corticis cerebri concutientis ad medullam, aliquando ex nimio raptu spirituum, uti patet in hominibus, qui Spirituosa biberunt, hinc in omni Delirio causa est investiganda.

Pediluvia. Si æger Febre Acuta laboret, tum prævidendum est calorem præsentem fecisse vel facturam Delirium, hinc æger bis vel ter de die è lecto surgat, & in aquam calidam pedes imponat, hacque ratione centenos homines, qui delirare incipiebant, curavi, nam hoc pacto partibus inferioribus laxatis venæ redduntur patulæ & capaces minime sanguinem urgentes, ut hoc modo nimia pressio à caoite derivetur, hoc fit in ipso Lethargo, in quo tamen hoc non metuitur, sed tantum ibi crassa materies peccat, quæ impingens & vasa minime permeare non

non potens parit Obstructionem sæpe irresolubilem; post pediluvium applicari solent vivi pisces aperti vel columbæ, hæc pediluvia nonnulli Practici specificorum titulo extollunt, sed potius eligenda sunt *Epispastica* imo ad Inguina & Nucham, ut spiritus ex capite revocentur. Nobile & divinum certe remedium, quo tot miseros curavi ægros, & si Medici hanc methodum non negligerent, plures certe emergerent, qui jam pereunt; Epispastica sunt fermentum panis acidi cum pauxillo syrupi & salis; hæc applicata statim tumorem & ruborem ibi generant, hinc etiam tum versus pedes major sanguinis derivatio atque humorum erit. Sequentia conducunt in corporibus Febre correptis ætatis flore, nempe si juvenes Plethorici Variolis laborent, tum pedes, Tarsum, Metatarsum & partem inferiorem crurum obvolvo pannis in lacte dulci madefactis vel cataplasmate ex Farina, vel ex decocto emollienti, hæc eo usque applico, donec Epidermis modo desquammetur; parte jam semi gangrænosa reddita, quod nihili facio, modo huc sanguinem determinare possum, quod facio in omnibus morbis, ubi Delirium prævideo, ut in Variolis Confluentibus, & in his nunquam me fallit, aliter semper illi ægri delirabunt, hinc si juvenem viginti vel plurium annorum tractem, qui Variolas accepturus est Confluentes, ad horæ spatium pediluvia præscribo, & si egrediatur ex hoc balneo, quamvis prima dies fuerit (nam eo res melius succedit) obvolvo pedes simili Epispastico, quod mihi valde proderit in toto morbi decursu.

Poplitum. Tum vasa hic nudissime decurrentia magnum impetum sustinere & eum à superiori

rioribus avertere possunt, vel pro Epispastico sumi potest fermentum aëre acescens cum Cæpis sub cineribus assatis vel pauxillo Raphani Rustici rasi, imo omnes herbæ acres sale & aceto mistæ ad pedis & poplitis cava applicari possunt, ut cutis rubificatio levior fiat, & sic deducitur per derivantia ad loca minus resistentia & innoxia, hinc omnes herbæ semi vesicatoriæ admisceri possunt.

Frictiones. Ut sanguis huc versus paulo plus trahatur, nam qui Febribus Acutis laborant & delirare incipiunt, si minimum in pedibus accipiant dolorem, plerumque liberantur, quia major sanguinis copia huc versus fluit.

Clysmata. Si vester patiens Febri Continua laboret, & calor & siccitas prædominentur cum adjuncto Delirio, credite mihi, nunquam satis corpus labefactare poteritis, hinc tum modo est in his continuandum usque ad Febris diminutionem, nam aliter his symptomatibus cessantibus, si in eadem cura pergeret Medicus, ægrum in morbum Chronicum conjiceret, hinc injiciatur omni bihorio aqua calida ad uncias octo per clysma, si morbus urgeat, nam in hoc casu intestina nimis flaccida reddere non possunt, hinc *Hippocrates* dicit levis spontanea Diarrhœa superveniens Phrenitidi, Phrenitidem solvis, si cerebrum nondum infestaverit, aliter non juvat; attamen tuto adhibetur, vel clysma injiciatur ex aqua melle, Nitro vel sero lactis, Nitro & sale communi vel ex emollientibus herbis, hocque modo omne periculum abigitur.

Victus. Diæta nimis stricta non est præscribenda nempe ad inediam usque, sed sumat æger aquam cum farinosis & subacidulis, hacque ratione temperatur, minuitur & simul demul-

mulcetur motus sanguinis; *Hippocrates* ut colligere potui, nil nisi in Acutis morbis dabat, quam Hordeum coctum vel Oryzam, vel Triticum tostum, ut hodie Coffe Asiaticorum præparatur, vide ejus Tractatum de *Pleuritide* in eo loco, ubi de Sorbilibus agit, ibi hæcce taninfundebat in aquam ebullientem, ut cum melle potarent, vel ex Hordeo crudo cocto cum aqua usque ad ejus crepaturam vel Hordeum decorticatum coctum ad crassitiem seri vel cremoris lactis vel pulticulæ, sic horum vis minui & augeri potest.

Potus aquosus farinosus, decoctum v. g. foliorum vel florum vel radicum Althææ, Sambuci, Papaveris Hortensis, vel infusum florum Papaveris Rhæados, decoctum radicum Tragopogonis vel radicum Sisarum Germanorum vel Scorzoneræ & talia similia lenia insipida optima sunt. Oxymel seu acetum cum aqua coctum est optimum; hæc omnia instar Embroches seu fomenti applicata sunt summi usus

Anodyna. Quoniam hæc agunt in spiritus nervosos, optime adhibentur syrupi Pæoniæ Maris, de Nymphæa, de Acetositate Citri, Papaveris Rhæados, de Papavere Albo Hortensi, emulsiones ex Avena, Hordeo, Amygdalis, Seminibus Papaveris Albi, Seminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus, nunquam vero dandum est Opium in Delirio, nisi sit à violento motu, semper quidem sedat Delirium, sed stuporem ad mortem usque inducit, hinc danda sunt 1. laxantia nervorum tensionem, 2. vasorum infarctum deobstruentia, 3. diluentia concretum, omnia denique, quæ stimulum enervant, & humores coagulatos solvunt, ut

ut ſic deriventur ad loca minus noxia, nam omnes venæ in Jugulares ſe evacuantes laxantur, Carotis igitur externa plus ſanguinis capit, quia minus reſiſtit, & idem eſt ac ſi ſanguis extraheretur ex Carotidibus internis, id eſt, ex ipſo cerebro v. g. ſumatur Oxycratum ex una parte aceti & tribus partibus aquæ, huic infundantur vel incoquantur flores Papaveris Albi, hoc applicetur tepide cum pannis laneis circumquaque collum vel in mantilia vel ſimilibus, hacque ratione laxantur & liberantur interna capitis vaſa, Anodyna, quæ interne adhibentur, ſint ſyrupi de Papaveris Erratici vel Rhaeados, qui in hiſce caſibus mirificum producunt effectum, ita ut *Williſius* hunc habuerit pro remedio Antiphlogiſtico vel adhibeatur ſequens.

℞. Aquæ florum Papaveris
Rhaeados ℥xij
Syr. florum Tunicæ ℨj
Spiritus Sulphuris per
campanam ad gratam
aciditatem.
M.

Hoc medicamentum optime impetum ſedat, agit vi Narcotica, & non nimis ſtupefacit.

Cruoris emiſſio. Juvat in pede venæ ſectio, ut à cerebro preſſio tollatur, & illud laxetur, hinc ut materia tranſmittatur Saphena vel Poplitea vena ſecta ſemper juvat, tum poſtea non fortiter delirant ægri, niſi ſit à defectu ſpirituum, nam ſæpe ægri ante mortem delirant, quia ſpiritus tendendis nervis non ſufficiunt.

Hæmorrhoidum. Hoc eſt ſummum arcanum; qui hoc novit, eſt feliciſſimus; decurſus Carotidis & Hæmorroïdalis, quamvis multum à ſe mutuo diſtent, tamen ſunt fiſtulæ oppoſitiſſimæ ex eadem fonte, ſi quis deliret ex morbo Acuto, & natura faciat tumorem varicoſum ad podicem, tum delirium ſtatim ceſſat, ſi conqueratur æger de dolore ad has partes, & ſi ſanguis exeat, incantamento quaſi ſanatus eſt æger; hinc ad Hæmorrhoïdales venas ad fluorem reducendas injicienda ſunt clyſmata omnibus tribus vel quatuor horis ex ſolo melle cum Nitro & aqua; poſt ſuppoſitorium ex melle Aloë & pauxillo Salis Gemmæ Recto inteſtino intrudatur, quod per tres horas ibi relictum dolorem creat, & ſtatim impetus minuetur & ſedabitur, tum ſupponatur æger ſupra aquæ calidæ in lagena contentæ vaporem, ut ille vapor tantummodo afficiat inteſtinum Rectum, & ſic emolliat venas Hæmorrhoïdales ſub ani ſphinctere poſitas, poſt horam, ubi diſceſſerit ab hoc vapore, cataplaſma emolliens ad anum applicatur ex ſolis foliis Malvæ, hoc applicatum maneat mane & veſperi, tunc foliis ficuum fricentur prominentes noduli, & ſic pulcherrime ſolvuntur, nam hæc folia immatura aſpera & ſcabra ſunt, vel excitari poſſunt Hæmorrhoïdes immiſſo in anum globo ex Aloë &c. Si hæc methodus non proſit, nunquam me ſequens deſtituit, partes has inferiores fovendas curavi vapore aquæ tepidæ, donec venæ Hæmorroïdales protuberent, tunc Hirudines vel Sanguiſugas ſaniſſimas poſui in aqua frigida & bene exprimebam eas, ut eſſent ſiticuloſæ & maxime famelicæ, partibus his, quibus applicabuntur, bene mundatis lacte dul-

ci

ci recenti, applicentur (nam nisi partes accurate depuratæ fuerint, non mordent) tum ponantur perfecte supra nodos varicosos, si jam hæreant, ut non amplius sugant, imponatur earum corpori paululum salis, ut decidant, & sic locus relinquitur apertus, postquam Sanguisugæ delapsæ fuerunt, tunc æger ponatur supra aquæ calidæ in quadam cistella inclusæ vaporem, donec sanguis stillatim decidat, & omnis impetus â capite avertatur; quando sufficiens copia sanguinis exivit, tum pannus frigidus pauxillo salis applicari potest; si nimium sanguis efflueret, quod raro fit, imponatur tantum spiritus vini cum Mastiche vel saccharum Saturni cum aceto vel aqua Aluminosa, hac ratione stillicidium vel fluxus ille cessat, & æger à suo delirio liberatur.

Menstruorum. Si quædam mulier vel puella febre Continua vel delirio laboret, & præsertim tempus menstruorum præterierit, tum in pede aquæ tepidæ immerso instituatur Venæ sectio, postea sedeat supra vaporem aquæ calidæ, ut vasa inferiora & abdominalia abluantur, unde menstruis prodeuntibus sanantur. Sed mirabimini me non uti summo illo pacatore Opio, quod Medici valde adhibent, nam inde magis insaniunt ægri, quia motum auget ergo furorem, unde fit narcosis & ægri ad mortem usque insanientes moriuntur, ut quondam vidi in carissimis mihi amicis, quorum pia memoria non succurrit nisi cum nova animi perturbatione, hinc *Sydenham* prudenter monet in declinatione febrium Continuarum cum delirio, Opium datum conducit, verum in ἀκμῇ vel adscensu ante quatuordecim dies, nunquam nisi male succedit, hinc in Phreniti-

O 2 de

de maxime peccatur Opium dando, ſed ad hoc delirium febrile curandum interdum ſummo cum ſucceſſu adhibita fuit Muſica, ut obſervationes teſtantur inſtituto concentu harmonico iterum in ſe rediiſſe, ſi malum non hæſerit ad illam partem, quo aures proſpiciunt ſuis nervis. In menſtruis obſtructis, ſi non ſit mulier puerpera, tum adhibenda ſunt emollientia fomenta, ſed ſi ſit puerpera & ſubſiſtant lochia, hoc eſt ſignum uterum eſſe inflammatum & intra triduum ad ſummum ægram morituram, *teſte Sydenhamo*, tunc non uti debemus prædictis fomentis, quæ hic non conveniunt, sed clyſmata lenia & fomenta leniſſima ſunt adhibenda.



Coma Febrile.

§ 699. [Nonnulli Medici tractant majora ſymptomata febrium ut morbum ſingularem, ſed quia febrim plerumqne pro cauſa habent, eamque concomitantur, & ea ſublata tollantur, ſpecie ſymptomatum tractamus. Coma eſt vox derivata à *κοιμάω facio dormire* unde *κοίμημα* vel *κοίμα* aut etiam alia dialectus à *κωμα ſomnus*, aut Coma eſt aſſidua ſomnolentia in febre ſeu inclinatio ingens ac perpetua proclivitas in ſomnum. Coma Græcis eſt duplex, Coma Comatodes ſeu ſomnolentum, vel Coma Agrypnodes ſeu vigil. *Coma ſomnolentum eſt perpetua ingens dormitio, unde æger vix excitari poteſt, vel excitatus ſtatim iterum labitur in ſomnum ingentem & ſimul perpetuo nictat. Coma vigil-*

eſt

est ingens inclinatio in somnum, ita ut non sequatur somnus, & si dormire incipiat, statim iterum evigilet, vel excitetur per terribilia phantasmata.

Exercitatio. Somnus est ille cerebri status, in quo spiritus ad cerebrum per nervos non facile fluere & refluere possunt, ergo si in ægroto adveniat ingens somnolentia, causa semper erit in cerebro, qui tantum est impeditus appulsus, transitus & reditus spirituum, hæ causæ possunt esse infinitæ. Si enim humores non satis ad cerebrum appellantur, animal fit torpidum somnolentum v. g. si duæ arteriæ Carotides & una Cervicalis ligentur, somno corripitur animal, si dum Carotides tantum, primo animal vacillat & postea dormit licet per Cervicales ingeratur sanguis.

Cerebrum. Si comprimatur cerebrum, fit somnus; v. g. si Dura vel Pia Mater inflammetur, membranæ prius satis tenues fieri possunt semi digitum crassæ, hinc cortex cerebri comprimitur, cum cranium non cedat, sic ab inflammatione impeditur secretio. Si humores per corticem cerebri non libere pervadant, licet medullæ origo se bene habeat, dormiet æger, si tota Pia Meninx est ita repleta, ut humores per cerebri corticem non mittere possit, unde cortex nimis comprimitur, & fit somnolentia, in toto cortice cerebri non est unum vas sanguiferum, sed in emissariis Piæ Matris, in medulla sanguinolenta vasa reperta, sed cortex semper erat cineritius, verum Pia Mater in omnibus involucris & emissariis erit repletissima, si ergo vasa sanguinea ita turgeant, tum corticem premere possunt, ut humores non admittat, si ergo hæc vasa vel à repletio-

ne vel rarefactione turgida cerebrum comprimant, unde circulo impedito oritur somnolentia, ex his explicari potest, quare cito deambulantes & aquis stillatitiis utentes somnolenti fiant, scilicet à rarefactione corticis cerebri.

In nervos. Scilicet si nervorum origines ita sint compressæ, ut spiritus transire nequeant, nervi fere omnes ex basi cerebri emergent, & Dura Mater nullibi sanguine plenior est, quam in basi cranii, hinc si ibi otiatur inflammatio, premuntur nervi & licet omnia reliqua sint bona, fit impedimentum.

Denegato. Hoc non clare domonstrare possumus, sed cum omnes liquores in aliena vasa delati fiant immeabiles, patet, quod si in ultimo fine corticis humores crassi vel in initio medullæ sint, oriatur somnolentia, inde postea fit mors inevitabilis. Si spiritus per totam cerebri molem non transeant, oritur somnus, medulla oblongata (ut clare vidistis) obvolvitur membrana, quæ tota est sanguinolenta, si nunc in vasis hujus medullæ inflammatio oriatur, hæc tumens corpus contentum medullosum comprimere potest, licet cerebri corpus bonum sit, & medulla cerebri bona, tamen somnus oriri potest, quoniam pars, ubi est collectio fibrarum medullosarum, comprimitur, hinc omnis nervus ex medulla spinali & oblongata; hæc sub cerebro ambitur membrana, si hæc vasa sanguinea expandantur, tum impeditur influxus in nervos motorios & sentientes, sed omnis ille status, ubi talis conditio ad est, est somnolentia, nil magis Medico considerandum, quam ut in omni morbo se ipsum examinans respondere possit, quæ Physica fit con-

conditio, & in qua parte morbus lateat. Si nervi in intermedio ad cerebrum omnia clauderent, nullus fieret sensus, & si nulla sint objecta sensibus, necessario obrepit somnus, ergo si sensus cessent, somnolenti necesse fiunt ægri, membranæ vero seu vaginæ nervorum, quos illæ excipiunt, ubi exeunt ex suis foraminibus sunt vasculosæ, quæ si inflammentur, nervi inepti fiunt ad fluxum & refluxum spirituum. Si omnia æquabiliter obstructa sint, fit Coma Comatodes, si una pars obstructa, altera aperta sit, & sanguis per alteram partem cerebri tensam viam facere nequeat, tum æger domire incipit, & utraque cerebri pars collabi debet, at sanguis à febri agitatur, hinc majori vi in totam obstructam partem ruit, & eam, quæ minime resistit, penetrat & operit, unde ægri evigilant cum terrore, quod est Coma Agrypnodes.

§ 700. *Evacuatione.* Quatenus tantum humorum eduxerunt, ut humores se vix premant, tum facilius transeunt per cerebellum, quam per cerebrum, vita manet, animalitas desinit, hoc est, oritur somnus, jactura facit somnum, ergo causa est eadem scilicet, quæ facit; ut non fluant spiritus, hæ vero causæ inter se oppositæ sunt ut evacuatio & repletio.

Repletiones producunt somnolentiam, qua omnia extenduntur vasa, quæ cranium circumambiunt & nervi subjacent cerebro, hinc cibo potuque plus solito repleti statim torpescunt, ratio, quia omnia vasa se extendunt, ut non tantum vasa cerebri sed cerebrum ipsum & nervos subjectos comprimant.

Triplex potest esse sanguinis inspissatio primo glutinosa, hinc senibus frigidis febricitan-

tibus, quia materia glutinosa ad cerebrum delata, & per febrim mota materiam mucosam & lentam solvit, hæc fluens vascula minima cerebri obstruit, unde Coma senile & Lethargus fit, hoc est, somnolentia aucta sensim ad mortem usque, quod corporibus effætis sæpe accidere videmus. Secundo pinguis, multis pinguibus plurima abundat pinguedo. Caro enim non augetur nec musculi nec ossa; febre accensa oleum incipit solvi, eliquari, in vasa ingredi, ad cerebrum appelli, hinc ubi venit ad capillaria cerebri ea obstipat & somnum facit sæpe in obesis lethalem, *observante Hippocrate*, si vero etiam adsit inflammatio in cerebro, tum fit Coma Vigil, Tertio inflammatoriæ, in inflammatione, cum motus sit magnus, fluidissima dissipantur, crassa ad se mutuo compinguntur, tunc vocatur diathesis inflammatoria & flocculi sanguinis compacti in sanguine Pleuriticorum visibles sunt, unde statim oritur inflammatio cerebri, coma & tandem mors.

Omnes causæ. Ut si æger habuerit membranam nervi Optici inflammatam privatus erit visu; hinc producunt sequentia, ut cranii exostoses, membranarum inflammationes, obstipationes, polyposæ concretiones, omnes extravasationes in ventriculo cerebri, hæ sunt omnes causæ, quare cerebrum comprimi possit; Physiologia cerebri explicavit, debuisse esse cavum, ut omnes nervos undique dimitteret, hinc cerebrum dupliciter comprimi potest vel à parte convexa ad interiora, vel à concava ad exteriora, utroque modo fit somnolentia.

Nervos. Invenitur apud *Wepferum in libro de*

de Apoplexia exemplum hominis obesi, qui ilico in Apoplexiam cecidit, vomuit, & post mortem, in aperto cranio inventum est vas sanguineum ruptum, & sanguis effusus intra cerebrum, Fornicem accumbentem corpori Calloso, unde corpus oblongatæ medullæ comprimebatur, & sic fecit Apoplexiam.

§. 701. *Unde & quomodo.* Si adsimus ægro comatoso febricitanti, ut ordine consulamus, sic cogitamus, homo febricitat, id est, violentum motum sanguinis habet, idem assidue dormiet, id est, habet fluxum humorum impeditum, idque quia non appelluntur ad cerebrum, vel non transmittuntur, vel quia non emittuntur, vel non remittuntur spiritus, si non appellat, alio fluxisse debet, vel per evacuationem vel inhibitionem, quibus non apparentibus forte non transfluit, tum humor crassior esse debet, quod patebit ex glutinoso oleoso vel inflammato vel forte impedimentum est in ingressu, quia sanguis extravasatus comprimit cerebrum, si signa adsint plethoræ, facies rubicunda, oculi flammei &c. statim mittendus est sanguis, tum danda sunt diluentia ac purgantia, quæ materiam nimia copia peccantem subducunt; si pinguedo sit nimia, juvat acetum capiti impositum, sed cavendum est à specificis laudatis frictionibus cum Ruta, Centaurio minori, spiritu salis Ammoniaci, sale volatili, quæ omnia valde nocent, si oleum sit in causa, statim intendo, ut hoc oleum à sanguine separetur, quod ante dixi fieri per macilenta aquosa, saponacea, nitrosa, subacida, quæ omnia sunt adhibenda.

Exiguntur, Nam sæpe repletio, sæpe evacuatio in materia peccat, quæ est tollenda.

Diu pertinax. In multis febribus ſæpe Coma, in quo miſſio ſanguinis, clyſmata, fotuſque nil facient, poſtea ſponte ceſſat, & pepaſmo ſoluto abit, nam multi humores certo tempore ſpiſſi per ſuam naturam ſponte iterum evadunt tenues, exemplum dedi de contuſione, homo, qui accipit in facie contuſionem, habet faciem lividam, nulla ſuppuratio fit, intra paucos dies cærulea & flaveſcens ſine ulla evacuatione ſenſibili tranſit, in principio Ecchymoſis aderat, ſed natura hujus ægri hoc totum diſſipavit, ante multos annos graſſabatur febris, cui curandæ interfui, unde oriebatur ſomnolentia & quidquid in os infundebatur, deglutiebant ægri, cæterum nulla mala ſymptomata aderant, ſi modo fecerim, ut alutæ incumberent, aliter Gangræna ſubſequebatur, ſed dempto ſymptomate omnia erant bona, inde patet, quod humores in multis febribus, præſertim in primo febris impetu vaſa diſtendens corticem cerebri comprimat, ut licet Venæ ſectio inſtituatur & dentur diluentia, &c. inde nullum juvamen percipiatur, ſi modo attendatur, ut metus non ſit nimis parvus; multi quando ab iſtiuſmodi morbo reſurgunt, quaſi ſemi-ſtulti apparent, tum ægro eſt cavendum à nimis magno & nimis parvo impetu, ſed illi mollis cibus eſt aſſumendus, hacque ratione brevi ſanatur.

Pepaſmo. Sydenham obſervavit, quod in quibuſdam febribus Epidemicis homines per quatuordecim dies manſerint dormientes & ſenſibus privati, ſed tamen habentes calorem & pulſum ſat bonum, tunc *Sydenham* illis tantum dedit juſcula carnium ad illos ſuſtinendos, quod & mihi contigit, & ita ſervati ſunt ægri

ægri cum è contra, si Medici hoc *Sydenhami* monitum non advertentes & aliis remediis utentes suos ægros accederint, illos pessumdabant, hinc si non adsint signa magnæ inflammationis, tum illis tantum jusculа macilenta parva copia & sæpe de die dare debemus.

§. 702. Huc conducunt diluentia, leniter incidentia, prudenter adhibita, v. g. ex aqua cum pauxillo aceti, fiat epithema imponendum in capite, quod linteis calidis perpetuo sustineatur, vidi domicellam multis diebus comatosam omnibus applicatis nil juvari, hinc credebatur esse magna ad vasa inflammatio, tum lanei panni aqua, cui flores Sambuci, Tiliæ cum aceto adjecti erant, imbuti, capiti applicabantur, cum vero hoc fomentum cito frigescit, calida mantilia in promptu aderant perpetuo applicanda, ac pannis imponenda, sic capite levato, curabatur, vel capiti raro imponitur epithema (ut sæpe soleo) ex Malva, quod sufficit, ut aucta & æquabilis fiat perspiratio; si somnus adsit cum calore, sanguis est mittendus, applicanda sunt epispastica, cucurbitæ, hirudines, clysmata injicienda, balnea, fomenta & diluentia adhibenda, &c. verum si hoc contingat in morbo moderato potius naturæ permittendum, & nunquam ex illo vidi damnum.

§. 703. Id est, si ob magnam inflammationem accedat Phrenitis, ejus peculiaris est cura, proprio capitulo dein pertractanda, hinc cavendum est à Phrenitide sine bonis signis, dum quidam putent jam optatam quietem obtineri, aucta enim inflammatio à tumore cerebrum comprimitur, fietque Coma Lethale. Hic est animadvertendum, quod tales ægri immoti sic ma-

nentes gangrænam acquirant circa partes, quibus incumbunt, hinc duæ regulæ hic sunt observandæ, 1. ut illi ægri tantum supra alutam ponantur, 2. ut omni saltem trihorio invertatur ipsorum corpus in latus oppositum.



Pervigilium Febrile.

§. 704. Pervigilium est perpetuum dormiendi impedimentum à febre ortum; quando in initio febris cujuscunque est pervigilium summum, alacritas, promptitudo ad responsionem, & jocularis dictio &c. tunc exspectanda est maxima inflammatio in cerebro, & pessima mala ad nervos præsertim Ischiaticos. Hoc pervigilium fit à levissima inflammatione cerebri, unde oritur quasi pruritus & titillatio à sanguine irritante, hinc membranæ perpetuo premuntur, & fit major agitatio per hæc loca; regula est certa, quod nimis diu vigilantes moriantur apoplectici, nam Coma semper subsequitur.

§. 705. Ægro procuratur maxima quies, quia hæc est maxima dispositio ad somnum, nam somnolenti, si ambulent, iterum fiunt alacres, ut *Cælius Aurelianus* dicit. *Aretæus Cappadox* præcepit, ne ullus sermo, ne ulla vox excitetur, ut servi soccis laneis transirent per cubiculum, ne ullus esset strepitus, nec ullus radius lucis admittatur.

Mentis. Non oportet ægro quidquid dicere vel narrare, omnium minima obloqui, nam si custos

custos cum illo fabuletur; inde sæpe fatalia deliria oriuntur.

Absentia sensuum. Hoc Divinum est *Hippocratis* monitum, jam nimis neglectum, objecta omnia coërcenda sunt, omnes fenestræ & cortinæ claudantur, nullus sit sonus vel strepitus, nullæ picturæ &c. qui plus vigiles faciunt.

Frigore. Magnum frigus & magnus calor impedit somnum, hinc temperatio requiritur. Aër conclusus somnum producit.

Aëre humido. Hinc Itali frequenter cameris inspergunt cum foliis Populorum, Sambuci, Rosarum, Tiliæ, Salicis, Acetosæ, vel rami ingentes ex his arboribus in magna vasa aqua plena ponunt, unde optima fit humectatio.

Victus sit blandus emolliens, primarium remedium est decoctum hordei, puls avenacea cum succo citri & aqua hordei, vel hordeum ad crepaturam coctum, vel emulsiones ex seminibus Papaveris, quatuor frigidorum majorum, Oryzæ.

Pro potu prosunt maxime herbæ edules, quæ lacteum gerunt succum, attamen non tam Narcoticum ac Papaver, sed omni simillimum, succus Papaveris, lentus, candidus, amarus, succus Chondrillæ, Sonchi, Hieracii, qui sopit, licet stuporem non inducat, hinc conducit v. g. Decoctum radicis Scorzoneræ cum sero lactis, nam hæc comesta optimum præbent pabulum, ut etiam radices Tragopogonis, Sonchi, Hieracii & Cichorei, quæ omnes herbæ hic maximam habent utilitatem, nam aliquid Opio simile possident, in his casibus etiam commendatur hordeum cum sola

aqua coctum, ut & Lactuca, & omnia ex Lactuca ut syrupus Lactucæ, emulsiones ex Pistachiis vel Amygdalis Dulcibus &c.

Susurro leni, &c. Quod valde conducit in casibus, ubi Medicus non audet Opium præscribere, hoc remedium valde laudatur in calidis regionibus, sumatur vas magnum aqua plenum aperto inferius foramine; unde per spongiam guttatim destillans aqua ex magno vase cadit in vas Æneum suppositum, ut tinneat, hinc Poëta canit:

Levi somno suadebit inire susurro.

Tum rogetur æger, ut istas guttas numeret, & intra quadrantem horam dormiet, idem artificium instituere possumus cum pelvi, in qua manus lavare solemus; puto enim causam esse nimiam agitationem; non vero inflammationem, nam aliter non juvaret. Instrumenta Musica hic valde prosunt, vide *Academiam Regiam Scientiarum*, *de quodam Musico ita curato*, hinc illud remedium non est vilipendendum, & sæpe Medici talibus inventis & adhibitis maxime æstimati sunt, vel ponantur in conclavis vicinia arbores foliorum tremulorum, (ut fiant susurri) nempe Populorum arborum tremularum (Belgice *Ratelaar*) quæ à minimo aëris motu tenuissimum sonum dant.

Demulcentibus. Hinc optime conducunt emulsiones ex Amygdalis Dulcibus, ita ut uncia una Amygdalarum decorticatarum cum unciis duodecim aquæ contritæ sint, quæ emulsio non conservatur ultra duodecim horas, quod est optimum demulcens, anodynum, eodem modo ex omnibus cerealibus emulsiones

nes parantur, ut ex ſeminibus Papaveris hortenſis, quatuor frigidorum minorum aut majorum & ex avena, hæc omnia conducunt, & amabilem lenitatem producunt, hinc à prudentibus Medicis ſtatim hic præſcribuntur emulſiones, nil eſt metuendum ab emulſionibus Amygdalarum ob pinguedinem, nam Italicæ imprimis Genuenſes recentiſſimæ obſervationes docuerunt ipſum oleum Amygdalarum Dulcium potum non nocuiſſe, & *Sydenham* obſervavit in tuſſi hoc oleum potum mire profuiſſe.

Odore ſoporiferorum. Spargantur undique decuſſa florentium Papaverum capita, flores Hyoſcyami, Mandragoræ, flores Fabarum, Solani vulgaris officinarum, baccæ vulgo dictæ Furioſæ, flores Violarum, Roſarum, Sambuci, Ebuli, Populi, Papaveris hortenſis &c.

Uſu Narcoticorum. Anodyna ſunt medicamenta doloris cauſam tollentia, ergo diluentia acre, ſtrictum laxantia, compeſcentia & obtundentia, anodyna, paregorica, id eſt, pacem conciliantia vel demulcentia ſunt illa, quæ etiamſi ſomnum non faciunt, ſic tamen cerebrum demulcent, ut ſit ſomno proximum, talia ſunt ſyrupus Violarum, de Althæa Fernelii, Glycyrrhizæ, ſemina Papaveris contriti in emulſione, conſerva florum Papaveris Rhæados, hæc ægregia ad unciam unam vel duas uſurpari poſſunt, aut etiam ſyrupus Papaveris, nam omnia hæc ſomnum nondum producunt, huc pertinent olea recentia Amygdalarum Dulcium, Olivarum Neapolitanarum, Cremor Tartari recens, aqua Fabana equorum, ſyrupus florum Paralyſeos, quia tenuiſſime de-

demulcent. Soporifera vocamus, quæ somnum blandum non violentum conciliant, talia sunt paregorica & anodyna, ut syrupus Papaveris Albi seu Europæi ad unciam unam in unciis duodecim aquæ dilutus, lenissime somnum facit, syrupus de Nymphæa ad dragmas duas, sic etiam est soporiferus syrupus Diacodii (differt hic à Papaverino, cum plura & varia habet ingredientia) ad unciam unam sic epotus, Narcotica seu stuporem facientia sunt, quæ non modo somnum, sed etiam insensibilitatem producunt, ex his optimum in medicina est solum Opium, benignum cum aquis frigidis datum, sed pessimum cum calidis v. g. cum Philonio Romano, Theriaca, Diascordium, sed optimum est Opium ad granum unum cum uncia dimidia aceti, parum Nitri in aqua diluti, vel in syrupo Papaveris; maxima enim est diversitas in effectu Opii in calidis & frigidis. Opium veteres putabant frigidum, hinc addiderunt calida, ut ex omnibus Opiatis & imprimis *Nicandri Theriacalogia* patet, at tuto detur cum aquosis frigidis ad grana duo, cum appositis calidis ad granum unum vix tuto detur. Chemici addunt his soporiferis Sulphur Narcoticum Vitrioli, quod nunquam inveni, licet multum inquisiverim, *Sydenham* dicit, quod Epithemata hic sint optima. *Galenus* commendat, ut capiti Oxyrrhodum applicetur scilicet acetum & aqua in Rosis infusa, *Sydenham* dicit, se pannum in aceto rosaceo immersum applicasse ad sinciput, quod tantum levamen dederit, ut mirum esset, quod tanta somnolentia inde oriri possit, hinc applicentur ea, quæ à capite derivant, si tum non cedat, nec anodynis, nec cibo, nec potui, nec epithemati-

bus

bus, tum res naturæ eſt committenda, nec tum licet per nimia Opiata agere. Opiata cuſtodem fallunt, dum illo ſopito interim omnia depopulantur, hinc caute cum his eſt agendum, Opium tollit Medico occaſionem cognoſcendi, quomodo æger valeat, an doleat, ſi æger habeat in cerebro inflammatoriam diatheſin, tum ſi detur Opium, vel nihil faciet, & æger itaque non minus morietur, vel Opium rarefaciendo & calefaciendo nocebit, & etiam quatenus ſopiens ægrum ſopiet etiam Medicum, efficietque, ut Medicus remedia neceſſaria ægro dare negligat.

Præmiſſis. Hoc bene obſervavit *Sydenham*, at ego ejus monitum inſecutus id ſæpe notavi, omnia dicta in initio morbi non ita ſomnum conciliant quam in fine, attendi, quod ſi venam ſecuiſſem, diluiſſem & derivaſſem, tum liceat tuto Opium dare; vidi ſæpe optimos viros morbo crudo Opio dato cum calefacientibus una doſi exſtinctos fuiſſe, aut poſt ſomnum maximum evigilantes nunquam reſipuiſſe, & tota vita ſtolidos manſiſſe, ſed contra, ſi primo die ſanguinem miſiſſem ſatis fortiter, pro ratione morbi, diluiſſem, dein duxiſſem ad inferiora per purgantia, non nimis valida. Vel violenta, v. g. cryſtalli Tartari, Tamarindi, Sal acidum, Mirabile Glauberi, ſal Oxonienſe, quæ omnia mitiora ſunt, tum dato Opio ad granum ſemis feliciter reſtitui, quæ methodus eſt optima, ſcio interim dum illa ſoporifera do, & illa operantur, non nocitura morbo, nec multum periculi futurum, quia ejus vires ſunt fractæ, aliter hoſtis in arcem recipitur, ut ſæviat; hinc non præſcribendum eſt Opium niſi præmiſſis remediis, quæ ſanguinis

nis rarefactionem impediunt, & ideo omnia, quæ inflammationi contraria sunt, prius sunt exhibenda; hinc quia Opiata & Narcotica plerumque non adeo tuta sunt, ut Medicus tum aliquid agere videatur, quo somnum concilietur, lenia innocua sunt adhibenda, qualia mihi hactenus probata & usurpata sunt, imprimis placenta ex Rosis cum oleo Rosarum vel alio leni anodyno, ut syrupo Nymphææ irrorato, unguento Populeo recenti, quæ omnia non nocent, sed semper prosunt, tum etiam aceto florum Sambuci, Rosarum, & Violarum, ex hisce tribus tepefactis permistis pannus madefactus expressus fronti apponatur, optime enim sæpe addantur aquæ Rosarum, borragines & violarum.



Convulsio Febrilis.

§. 706. Hic explicandum venit triste sæpe febrium symptoma scilicet convulsio, quid sub ea intelligatur dictum est §. 230. scilicet violenta contractio eorum musculorum, qui aliter tantum ad mentis imperium moveri solebant. Quo contractio major eo major convulsio, hæc semper fit in Febri à vitio cerebri, quæ semper determinat inordinatum influxum spirituum animalium vel in omnes musculos & in nervos vel in nonnullos, nam in nonnullis ægris convulsiones perpetuæ inveniuntur, in omnibus malum hærebit in initio cerebri, unde nervi originem ducunt, hinc convulsio fit 1. quando musculi quidem moventur, ut in

in sanitate, sed restitui non possunt à mentis voluntate, 2. quando ille motus musculorum est violentus & dolens.

Vellicatio per nervos facta, ut si pungatur nervus, ita ut violenter agat, hoc videmus in omnibus venenis, quæ adhuc in ventriculo hærent, unde tum convulsiones oriuntur, in toto corpore, sic hujus in *elaboratissima Wepferi tractatu de Cicuta Aquatica* exempla sunt, quod quam primum hæret bulbus Cicutæ Aquaticæ in ventriculo convulsio fiat, si vero bulbus evomatur, statim convulsio cessat, hinc intelligitur, unde fieri possit convulsio v. g. à purulento hepate, materia acri facta, tantum hærente in cava membranarum.

Cerebrosi. Hinc in ardentissimis febribus si liquidum cerebrosum inordinate influat, transfluat & effluat, tum fit convulsio, inde intelligitur à plurimis fieri posse causis, & certe scitur violenta contractio esse causa proxima; & remotæ variæ sunt. Si una pars cerebri reddatur à morbo febrili immeabilis & altera sit aperta, certe hæ convulsiones habent causas sæpe leves, sed semper similes iis, quæ ex Comato Delirio & Pervigilio degenerantur. Convulsio Idiopatica fit, quando malum hæret in cerebro. Symptomatica fit, quando causa cerebrum afficiens in cerebro non hæret, sed v. g. si fit in ventriculo, vel si alicui incaute applicaretur subito frigida lamina in nudatum collum.

Magna varietas. Hæ causæ bene sunt observandæ, nam unus nervus vitiatus trahit alterum, si hoc diu duret, totum corpus trahitur, si pluma fauces irritentur, primo leviter convelluntur, postea diaphragma & ventriculus in

in consensum trahuntur, hinc succedit vomitus.

Ætiologia. Pueri enim levissime febricitabunt, unde statim convelluntur; hæc facilis convulsio durat usque ad annum decimum vel duodecimum; si juvenes viginti quatuor annorum febricitent, non ita facile convelluntur; si pueri assumant acria, unde ventriculus pungitur, statim fiunt convulsiones, idem accidit à lactis caseosa coagulatione.

Curatione. Nullibi plus erratum est in medicina, quam hic; cum Medici voluerunt inquirere quædam generalia Antiepileptica, & Antispasmodica, nam v. g. infantes convelluntur, causa est materia acescens, lac caseosum pylorum obstipat, unde nil transire potest, si dentur huic infanti Corallia, Margarita, Mater Perlarum, Testes, Mandibulæ Lucii piscis, Oculi Cancrorum, ossicula cerebri Aselli minoris, omnia denique terrestria absorbentia hunc morbum tollunt.

§. 707. Si diu duret hæc convulsio, tum uno musculo contracto nervi vicini musculares ita contrahi possunt, ut brevi hæc propagatio fiat in totum genus nervosum, at etiam quo major & diuturnior fiat inordinata tractio, eo magis afficietur cerebrum.

§. 708. *Fere lethalis.* Pono ægrum febricitare & incidere in Hæmorrhagiam narium, illa semper eum liberabit à febre, sed pono eam jam magnam fieri, ut convulsiones sequantur, tum tantum perdidit, ut nec ille calor nec velocitas sic vasa extendere possit, ut non collapsa maneant, tum corpore frigefacto postea, sequitur mors. Ipsum delirium notat in febre partem iri affectam, nunc convulsio non ori-

tur à male affectis nervis, nec à malo affecto cerebro, omnes Medici putant ab inflammatione Meningum, vel corticis læsione, at illi viri Clarissimi non observant convulsionem nunquam in febre ad mortem usque oriri. Homo pessimo morbo capitis laborat uti & Lue Venerea, unde multa perpessus incidit in convulsionem, præsens Medicus & Chirurgus distinguent & dicent, huic erit cerebrum in tabem purulentam conversum, cranio aperto malum invenitur ad finem corticis & medullæ initio, totus cortex erit resolutus in putredinem, homo capite vulneratus convellitur, si vulnus pertingat ad medullam, si nunc adsit febris & delirium & post delirium convulsio, tum 1. designat externe cerebrum affici, 2. ad medullam penetrare, unde *Hippocrates* dicit omnes ægros per deliria fortiter convulsi moriuntur. Hucusque constitit, quod quando convulsiones oriantur à quadam externa corporis parte, non adeo multum metuendum sit, quando vero habet originem ex proprio cerebri morbo, quod tum mortem designat, adduxi experimentum *Wepferi*, quod inflammationes, suppurationes, erosiones &c. Duræ Meningis seu cerebri corticis raro convulsiones parant, sed quando hæc mala ad medullæ initium perveniunt, quod tum convulsiones oriantur, si hæc itaque in febribus accidant, notat malum ad medullæ initium pervenisse. Inflammati cerebri signa tradentur in *Capite de Phrenitide*, quæ sunt dolor capitis, febris violenta, pulsus durus, calor maximus, dein delirium satis magnum, & quidem cum specie furoris, unde sequitur nasci debere convulsiones ex inflammatoria diathesi, tunc fere lethalia signa in-

intelliguntur esse, vide *Hippocratem* in Coacis, ex quo hæc sunt desumpta.

Pessima. Hic sequuntur *Hippocrates* & *Galenus*, si prius turbida & crassa urina subito fiat pellucida & tenuis, convulsio insequens est lethalis, id hujusque verum & certum est præsagium, vide *Prosperum Alpinum de Præsagienda vita & morte*, Urina turbida tum incipit ferri ad meninges & ibi sisti, & crassamentum non amplius fertur ad renes, unde si tum insequatur convulsio, lethalis erit.

Fere lethalis. Jam antiquissimus *Hippocrates* hunc morbum lethalem pronunciavit, nam dicit ab Helleboro, id est, vomitu convulsio lethalis post κενεαγγείαν id est inanitionem, convulsio lethalis, post nimiam venæ sectionem itidem, quia humores sunt ablati. Convulsio ab evacuatione facta notat, quod sanguis non amplius cohæreat, nec à fluxionis continuitate applicari possit cerebro, hinc statim atque febris desinit, æger morietur.

Delirio. Quia cerebrum prius inflammatum incipit affici gangræna vel cerebellum brevi comprimetur.

§. 709. *Causa singularis.* Hoc est, quando corpus convellitur, tum est videndum, an Symptomatica, an vero Idiopatica sit causa, an post nauseam vel dolorem à materia acri oriatur, tum sanatio horum erit sanatio convulsionis; infantes convulsionibus corripiuntur & quidem à solo lacte; quod perfecte ventriculum obstruit, ut nil transeat, quæcunque dentur remedia, nil juvat, at uno vomitorio omnis convulsio tollitur, & si hæreat malum in intestinis, non cedit nisi dato purgante; sic in adultis sæpe convulsiones oriuntur à malo to-

topico, sic in his detegendis & sanandis felices eritis, tum in sanandis convulsionibus nil vobis obstabit.

Habet. Toties fui in consiliis cum aliis, ubi inquirebatur, quomodo tolleretur convulsio in febre, & vidi semper confugere ad remedia dicta contra convulsionem, quæ remedia non credo esse universalia, nam qui nescit causam nec locum, tuto curare non potest; hinc sequenti methodo est agendum. Ad convulsum vocatus 1. an in vitio fixato cerebri malum hæreat, vel an oriatur mediate, id est, ab alia parte affecta, causa primo Idiopathica cognoscitur ex signis prægressis inflammationis cerebri, nempe ex calore, dolore, somniis turbulentis & fatigantibus, vomitu æruginoso, tinnitu ad aures, oculorum caligine, delirii specie, si esset stomachi convulsio, & quis daret illa contra convulsionem celebrata remedia, ut pulveres Succini, rasuras Cornu Cervi, Eboris, Rhinocerotis Cornu, vel Ungulæ Alcis, dentes Apri &c. Nil facit, sed si detur vomitorium, plus humores premerentur, & moveretur æger, sed si huic mitteretur sanguis in pede, applicarentur diluentia ad caput, & clysmata injicerentur, curaretur; ergo causa materialis est quærenda, an acre an inflammatorium, an obstruens in causa sit, quod debellare studebo, v. g. si causa sit alcalina, dentur acida & contra, sed si acris sit & violenta maxime acida, materia alcalina & absorbentia erunt remedia, & si sit vellicatio cerebri, tum quidem juvant illa famosa Antispastica, modo non absint tantum ut nimis moretur; ergo primaria medicamenta sunt acre lenientia; convulsio sæpissime excitatur ab acri hærente con-

vel-

vellente nervos, tunc sunt Antispasmodica illa acre lenientia v. g. infantibus convulsio est frequens a massa semi-caseosa, acri in ventriculo, tum Corallia, Oculi Cancrorum, Eboris rasuræ & Cornu Cervi sunt generalia medicamenta, sæpe in causa est causticum volatile magis alcalinum, tum acida conveniunt, hinc diversissima remedia conducunt, sic quidam docent salem volatilem alcalinum sanguinis humani esse maximum Antiepilepticum, alii laudant summopere spiritum Vitrioli, quod utrumque est falsum & verum, quod ex dictis facile intelligitur. Si oriatur ex inflammatione cerebri, quod ex signis dictis noscitur, tum adhibeo pediluvia, balnea, vesicatoria, emulsiones, hacque ratione vires viscerum diminuuntur, victus sit tenuis ex farinaceis. Si videam puerum febricitantem reddere fæces virides acidum spirantes, abdomen tumidum, si hausto liquido nauseat & illud evomere conetur, hinc si mihi dicat, hunc non nisi lacte fuisse usum, & subinde glutinosum caseosum acidum evomuisse, scio hanc solam esse causam, quæ papillas has nervosas ventriculi irritando totum systema nervosum afficit, huic dabo serum lactis cum Sapone Veneto addito syrupo Violarum magna copia vel mellis, post hæc assumpta dentur aliquot grana radicis Ipecacuanhæ infusa, unde reliquum materiæ per saccharina, mellita, & saponacea, solutum expellatur per vomitum (ætas enim illa vomitum facile fert) vel detur purgans ex Rhabarbaro, Sapone Veneto, & oleo Amygdalarum, ut interna simul demulceantur, & in hoc casu tantum remedium specificum adhibere convenit.

Impactum est vel inflammatorium vel acre, vel

vel vaſa ſic compacta ſunt, ut nil tranſmittant, ergo omnis ratio convulſionis ſingularis tollendi eſt invenire locum affectum, ſed ſi a affecto cerebro, tum certa promittere non poſſum, *Hippocrates* dicit, ille Medicus, qui ratione demonſtrat morbum eſſe incurabilem, eſt æque ſapiens ac ille, qui morbum tollere poteſt, nam ars habet limites. Sæpe oritur convulſio, quia in baſi cerebri comprimuntur vel obſtruuntur nervi ſubjecti, ubi ſanguis fortiter impellitur, fit maſſa dura magis impacta, à cordis pulſu, unde dira fit convulſio, in adultis raro fit convulſio, niſi acrimonia oleoſa adſit in ſanguine. Si nunc concepiſtis per febrem vaſa eſſe adeo impacta in cerebro, ut ad cerebri medullam perveniat, quid docent ſymptomata febribus ſupervenientia, quid erit remedii? vaſa ſunt ſine ulla elaſticitate, ſunt inſtar pultis, ſi ergo per nimiam vim ibi tale quid infarctum ſit, nil curare poteſt, unde tot ægri neglectu in ἐπακμῇ perduntur, tum enim monetur Medicus materiem impingi, ſed ſi tum ægri aſſumant ſpiritus Theriacales, Sales Volatiles, remedia ſudorifera & omnia, quæ violentius movent ſanguinem, convulſiones oriuntur inevitabiles, ſed tunc per diluentia, relaxantia, ſanguinis miſſiones maxima copia, per lenientia curatur morbus, ſed ſæpius convulſiones futuræ ſe manifeſtant, quando materia circa vitalia ſtagnat, hinc in hoc caſu ſanguinem mittere eſt mortem accelerare, ſæpe vidi in Conſultatione Medicorum Medicos, dicentes, hic eſt convulſio ab inflammatione, ergo ſanguis eſt mittendus, ſed quando circa vaſorum medulloſorum fines hæret, tum illud paucum, quod fluit, nil facit, niſi quod mo-

do vitam sustentat, tum enim æger est in procinctu mortis, sed si morbus sit in ἀκμῇ & pulsus fortis, & respiratio valida & vires validæ, tum sanguinis missio est optimum remedium, nec ulla unquam Antispastica aliquid valent Multum laudantur guttulæ *Godartii* ex serico, quæ continent multum salis volatilis, nam Medici videntes hoc medicamentum curare convulsiones hystericarum mulierum & infantum, tum adhibuerunt in aliis convulsionibus sed infortunatissimo eventu.

Hasce. Medicus vocatus ad ægrum decumbentem violenta continua febre, cui simul adest convulsio, symptomata sunt urina tincta colore rubro, sicca cutis, facies calida, respiratio difficilis, pulsus durus, simulque Phrenitis ob obstructionem vel inflammationem vel febrilem motum à nervoso systemate oriri; ergo impactum est resolvendum, sed id fieri non potest, nisi impetum in illa parte tollendo, quod fit diluendo & resolvendo, hinc instituatur Venæ sectio in pede, eidem applicantur fomenta diluentia, simpliciter ex aqua, aceto & Nitro, hinc dandi sunt potus diluentes & laxantes, hacque ratione tollitur convulsio. In Praxi Medica Medicus consideratur, ut talis, qui aliquid facit, quod est in arte, ut servetur ægrotus, vel consideratur, ut homo civilis. Nullus Medicus tam sapiens esse potest, ut plus ostentet, quam possit v. g. si videat Principem fore moriturum, si dicat morietur, derideretur ab omnibus Aulicis & omnem amitteret famam, alius vero Medicus advocatus promittit curam, adhibet pulveres Cornu Cervi, de Ebore & hoc nil nocebit, attamen ægri habent fiduciam, quod non negligentur, hinc non

sua-

ſuadeo, ut hæc non adhibeantur, quæ tuto adhiberi poſſunt, modo non noceant, nam Medicum faciunt gratum, ſed hoc tantum vobis inculcare volo, ne putetis per hæc aliquid fieri, licet Medici laudent dentes Apri Sylveſtris, raſuram Eboris, ungulas Alcis, Margaritas Orientales & Occidentales, ſpiritus urinæ, ſpiritus ſanguinis, tincturam Caſtorei, ſal volatile Cornu Cervi & ex mineralibus tincturam Succini, ſal volatile ſeu ſpiritus Succini, ſpiritus Vitrioli, ſulphur narcoticum Vitrioli &c. primaria ratio, cur hæc fuerunt adeo decantata ſpaſmum debellantia, quia Infantes plerumque laborant convulſionibus à lacte caſeoſo aceſcente, ubi defectui bilis ſupplent, hinc ſi detur ſpiritus ſalis Ammoniaci, tinctura ſalis Tartari, Corallia aut ſimile abſorbens optime juvat, hinc abſorbentia Antiſpaſmodica ſunt generaliter vocata, & puto etiam quod hæc omnia in hoc caſu ſunt bona, ſed ubi ab inflammatione vel à vulnere cerebri penetrante ad medullam oritur convulſio, nil faciunt, ſi alcalinum putridum ſit cauſa convulſionis, ſi detur ſpiritus ſalis Ammoniaci, vel Cornu Cervi, morbus augetur; Medicamenta Antiſpaſmodica vel Antiepileptica diſtinguuntur inter nocentia & non nocentia ut v. g. pulveres Perlarum, Margaritæ, Corallorum Rubrorum, Alborum, Mandibulæ Lucii piſcis, Lapidis Pedro del Porco, Lapidis Bezoard, Radicum, Foliorum, & Seminum Pæoniæ, hæc ſi velint applicare, permittere poteſtis, ſed interim non negligenda ſunt remedia neceſſaria, illa v. g. quæ ſuperius dicta ſunt, parum conducunt pro his, non autem hic concedam, nam ſi inflammatio vel quædam cauſa obſtruens

generet has convulsiones, miseros ægros occiderem. Quæ dicuntur de radice Contrajervæ, Serpentariæ Virginianæ, hæc majorem vim habent, sed in convulsione ab inflammatione nocent, hinc tam parva dosi adhibeantur, ut nil agere possint, ut syrupus de Pæonia, de floribus Tiliæ, aquæ Pæoniæ, aquæ Stillatitiæ Rutæ, aquæ Liliorum Convallium, non vero spiritus, nam hæc nimis magnum impetum faciunt.

§. 710. Cura instituitur in capite de Comate & Delirio §. 706.

Sudor Febrilis.

§. 711. Hodie occæcavit dogma *Paracelsi* & *Helmontii* omnes idiotas, quod in febribus sudor sit unica via, quam affectat natura, *Hippocrates* nunquam sudoriferis fuit usus, de purgantibus, vomitoriis, clysmatibus & fomentis totus plenus est, sed de sudoriferis nil loquitur, in Chronicis quidem sed in febribus Acutis nunquam. Sudor est liquidissima sanguinis pars, nec per sudores materia inflammatoria compacta expellitur, sed tenuissima sanguinis pars, in qua tanquam vehiculo hæret materia sanguinis crassior sana vel morbosa, cui postea nulla arte admisceri potest aqua, teste *Sydenhamo*, sed si morbus sit ut in peste, ut ad primum impetum sudoris volatile venenum avolari possit, tum statim morbus curatur.

Pertinacior. Id est ubi volatilis statim fieri non potest.

Laxam. Aliter non fieret sudatio sed transpiratio.

Cir-

Circulationem, cujus ope applicatur materies vasculis sudoriferis.

Expeditionem. In corpore humano est miscela omnium principiorum inter se, ut non facile secedant à sanguine, & quamdiu talis perfecta est miscela, sanguis est optimus; sed quando pars aquosa facile secedit à sanguine, tum sanguis perfecte se ita habet ut lac, sed quando hoc perfecte adhuc inter se mistum est, per vasa minutissima ire potest, sed tum caseosa & serosa & bytyrosa substantia, ne quidem per vasa centuplo majora ire potest, hinc quando æger in febrium initio sudore diffluit, tum in sanguine talis est conditio, qua aqua facile secedit à sanguine, & notat ægrum in Acutissimos morbos incidere, & brevi perire debere, nam omnes hi ægri moriuntur, vel obstructiones accipiunt in visceribus, quibus ita excruciantur, ut mori quam vivere malint.

§. 712. Si sudor diu duret 1. orbat sanguinem liquido diluente, 2. hinc reliquum facit crassius & moles fit una massa compacta, 3. creat obstructiones pessimas, quia sanguis per minima vasa amplius ire nequit, 4. Sanguis diluente liquido orbatus vix dein resolventibus vel diluentibus auscultat, hinc in acuta febre ubi fui in consiliis, semper jussi non orbari liquido; alii Medici dixerunt, tollatur, ut simul tollatur quid maligni, facile iterum restituere possum per diluentia, verum enimvero si reliqua terrea compacta sint, vix à se mutuo secedunt, cum sint maxime terrestria viscosa, si semper liquidum reddere possimus, uti ante fuit, essemus magni Magistri, nec ægri morerentur, sed id non possumus, quod patet in argilla, quæ prius humida transmitti

 potest

potest per spongiam, sed ad calorem solis ignis cocta dat lateres domesticos, dein nunquam in argillam resolvendos. Nonnulli Medici dicunt sudorifera sanguinem attenuare, sed certum est, quod non exprimant à sanguine crassum, sed subtile, ergo reliquum incrassabitur, hoc patet, quia omnes homines, qui se adeo exercent, ut sudent, habent sanguinem inflammatorium; si autem per sudorifera humores augeantur versus oscula vasorum minimorum tum fient errores loci, & per obstructiones homines morientur, vide *Sydenham*, qui solus hoc consideravit propriis observationibus eo tempore, quo in tota Europa nunquam adhiberentur in morbis Acutis, nisi sales, Alcalini & Theriacalia, quæ pessime cedebant ægris.

Obstructio. Quia ille sanguis minima cerebri & pulmonum vasa permeare non potest.

Vix diluentibus. Legi scripta *Bontekoeiana*, quæ dicunt, si verum esset, quod liberemus sanguinem à subtiliori parte diluentia danda essent, sed si sanguis semel aqua sua orbatus, & tum millies aquam affuderis, non solves iterum sanguinem, nam partes semel dissociatæ apprehendunt se in formam glutinosam, quæcunque agas.

Morborum Acutorum. Homo perfecte sanus, si per causam vel mere Mechanicam uti est motus vel à medicamentis sudet, liquidissima semper dimittit.

Potest. Hoc unico *Sydenhamo* debemus, omnes enim putarunt per sudores omnes febres Acutas curari debere præter solum *Hippocratem*, qui licet non ita directe dicit morbis Acu-

tis laborantes plures per sudorem prægressum periisse, at clarius in omnibus de origine morbi dicit liquido aquoso & oleoso tenui difflato sanguinem fieri crassum & ineptum vitæ.

§. 713. Hinc in initio non excitandus, nisi materia sit subtilissima, ut in peste, ubi materia tenuissima ita est expellenda, nam concipimus venenum volatile aquæ calidæ immissum per poros exire posse, donec venenum fuerit difflatum; verum viscida & crassa materia fluida est retinenda, donec viscidi coctio facta sit, hinc agimus de sudore ut symptomate febris Acutæ, sed in Chronicis inde sæpe optimos effectus vidi. Inter omnes Auctores est unicus *Sydenhamus*, cui certe multum debeo, quod hoc recte observavit, nam olim fui in illa sententia, medicamenta Chemica titulo attenuantium data succedere, sed non vidi rem successisse, si vero constet materiam esse tam tenuem, ut sudore difflare possit, tum sudoriferasunt danda, ut in peste, & sudore Anglicano pesti simillimo, in peste & sudore Anglicano tanquam specie pestis volatile subtilissimum venenum immeat in corpus, & hac ratione in corpore hærens facit stimulum, unde febris: effectus hujus febris est totum sanguinem putrefacere, si contra hoc venenum adhibeantur omnia remediorem genera, plerumque nil faciunt & æger moritur, nam prima species pestis est intra tertium diem absoluta, hæret enim in vasis cerebri vel pulmonicis contactis, quando mitior est, maculæ tenuissimæ oriuntur; tertia species pestis est Carbunculoides, hæc est mitior, quia materies paulo crassior, tum inducit morbum naturæ febris acutæ; si in hoc morbo corpore perfecte integro in primo con-

tagii initio æger viginti quatuor vel quadraginta & octo horas, nunquam desinendo sudet, servabitur æger, sed hoc à primo initio est faciendum, quo æger est affectus, vide *Diemerbroekium*; hunc enim solum morbum excipio, ubi sudoriferum requiritur, in quo tale volatile venenum intra sanguinem receptum facit febrim, aliter enim materia adigitur in minima corporis vasa.

§ 714 Illis qui sæpissime è lecto surgunt, desinit sudor, nam in morbis inflammatoriis, ubi propensio est ad sudorem, ut in Peripneumonia, Paraphrenitide, Pleuritide, Morbillis & Variolis &c. observandum est, quod homines perfundantur sudoribus, dum in lecto hærent qui cessant, si ægri surgant & sedeant erecti in sede. Æger est liberandus à nimis stragulis, ne corpus nimis obruetur iis, nam omnibus vestibus ablatis, sub stragulis maxime sudant, sed si tunica (belgice *een borstrok*) adhuc vestiantur ægri, non tam cito sudant, unde intelligitur regimen in deponendis stragulis; deinde corpus vestibus vel stragulis non tantum est comprimendum, ut malignæ febriles exhalationes avolare non possint, id est, ut æger sepeliatur intra Atmosphæram putridam, quæ exhalans præsentes inficere potest, multo magis corpus febricitantis, non autem pondere comprimantur vasa, hac enim ratione motus & attritus augentur, omnia sic exhalare impediuntur, non autem ut testati fuerunt de me, quod velim homines nudos procumbere pavimento lapidibus Cæruleis instructo, hi enim male me interpretati sunt, vel sententiam meam non intellexerunt, pejora de his suspicere nolo. Aër non sit frigidus,

gidus, nec calidus, sed frigidiusculus, quia hic coërcet sudores; æger est abstinendus à calefacientibus, calor ab integumentorum pondere dupliciter fit 1. à repercussione caloris, 2. à compressione nostrorum vasculorum.

Potu &c. Ut amissum damnum resarciatur, sed parum potare debent, ut non iterum sudent, si post morborum curationem sudor maneat, tum à laxitate vasorum & solutione sanguinis oritur; tum aromatica sunt optima, nempe si quavis vespera sumatur uncia dimidia spiritus vini cum Salvia, Absynthio, vel cortice Peruviano, ea nocte immunes erunt, aut loco horum Theriaca Andromachi ad dragmam unam, unde omnis sudor quasi incantamento brevi desinit, quæ remedia in initio viderentur nocere. Sudor est simplex 1. in ἐπακμῇ semper malus, nisi in peste, 2. est in peste, 3. à laxato vase & soluto sanguine, ille curatur spiritu vini & Salvia, quatenus hæc sanguinem & vasa roborant; hinc si video ægrum ex febre sudaturum, ut in primo periodo Variolarum Acutarum, in quibus ægri primis tribus diebus quam maxime sudant præsertim in Anglia, & quarta die sistitur sudor, tum primo momento sudoris magna potus copia est danda, ut liquidi deperditio præoccupetur, hinc ille potus est præscribendus ad primum signum sudoris futuri, hac enim ope illud, quod deinde dissipabitur per inevitabiles sudores, resarcitur, & sic sanguinis pars crassior retinetur in fluore. Quidam sudor venit in fine febrium non Criticus, & qui maxime nocet ut in febribus Tertianis & Phthisi versantibus, qui tum ad minimum corporis motum nactus denotat debilitatem viscerum, qui curatur cum Salvia me-

thodo dicta præparata. Compressio pororum cutis per ligamenta multum prodest ad compescendum sudorem, ubi contra, si homo haberet vestimenta nimis laxa facile sudaret, ab hoc remedio magnum emolumentum percepi in belli Duce, qui semper sudabat omni nocte, unde valde debilitabatur, & hoc remedio fuit curatus, Medici sæpe dicunt, consulerem quidem venæ sectionem, sed æger sudat, metuo, ne materia introvertatur, hæc una sed vana est objectio, & sic optimum medicamentum aspernatur, ut non tollatur sudor quasi esset bonus ut in peste, ubi venæ sectio est mala, qnia ibi materia, cum volatilis sit, per sudores difflari potest.

Diarrhoea Febrilis.

§. 715. Hic omnes species Diarrhoeæ excepta Hepatica trado.

Diarrhoea derivatur à græco verbo ῥέω *fluo* & ῥεῦμα *fluxus*; hinc vocatur profluxus; Diarrhoea vi vocis est profluxus frequens liquidorum, vel per illam intelligo, quando omnes humores corporis quasi per intestina exeunt vel cum dolore vel sine eo, cum dolore est Dysenteria, sed Diarrhoea proprie posterior est; diversam habet materiam excernendam, unde pro variis excretis fiunt diversæ denominationes Diarrhoearum, quas recensebimus. Si *mucus* intestinorum exeat, tum est *Diarrhoea Mucosa*, ut in Tenesmo fit à convulsione, quæ perpetuo illum mucum detergit ab intestino

Recto,

Recto, illa Diarrhoea potest etiam esse catarrhosa, nam quemadmodum per Coryzam fit Catarrhus in membrana Schneideriana, eadem ope fieri potest Diarrhoea in intestinis, cum eadem membrana, quæ involvit interiora narium se ad anum usque extendat, per medicamenta purgantia exit & eroditur quoque mucus, & inde quoque fit Diarrhoea Mucosa ab illo muco, quem Medici falso credunt esse eliminandum, cum potius sit servandus. Si *lympha* exeat, tum vocatur *Serosa*, *Lymphatica*, *Aquosa* & pro vario lymphæ colore dicitur Diarrhoea vel *serosa flava* vel *serosa cinerea*, quæ pro pessimo signo habetur, tum saliva oris, ventriculi, intestinorum, pancreatis, imo & liquor hepaticus vadunt in intestina & foras exeunt, unde penitus exsiccatur corpus, & æger moritur intra quinque vel sex dies ad summum, hoc vocat *Celsus sinceras alvi dejectiones*, ex quibus oriuntur animi deliquia vix superanda, has etiam Diarrhoeas vocaverat *Hippocrates* ὑποχωρήματα ἄκρητα. Quando ægri merum mucum dimittunt, tum pancreas salivationem patitur. Si *pituita* vel *gluten* exeat vocatur proprie *Diarrhoea serosa vitrea*, quia illud, quod exit, est instar vitri renitens & durum, sed hoc est rarissimum, quamvis illud notet *Galenus*, & est signum lethale, nec ego in tota Praxi nisi semel vidi. Si *pus* exeat, est *Diarrhoea purulenta saniosa seu ichorosa*, nam sanies est ichor ex ulcere tenuis exsudans acer non crassus, ut est pus, si I. prodeat ex hepate & vasis hepaticis, *biliosa*, si vero cum bile aliquid tenuius, tum vocatur *Dysenteria Hepatica*, *Biliosa* vel Fluxus Hepaticus, si *pus* ex hepate vel aliunde dicitur *Diarrhoea purulenta* pus enim oberrans cum

sanguine ex hepate vel ex arteriis Mesentericis per intestina se evacuare potest, non hoc semper denotat fomitem esse in intestinis; quando est cancrosus tumor in intestinis, ventriculo vel pancreate, tum humor saniosus exibit per intestina: sanguinis Diarrhoea est triplex 1. ab hepate per dilatata vasa hiantia in abdomine quæcunque illa sint, modo materies devenire possit ad intestina, tum vocatur biliosa hepatica, aliquando per dilata vasa Mesenterica, 2. aliquando à vasis Hæmorroïdalibus, 3. aliquando it per vasa rupta propter nimium impetum vel à causa lædente vel exedente, illa, quæ fit per dilatata vasa, est sanguinolenta sine dolore, si recens sanguis exeat, est *Dysenteria* vel potius *Diarrhoea Sanguinolenta*, vide *Ruyschium in Epistola undecima de Intestinorum tunicis.* Quando omnia ingesta transeunt cruda; tum non est proprie Diarrhoea, quæ notat frequentem excretionem, sed tum dicitur Lienteria (vide *caput de actione Ventriculi in Institutionibus*) hæc proprie est dicenda glabrities nimia intestinorum, sed ex nomine non intelligeretur morbus, est enim ciborum fere non mutatorum, prout deglutiti sunt ex intestinis excretio, causa nil aliud est quam ventriculi vis vel intestinorum contractilis est valde læsa, ubi tantum intestina funguntur officio canalis transmittentis non immutantis non impellentis in lactea, hinc cibi per flaccidos canales delati effluunt, hinc recte dicta est levitas intestinorum, quæ ingesta non retinet; & frustra veteres à recentioribus correcti sunt, cum tantum inlellexerint sublatam vim remorandi cibos, sed quasi per mortuum canalem effluxam.

Intestinorum. Malpighius aquam, urinam &

atra-

atramentum injecit in arteriam Cæliacam, & vidit exitum; ipse *Ruyscius* vidit suam materiam per poros arteriarum patefactos in intestinis hiantes penetrare, & per omnem tractum intestinorum Tenuium, hinc videtis, quod omnes humores ex toto systemate arteriæ Cæliacæ & Mesenterii in cavum intestinorum eant, ergo tot sunt Diarrhoeæ species, quod diversi arteriarum fontes, sed mucus & reliqua semper præsto sunt, ergo hæc non faciunt Diarrhoeam, nam non videtis hominem, qui decem libras aquæ Spadanæ & qui quatuor vel quinque libras seri lactis biberunt, hæc dimittere, ergo hæc præsentia non faciunt Diarrhœam. Est etiam *Diarrhœa chylosa*, si chylus in ventriculo præparatus effluat ex intestinis non ingrediendo in lactea tumque vocatur morbus κοιλιακὸς, hic morbus est, si chylus in ventriculo ex cibis bene confectus vel solus effluat per inferiora, quæ est Cæliaca prima, vel cum fæcibus mistus, quæ est Cæliaca secunda, hic morbus est, si ventriculus retineat vim contractilem, & concoctricem, sed intestina supposita sunt in statu Lienteriæ, ubi delata non retineantur, sed adhuc exeant ut in Lienteria si nulla foex erit, quæ ultima semper naturalis est chylus solus, tunc ventriculis adhuc est bonus, sed intestina sunt flaccida, ex quibus omnia vi respirationis expelluntur. Cæliaca secunda ad Lienteriam non pertinet, quia chylus cum fæcibus ejicitur, quod fieri nondum vidi, licet multi Auctores hoc scribant, hæc si contingat, intelligitur Tenuia intestina in statu flaccido Lienterico Diarrhoico esse, sed ventriculus & intestina Crassa adhuc habent vim se contrahendi, miscentque chylum cum fæcibus

 suis

suis & sic ejiciunt, sed an fieri possit? nescio: ut intestina Tenuia sint flaccida & affecta, & ventriculus cum Crassis bonis, sed sic fieri potest, ut facile ex Phænomenis intelligitur. Omnes hæ species Diarrhoeæ sunt & pendent à vario humore excreto usque ad sanguinem, sed nunc ex diversis locis in intestina liquida fluunt & exeunt per alvum, nempe ex naribus, ore, faucibus, & æsophago, tum vocatur *Diarrhoea Catarrhosa* scilicet quoties membrana *Schneideri* maxime expansa una continua cum laryngis membrana bronchiorum & æsophagi occupantur levi inflammatione, prima species Catarrhi dicta: hæc inflammatio faciet, ut primo exeat humor tenuissimus, simulque acerrimus; ut in frigore lympha fluens ex naribus quamdiu hoc stillicidium est, sic plane tenue aquosum, salsum, tamdiu est Catarrhus, ille morbus vocatur *Coryza*, Latine *destillatio* omnibus Europæis *refrigeratio* Belgice *verkoutheyd.* Si cadat ad pulmones, fit tussis, si ad nares sternutatio, si ad os, excernitur, si ad æsophagum, ventriculum & intestina, tum oritur *Diarrhoea Catarrhosa*, dico eadem in ventriculo fieri posse, si nempe eadem membrana, quæ à ventriculo continuatur usque ad anum, leviter inflammata sit, tunc semper observatur prostratus appetitus, unde affectio Cæliaca oritur, porro est hepar dans lympham hepaticam & bilem, jam si ibi fit dilatatio, ut nimis stillet humor, fit Diarrhoea Hepatica, in qua excernitur materies fere rubella, quasi loturæ carnis, estque effluxus hepaticus, à vesicula fellis Diarrhoea Biliosa, si splen, pancreas &c. (quæ tardissimum habent motum circulatorium, quia sanguis in splene fit bis venosus) afficiuntur, potest

teſt per illorum laxitatem materia liquefacta ex venis Cæliacis Gaſtricis ad Portam fluere in hepar, atrabiliaria materia ſæpe ſimul putrefacta nunc ſoluta per hepar loco bilis hepaticæ excerni in duodenum unde Diarrhoea Atrabiliaria vel Dyſenteria Melancholica oritur. Si hepar putreſcat, ſanies putridiſſima & fœtidiſſima exit, ſi ex felle eſt. Diarrhoea biliòſa, amara, flava, ſi bilis illa in via facta ſit viridis, vel vitellina, vel porracea, vel iſatodes vel æruginoſa, varia nomina accepit, unde tot Diarrhoearum Bilioſarum ſpecies apud veteres; hinc intelligimus omnes Diarrhoeas. 1. Materiam 2. fontem, jam adhuc inquirenda eſt cauſa, unde hæc materia ab hoc fonte per inteſtina depluat.

Vires debiles. Duplex eſt cauſa generalis Diarrhoeæ, ſcilicet quando inteſtina ſe non tam fortiter contrahunt, ut ſua ſpatia ſint tam anguſta, ut chylus in vaſa lactea impelli poſſit; nam à ſola reſpiratione materia in vaſa lactea abit, jam vero reſpiratio pergit, & inteſtina ſe non claudunt, ergo ibit deorſum, forte hæc cauſa vobis videbitur nimis levis, ſed credo, quod ſitis in ea ſententia, quod in ventriculum intra viginti quatuor horas ad minimum ſex libræ humorum veniant (à cibo & potu &c. fit certe duplo major copia) quod nunc nil verſus anum veniat, eſt ſola inteſtinorum contractio ſed dicetis purgantia purgare; ſed tunc inteſtina quoque ſe non contrahunt, nam à purgantibus hydragogis oritur inteſtinorum Paralyſis; homo aſſumpſit maximum cauſticum Mercurium Sublimatum Corroſivum, ille enormes patietur flatus, abdomen tumidum, & nil dimittit, ſimulac vero ſuperatur ſphincteris actio, liquidi

liquidi materia exibit ægro nesciente; qui viderunt usum medicamenti *Angeli Salæ*, quod celebre est sub nomine *Boylei lunæ purgantis*, quod remedium est pro maxima parte Lapis Infernalis, quod si ad unum vel duo grana homines assumant, nescientes alvum dimittunt, & aqua defluet sphinctere ne quidem advertente, ergo Paralysis facit Diarrhoeam. Si multa aqua assumatur, nil per aluum exit, nisi postea parum crassi fæculenti, sed illa postea per urinam exit; ergo non requiritur materia, sed causa admittens in lactea serum, retropellens, hoc facere potest, 1. quia intestina sunt Paralytica, 2. quia venæ haurientes lympham è cavo intestinorum obstructæ sunt, ergo flacciditas, quia liquida non adiguuntur in meatus, quod fit, quia obstructio impedit; unde ægri habent perpetuum Tenesmum, hinc apparet ingens vis expellens, sed in lactea pellens fere nulla; hæc est Diarrhoea scilicet materiæ humidæ perspiratorum motuum ex intestinis flaccidis redditis, vel ex obstructis lacteis violenta per alvum expulsio. Si homo laboret Aphthis, quæ sunt crustæ mirabiles occludentes vasorum exhalantium & emittentium orificia, si tum tota corporis concava superficies obsessa sit his crustis aphthosis, quamquam raro hoc accidat, ab externis obstipatur, tum ubique tam absorbentia, quam exhalantia obstipabuntur, & liquida ab extremis arteriolis eructata ob vim, quam adhuc habent à corde, non resorberi poterunt ab inhalantibus, quæ hac vi destituuntur, hinc fiet perpetua Diarrhoea eorum, quæ deglutiuntur & quæ ab arteriis afferuntur, donec corpus fuerit consumptum.

§. 716. *Materia*. Nam quo ad causam, est in-

inflammatio, suppuratio, cancer, scirrhus, vel dilatatio vasorum nimia, & verbo dixerim sunt causæ infinitæ, sed materiæ fluxus & vasorum laxitas sunt causæ proximæ.

Effectus & eventum. Nam si subducetur è sanguine pars liquidissima, tum minor fiet ad cæteras partes pressio, unde cerebrum labascet, quia omnis impetus it versus intestina, ut accidit præsertim Hystericis, & similibus, quæ habent genus nervosum valde mobile, tunc enim non fit sufficiens sanguinis applicatio ad cerebrum, ut spiritus producantur, unde animi deliquiem &c. Ex paragrapho 715. patet intestinorum inflammationem impedire, ne materia transeat in lactea, hinc humor intestinis acceptus non potest ingredi in lactea, sed vi vitali intestinorum comprimente pellitur ad inferiora; hinc Diarrhoea seu Dysenteria sæpe in febre inflammatoria accidit ob hanc causam, ibi materia inflammatoria perpetuo transudabit per vias laxatas per nimium motum ob validam febrim, unde hic morbus vocatur febris Dysenterica. Sæpe contingit, quod Aphthæ Villosam intestinorum Tunicam occupant, tum oritur febris Dysenterica Aphthodes. Si materia ulcerosa excoriet intestina cum magno dolore fit febris Dysenterica ulcerosa cum magnis torminibus; ergo eventus & effectus sunt innumeri materiæ ex intestinis fluentis: aliquando est Cancer in pancreate, hepate & mesenterio, unde sæpe humor acerrimus transudat, excorians & erodens tunicas intestinorum, similis fere ut in Phthisi, si extremo tempore sanguis vel magna puris copia aggregata circulationis motu acerrimus fit, qui in intestina transudans omnia ita erodit ut intestinorum partes

ad mortem usque ejiciantur, aliquando idem fit à materia atrabiliaria acerrima per hepar, pancreas & venas Meseraicas in intestina effusa, hinc *Hippocrates* dicit; ægros esse morituros, quibus multum materiæ atrabiliariæ sursum & deorsum ejicitur; hinc sæpe est morbus incurabilis, nempe si æger laboret Vomica hepatis; si in pulmonibus, totum pulmonem per aliquod spatium exspuet, ita si Cancer in pancreate oriatur, tum fit sputum pancreatis & Diarrhoea truculentissima ad mortem usque, idem de hepate verum est; vidi talem Diarrhoeam in mercatore primo se manifestantem cum pauca commotione, à Medico dabantur consueta purgantia Rhabarbari &c. cui parum morbus auscultabat; ultimo pejor rediit, & adhibitis omnibus aliis idem semper accidit, tandem emaciatus moritur, & in aperto cadavere totum hepar putrefactum & saniosum fuit inventum, si ergo vasa pancreatica sint admodum laxa, si crusta villosa muco sit obducta, si orbiculi intestinorum Paralytici, est morbus incurabilis. Veteres vocarunt *Diarrhoeam Colliquativam*, quando Cacochymia purulenta vel sanguinis putredo totum sanguinem sic tabefecit, ut tota substantia in tabem putridam resoluta sit, tum sanguis ad fines arteriarum Meseraicarum & Cæliacarum in intestina venit propter debiliorem resistentiam, & facit Diarrhoeam, in Phthisicis curandis hoc observatur, nam ubi ille fluxus obtinet, hi per substantiæ & materiæ corporeæ consumptionem, quæ per pulmones ire debet, moriuntur, hi, si Medici iis optimum regimen præscribant, semper moriuntur sine Diarrhoea, sed si Medicus illud malum curare tentet, oritur Diarrhoea, unde qua-

quadragesies imo centies intra viginti quatuor horas ægri alvum deponunt, & sic exstinguuntur sine ullo sputo; hinc fluor colliquativus pro causa habet ichorem purulentum, turbidum sanguinem erodentem versus Meseraica vasa, & facientem ut deorsum deponantur, quemadmodum antea per pulmones ire solebat; sæpe integra fragmenta intestinorum sunt deposita. Hic morbus raro occurrit, licet multi Diarrhoeam Serosam statim colliquativam clament, & jactent se Fluxum colliquativum curasse, hi sunt *Celso* dicti histriones, qui ex parvis morbis magnos clamant; in morbo colliquativo fit sensim tarda consumptio cum febre Hectica, semper alvum moventes vel in Tenesmo consumuntur ægri, scilicet ubi pus labefactavit totam sanguinis massam, unde fit Diarrhoea putrida. Si Hydropicis in fine morbi Diarrhoea superveniat, tunc gaudent, & putant se aqua levandos, sed aqua fœtida & acris exit, unde purgat usque ad mortem, quia ille humor est plane putrefactus acer & colliquefactus, unde intestina instar cribri sunt fere pertusa; hinc ille morbus oritur 1. quando totus sanguis est putridus cum causa indomabili, 2. & sanguis ita est solutus, ut in vasis contineri nequeat, & totus ad intestina feratur.

§. 717. *Disponit.* Si liquidum per unum vas ire incipiat, tum hoc vas plus dilatabitur quam reliqua; sic si Diarrhoea per aliquot dies in homine duraverit, vasa abdominalia ita disponit, ut omne, quod superest, in abdomen eat.

Labefactat. Si oscula emittentia à Diarrhœa aperiantur, ut fit à Diarrhoeæ Serosæ causa, tum altero die vasa plus laxata erunt, plus lympha, hac ratione omnia sensim labefactan-

tantur, idem verum eſt de hepate & omnibus aliis.

Excoriat. Diarrhoea Colliquativa primo die non ita docet; altero parum & tertio plus, dein ſenſim maxime, quia materia acris deglubit membranas, nam mucoſa membrana per deterſionem ſemper tollitur. *Ruyſchius* demonſtravit *in ſuis ultimis adverſariis*, quod interior inteſtinorum ſuperficies fibroſa & ſentiens reddat liquorem mucilaginoſum, quando Diarrhoea nimis fluit, tunc tangit hoc liquidum, & illo à ſuis orificiis ablato poſtea ſanguis prodit, hinc quando mucus à ſuis papillis denudatus & ablatus eſt, nervi non tecti valde dolent, & ſanguis continuo exit.

Inflammat. Inteſtinis excoriatis, ex binis his cauſis tranſit Diarrhoea in Dyſenteriam, ut dicit *Hippocrates*.

Exhaurit. Incredibile eſt, quanta liquidorum copia per inteſtina expurgari poſſit, viſum enim eſt ſpatio viginti quatuor horarum eſſe emiſſas viginti libras liquidorum, ſcilicet tum reliqua vaſa adhuc valide prement ſuos humores; hinc totum ſyſtema venarum & arteriarum exhauritur.

Atrophia. Hippocrates dicit, omnia corpora, quæ quotidie purgantur, a nutriendi conſuetudine avertuntur.

Macies. nam purgantia macilentiam inducunt, quam enim tenuiores tranſudant liquores in inteſtina, omnia vaſa ſufficienti liquidi copia deſtituta arctiora & minora fiunt, ac areſcunt, dumque interim craſſa retinent, plura inducuntur mala & ſolvitur tota pinguedo.

Dyſenteria. Vocatur Diarahoea cum dolore juxta *Sydenhamum*, nam tamdiu vocatur Diarrhoea

rhoea, quamdiu tormina non adsunt, hinc *Celsus* non dixit Latine Dysenteriam, sed intestinorum levitatem, omnis Diarrhoea, quæ tormina habet, est cancrosa, ichorosa, lymphatica, mucosa &c. materia ergo Dysenteriæ non est sanguinolenta. Medici ergo se fefellerunt, qui suppofuerunt Diarrhæam sanguineam, nam non magis est biliosa & mucosa quam sanguinolenta. Dysenteria est totuplex, quotuplex Diarrhoea esse potest.

Inspissatio. Unde sæpe in fine Diarrhoearum fiunt inflammationes, febres ardentes & postea mors; hinc si Dysenteria diu duraverit, incipit fieri rubra, ulcerosa, pustulosa, ut monet *Hippocrates de Sparsis Ulceribus*, quia reliquus sanguis parte liquidissima orbatus necessario inspissatur, hujus ratio est, quia superfluus sanguis crassus exustus hæret, ad corporis superficiem, ut pariat pustulas & rubedines; hinc solidorum laxitas dicta ac fluidorum jactura ante intellecta.

Leucophlegmatia. Vocatur collectio aquæ in Panniculo Adiposo vel in Membrana Cellulosa totius corporis; omnis, qui Diarrhoea laborat, summopere sitit, si his omnis aqua, quæ potatur, non exeat, ibi accumulantur & hæret, hinc oritur Hydrops & Tabes, sic substantiæ fit consumptio; Phthisici aliquot septimanarum ante mortem accipiunt manus ac pedes usque ad finem ossis tibiæ intumescentes, hoc inde oritur, quia circulatio in debilissimis plane desinit, & humores ibi delati manent, hinc Leucophlegmatia propriè est abundantia pituitæ albæ in toto corporis habitu, quæ oritur à vasorum laxitate. De Diarrhoea legi merentur

Duretus & *Hippocrates*, ubi omnia, quæ hic tractata sunt, inveniuntur.

§. 718. Sequitur Diarrhoeæ cura generalis, quæ dari vix potest, quidquid conati sunt maximi viri, hinc nos distinctius proponemus: sanatio consistit in causarum ablatione, si acre irritans & prædominans vel in toto sanguine vel intestinis hæreat, tum illud fibras irritando in motus expressorios adigit, hinc facit sæpe Diarrhæam, ergo cura consistit in ablatione hujus acris, dicetis, hoc videtur repugnare præcedentibus, sed certum est, quod omne acre Paralysin intestinorum creare possit, ut fieri duobus exemplis & Mercurio præcipitato & lapide *Boyleano* constitit, quæ licet acria talem faciunt purgationem, ut excrementa inscio homine delaberentur, si causa irritans sit acida, tum sanatur per antacida, Corallia Rubra ad dragmas duas, Oculos Cancrorum, Matrem Perlarum, Ostracodermata, quæ statim sanant hos morbos, præsertim illos, qui in admodum laxis & flaccidis acidis corporibus maxime infantibus obtinent, si causa sit alcalina, ut sæpe in violentissima febre ardente, ubi facile bilis succusque intestinalis putrescere incipit, tum acida sunt optima ut spiritus Salis, Nitri, succi Citri &c. v. g. si quis vitelli ovi putrefacti grana quatuor vel quinque in panis mica involuta deaurata deglutiat, purgabitur homo ab acri irritante, sic etiam ab aliis putrescentibus acribus irritantibus, hic nulla sunt remedia specifica, sed multa acida sunt danda ut Spiritus Nitri & Sulphuris per Campanam, quæ omnia sunt optima, frustra hic dantur pulveres trium Santalorum, tum enim Diarrhoea exasperabitur, quia alcali magis exaltatur; sed cur

illæ

illæ terræ Benedictæ à Paulo ex Melita ita dictæ? cur terræ Sigillatæ, Bolus Armena, omnes fere Diarrhoeas castrenses sanant? omnes hæ in ore assumptæ instar butyri deliquescunt, his ergo omne acre qualecunque involvitur, hinc acre acidum vel alcalinum omne inviscat, obtundit, & iners reddit; si sit Diarrhoea ab acrimonia, quæ ignoratur, tum diluentibus ad acrimoniam quamcunque valentibus est utendum uti oleosis ad magnam copiam epotis, nempe oleo Olivarum, Amygdalarum Dulcium, Lini &c. huc pertinent terræ Sigillatæ pingues, Bolus Armena &c. vel emulsiones ex Amygdalis, Dulcibus, Pistachiis, Olivis, seminibus quatuor frigidorum majorum & minorum, Lini, Avenæ, Hordei, Nucis Coccos & ex similibus, quibus assumptis æger alvum deponet, hacque ratione omni acri materia eliminata Diarrhoea sistitur, & sanatus erit æger, sed hæc non juvant, quando hoc malum à sola intestinorum laxitate oritur, sed è contrario nocent, si morbus sit ab acredine tum juvant, si in ventriculi aut intestinorum rugis acre vellicans hæreat, irritans liquida ad expressionem, unde Diarrhoea producitur, tum hic morbus talibus demulcentibus curatur; si æger adultus Diarrhæa laboret, hoc plerumque erit à putrescente materia, hinc curabitur contrariis remediis, ac infantes per acida, si homo quodcunque acre assumat, semper incidet in illam Diarrhoeam, hinc tum emulsiones anodynæ paregoricæ emollientes tantum nomen hic habent in curanda Diarrhoea, quales sunt Diarrhoeæ, quæ fiunt à fructibus immaturis comestis, etenim hæ semper curantur per generalia demulcentia, ut emulsiones v. g. Nucis Coccos, ut fit in Indiis,

&

&c. 2. obtundendo illud acre per suum contrarium; si acris indoles non cognoscatur, tum dantur oleosa & aquosa, quæ in genere omnia acria tollunt.

Emetica. Omnis Diarrhoea, quæ non ab inflammatione, nec erosis aut suppuratis visceribus oritur, perfectissime per vomitoria sanatur, sed certi esse debetis, quod corpus non laboret labefactato viscere, ut visceris dissolutio metuatur, hinc fit talis Diarrhoea, quæ hoc non impediat & in quo vasa sint firma, tum vomitoria sunt optima, nempe hoc modo.

℞. Rad. Ipecacuanhæ ℈iv
in minutam scobem rasæ
infundatur per noctem
cum Vini albi Gallici ℥iij
postea leniter ebulliant &
per pannum album colentur.

Hoc remedio milleni sanantur, ipse pulvis in substantia ad unum scrupulum datus magis incaute agit, sed infusio est melior. Hoc est medicamentum, quod Lodovicus XIV. Galliæ Rex adeo remuneravit Helvetio, non est specificum, sed tollit Diarrhæam, quatenus humorem peccantem excutit, & hac ratione acre & morbi causa tollitur, de hac re nullus dubito; est remedium, quod nempe sub nomine Manapollæ apud Zeylanenses utitur, quod dicitur esse certissimum medicamentum contra Dysenteriam, sed hanc rem explorandi occasionem habui in consilio Medico cum eruditissimo Gallo Medico, qui Sedani fuerat, ubi primo hoc remedium fuit adhibitum. Laborabat aliquis ex Magistratu Fluxu Hepatico à Vomica hepa-

hepatis, unde subsequebatur Diarrhoea perpetua, conabar hoc malum tollere per vicem correctoriam, alter vero Medicus suadebat radicem Ipecacuanhæ, ut specificum, de quo vidisset effectus semper felicissimos, ego obstiti & contrarium tenui, & si adhiberetur hic orituram hypercatharsin, ille vero respondebat se ex numerosis exemplis non infelicem vidisse effectum, ego judicium meum suspendi & dixi, si posset in suam conscientiam sumere, ut adhiberet; æger tamen hoc remedium sumpsit, sed subsecuta est hypercatharsis & postea mors, nam habet vim expellendi, ut omnia vomitoria, si nunc ulcus exprimatur, non inde impeditur, ne cras renovetur, accedit, quod via affecta se inde restituere non possit; si ergo non adsit in ventriculo, diaphragmate, pancreate, & intestinis & estis certi ægrum non spuisse sanguinem, nec esse Cancrum vel interne Scirrhum vel Vomicam, audacter vomitoria sunt danda, & intra triduum curatur, si unicum vomitorium non sufficiat, bis vel ter repetatur, quia hæc expellunt, & faciunt viam liberam, tum postea Opio & Diæta exsiccante est utendum. Idem facere potestis methodo *Sydenhami*, qui in initio dat dragmas duas vini Emetici cum Croco Metallorum præparati, quod remedium eodem successu Diarrhœam tollit; hinc Emetica agunt ut expellentia violenta non ut specifica. Asari Septentrionalis folia septem, octo, novem vel decem, pro ut sunt majora vel minora, conterantur in pulticulam, quæ infundantur cum aqua vix fervida sine ebullitione, colantur, quod remedium etiam Diarrhœam curat. Hæc fuit methodus antiquissima in Brasilia præsertim ob-

servata, ubi homines sunt fortes, proceres & longævi, hi autem, observante *Pisone*, curant omnes suas Diarrhœas, quæ otiuntur à fructibus horæis nimis flaccida reddentibus interiora: observandum est quoad Emeticum, quod ter hoc sit repetendum, nempe v. g. hodie, cras & perinde danda est radix Ipecacuanhæ ad prædictam dosin, idem est dicendum de purgantibus, quæ etiam ter sunt repetenda, si Emetica non adhibeantur.

Purgantia. Omnis purgatio abradit mucum & exsiccat intestina, hacque ratione causas purgantes tollit, hinc si detur purgans, quando in corpore est acre, quod Diarrhœam producit, cessabit Diarrhœa, & hoc præsertim faciunt Pruna, Myrobalani, qui post purgationem maxime adstringunt, Mercurius Dulcis cum Saccharo vel Scammonio sumptus ita exhaurit intestina, ut homo, qui prius Diarrhœa laboraverit maxima, postea per plures dies alvum habeat adstrictam, nec quidquam deponat; purgantia conducunt maxime in semi corruptis flaccidis & Scorbuticis pro exemplo.

℞. Rhei elect ℈iv
Syrup. Rosar. solitiv.
cum Senna ℥j
M.

Et hoc medicamento curatur Diarrhæa imo etiam sæpe Dysenteria Sanguinea (in Colliquativa necaret) hinc omnes Dysenteriæ, nulla excepta, purgante tolluntur, si homo sanus assumat purgans Hydragogum ultra quater non demittit alvum, quatenus hic subducunt materiam levantem humidam & acrem & eatenus con-

convenit, omnium pulcherrima sunt purgantia quæ ex Rheo dantur, quia hæc adstringunt & simul expellunt, hinc Rhabarbarum nil specific: habet, nisi quatenus adstringit, sed etiam reliquorum purgantium hæc est indoles, tollendo enim acre Diarrhœam sistunt, verum in Diarrhœis castrensibus Rheum esse præferendum censeo, quia hæ bilem plerumque pro causa habent, aliter sequens est etiam optimum.

℞. Tamarindi ℥j
vel ejus pulp.
Fol. Sennæ pulv. ʒiij
Aquæ Cichorei ℥vj
M.

Vel pulvis Mercurius Dulcis cum Scammoneo, illud arcanum quod *Boyleus* à quodam tanti emerat, si Diarrhæa à laxitate optima sunt Myrobalani, pulpa Myrobalanorum sine nucleis v. g.

℞. Pulpæ Myrobalanor.
sine nucleis ℥ß
Rhabarbari ʒj
Aquæ Cinnamomi ʒv
M.

Vel

℞. Aq. Plantaginis ℥iij
Nucis Myrobalan.
sine nucleis ʒij
Rhei elect. ʒj
M.

Vel

℞. Aq. Rosarum ℥iij
Nucis Myrobalan.
sine nucleis ʒij
Fol. Sennæ pulverisat. ʒjß
Syrup. Cichoreo cum Rheo ℥ß
M.

Si æger antea quinquagesies alvum deposuit, hoc medicamento assumpto ne quidem sexies deponet alvum, & cras plane erit liberatus, sed hoc medicamentum rursum in aliis casibus nocet, uti in omni Diarrhoea Critica, ubi evacuatio non est sistenda; observandum est, quod, postquam purgatio agere desierit, post duas vel tres horas dandum sit Opium ad granum unum vel duo vel syrupum Diacodii ad unciam dimidiam.

Clysmata. Sæpe ob nauseam vix medicamenta haurire possunt ægri, adeo ut impossibile sit, quod aliquid assumant, tum multi Medici hærent, quod non opus sit, sed sumatur triplex dosis quæ superius data est, & fiat infusio, de qua injiciatur clyster. v. g.

℞. Rhabarbari elect. in
taleolos scissi ʒiv
Aquæ pluviæ ℥vi vel vij
pro ut infusio erit major vel
minor.

Ex hoc infuso confecto & injecto clysmate sæpe æger curatur, vel si sit infans, assumatur per os sequens remedium.

℞. Rhei

℞. Rhei electi ℈j
Syr. Cichorei
cum Rheo ℥j
M.

Postea injiciatur sequens clysma?

℞. Rhei el. ℈iv
Aquæ puræ ℥ij
Syr Cichorei ℥j
M. F. Clyster.

Sed quoad clysma notandum est, quod triplicia sunt clysmata, 1. pro demulcendo ex decocto fiunt Althææ, Amyli, Farinæ Lini, & hæc species clysmatis sanat omnes Dysenterias, quæ oriuntur ab inquilina Acrimonia, 2. sunt clysmata purgantia, de quibus jam superius egi, 3. methodus curandi per clysma est inducendo Narcosin, quod nunquam fefellit, si fluxus fuerit nimis enormis, sed hoc remedium à profanis non est dandum; instituatur v. g. sequens clyster.

℞. Terebint. Venet. ʒj
Subigatur cum Vitell. Ovor. ℥ß
Theriacæ ʒvi vel ℥j
Vini rubri vel
Lactis ferrati ℥vj vel ij
Syrup. Rosarum ℥j
M. F. Clysma.

Hoc remedium mane & vesperi per aliquot successivos dies est repetendum, & hac ratione plerumque curantur illi, qui erant in mortis a-

gone, quando Diarrhoea supervenit infantibus, tum minori dosi dandum est, in Fluxu Hepatico, Phthisico febrili est optimum medicamentum, modo certus sis nil inflammatorii subesse, tum possum efficere, ut hominibus in mortis agone versantibus non subducatur alvus, hæc ilico applicentur, postquam alvus ultima deposita est, tum malum ad minimum intra viginti quatuor horas sopitur. Si Scammonii grana duodecim purgent, tum sumi possunt grana triginta cum melle, unde fit clysma idem efficiens ac purgans fecisset; clysma non est injiciendum, antequam æger alvum exoneravit, sed statim postea, deinde non est præscribendum plusquam tres unciæ, ne intestina nimis extendantur, & hoc clysma æger quantum potest retineat. Si à quadam cacochymia sit morbus, tunc omnia humida, omnia mucosa prohibenda sunt, & panis bis coctus pro cibo est assumendus, uti & carnes assatæ, addatur succus Limoniorum, Cydoniorum, Citri, Rhabarbarum ustulatum, Miva Cydoniorum vel Rosæ Rubræ siccatæ &c. tunc oportet, ut æger nil potet, & utatur pauco spiritu Vini, in quo dissolutum sit paucum Matiches; ex iisdem austeris est componendum emplastrum stomachicum, quod ad alutam extensum parti imponatur; ex iisdem adstringentibus fieri potest clysma, quod non superet duas vel tres uncias, & ita injiciendum, extrinsecus applicatur abdomini Ceratum Stomachicum *Galeni.*

Corroboratione laxi. Sæpe Diarrhoea oritur, quia intestina laxa sunt instar canalium mortuorum, hinc quidem humorem accipiunt, sed in lactea non continere nec deducere possunt, hoc

hoc viso, morbus si curabilis sit, cito curatur roborantibus, hic casus est, ubi juvant adstringentia, laxantur ab aquoso & simul omni alio lenimine, sed dentur Mespila, & poma Cydoniorum, quæ æger jejuno stomacho cum pane tosto edat ad uncias duas vel tres, vel sequens remedium erit optimum.

℞. Cortex Granator. pulverizat ℥iß
Fol. Quercus ℥ij vel iij
Conserv. Rosar. Rubrar. ℥ij
M. F. Conditum

De hoc condito assumat æger singulo bihorio frustum instar Nucis Moschatæ; in hoc casu conveniunt Bolus Armena, terra Sigillata, veterum à *Galeno* instar Divini remedii proposita, Cornu Cervi usti &c. folia Quercus, succi contriti foliorum Pentaphylli, radices Bistortæ, Tormentillæ coutusæ & siccatæ ad dragmam unam vel duas in potu aquæ Martiatæ datæ, quæ est aqua vel Hydrogala, cui ferrum exstinctum est, addatur Cinnamomum & parum lactis dulcis, vel præscribi possunt austera ut Mespila paulo immaturiora, cum miva Cydoniorum. Princeps Hispaniæ Diarrhoea pertinacissima laborabat, ad quam sistendam omnia frustra erant adhibita, *Fuchsius* accersitus feliciter curavit præscribendo tantum cruda Mespila in pultem redacta, ex qua cura multum auri lucratus est, sed hæc data in corpore Phthisico, vel ubi natura crisin molitur, pessundant ægrum. Princeps remedium est Rhabarbarum paululum ad ignem ustulatum in pulverem contritum & ad duos scrupulos semel vel bis de die datum, quod non purgat,

ſed adſtringit, alterum remedium eſt terra Catechu, Acacia Germanica, Ægyptiaca, Germanica eſt prunus Sylveſtris, & ejus ſuccus auſtrus in rob datus ad ʒij vel ℥iij uſque ad unciam unam, Myrobalani pulverizati ad pauca grana idem efficiunt, hæc eſt tertia methodus, quæ maxime nocet, ubi materia acris & maligna hæret, ut cauſa Diarrhoeæ nam occidit ægrum, ſi cauſa Diarrhoeæ non ſit expulſa, ut *Duretus* & *Riverius* bene monuerunt, dicentes inde oriri inflammationes intra viſcera, ſed in flacciditate poſt purgans vel emeticum hoc remedium conducit. v. g. pro pueris tale clyſma adhibeatur.

℞. Fol. Quercuum ℥j
decoque in Aquæ puræ ℥vj
cui adde ſyr. Myrtini ℥ß
Mivæ Cydonior. ʒij
M. F. Clyſter.

Pacatione impetum. Hæc eſt quarta methodus *Riverii* & *Drelincurtii*; nulli Auctori hoc plus debemus quam noſtro Lugdunenſi *Bontio in egregio tractatu licet parvo de Medicina Indorum, ut & Hermanno vander Heyden Gandavenſi*, qui prius purgabat, tum dabat adulto granum unum vel unum & ſemis Opii, quod vocabat Laudanum ſuum. Reliqui Medici Opium dare non audebant, putabant arcanum quoddam poſſidere, ſed paulo ante mortem ſuam provulgavit methodum, hinc ſi detur ægro nunquam Opio uſo unum granum Opii, tum ſiſtitur Diarrhoea ſine ullo alio medicamento, ſed ſimulac Opii vis evanuit, rurſus illud medicamentum eſt repetendum, & eſt ſum-

ſummum arcanum in iis, quibus metuitur Diarrhoea Colliquativa ut in Phthiſi, ſi ibi in tempore non detur Opium, tum ante mortem ægri Diarrhoea diffluunt, quod quam crudele ſit, non norunt, niſi illi, qui viderunt, tum enim iſta macilentiſſima corpora ultra quadrageſies vel quinquageſies alvum deponunt intra viginti quatuor horas, & ſic moriuntur, quod omnium optime parva copia Opii præcavetur; ſequentia medicamenta idem efficiunt v. g. Theriac. Andromachi vel juxta Venetorum præparationem ad dragmam unam & ſemis, quæ quantitas continet fere unum granum Opii, ſyrupus Diacodii ad unciam unam, Diaſcordium Sylvii ad ſcrupulum unum, ſic etiam Mitridatium Damocratis ad ſcrupulum unum, Diaſcordium Fracaſtorii; hæc omnia remedia Diarrhoeam ſanant, quoniam continent Opium, hinc idem eſt, ac ſi detur ipſum Opium. Præmiſſis tamen duobus aut tribus purgantibus ſequens emplaſtrum ad umbilicum applicandum eſt, optimum remedium.

℞ Emplaſtr. Theriac.
Andromachi ℥j
Maſtiches in pulveres
ſubtiliſſim. redactæ q. ſ.

M. F. Epomphalon ad
Umbilicum applicandum.

Determinatione deorſum. Hoc eſt ſi materia liquida alio eſt determinanda; hinc primo do parvam Opii doſin nempe ad granum unum vel quæ inde præparantur, ut Theriacam Venetam, ſyrupum Botryi vel alium valde

Diaphoreticum ad unciam unam tum sal alicujus Diaphoreticum v. g. sequens.

℞. Aquæ Menthæ ℥xij
Vitæ Mathioli ℥ß
Sal. Viperarum ʒij
M.

Optimum remedium est Spiritus Vini cum Galangæ folio, Nuce Myristica, pane tosto vel charta crassa bibula apponitur umbilico, dentur antea præscripta ut Vinum Gallicum Rubrum cum pane tosto.

Per sudores. Tunc non dandum est Opium, v. g. si sit hepar putrefactum. *Hippocrates* animadvertit, quod Stranguria Dysenteriæ superveniens sanet, quod Diabetes superveniens Diarrhoeæ vel Dysenteriæ sanet, quia Diarrhoea in fine se per urinas evacuat, unde fiat Ischuria, ut dicit *Hippocrates*, & hoc tam certo facere potestis, quam per hunc vel illum canalem transmittere liquidum, hinc detur Theriaca cum vino calido imponatur in lectum, ut sudor erumpat, simulac ille apparet, omnis Diarrhoea evanuit, vide *Sydenham.*

Subductione. Si fomes sit Hydropicus, cancrosus, biliosus, serosus lymphaticus, mucosus, salsus, tum utinam exsiccare possemus, sed hoc semper non est in manu Medici, si quis Vomicam hepatis habeat, ei hepar putrescit, hinc ad intestina delabens pus facit continuam Dysenteriam, hinc ad curandam illam Dysenteriam pus ex hepate est educendum, quod semper efficere non possumus, nam si hepar vel pulmo sit corruptus & putrefactus, tum sistitur materia, quæ regurgitabit in sangui


nem

nem si per intestina urgeantur, hæc excoriabuntur &c. hinc nil aliud efficere possumus quam diluere & hic potissimum utendum est acidis, quamvis plurimi obloquantur, nam ubicunque est hæc materies putrida in corpore semper corrigitur per acida, sic etiam *Hippocrates* in Phthisi gradu ultimo præscribit oxymel, quod continet acetum & mel; si in Phthisicis per salivam pus viam quærat, tum est exspuendum, si per nares sternutatorio est amovendum, sic alibi hoc forte curato tollitur morbus. Hæc sunt, quæ de curatione Diarrhoeæ dicere possum, qui hoc bene intelligit, ille omnem Diarrhoeam tollet v. g. si æger intra viginti quatuor horas alvum deposuerit, & sit valde debilis, tum ei dentur clysmata Narcotica acido austera, & adstringentia, nam æger non est purgandus, quia est nimis debilis v. g. sequens remedium.

℞. Mivæ Cydonior. vel succi
Cydonior. inspissati ℥j
Aquæ Cinnamomi ℥ij
Vini rubri Gallici ℥jß
Aquæ Ferratæ ℥v
M F. Clysma.

Applicatum abdomini Emplastrum de Theriaca, vel Ceratum *Galeni*, & injiciatur clysma, quale præscripsi, si hæc tria inter roborantia adhibeantur, certe curatur æger; sed si in initio instituantur, æger necatur, nam si tum vires constent, dandum est vomitorium vel purgans, ut modo descripsi, sæpe in castris oritur Diarrhoea castrensis, quæ à crudis assumptis vel à corruptis visceribus vel a lutaceis & pessimis aquis generatur, ut integri sæpe exercitus tam

Asiatici quam Imperatoris Romani ab his aquis putrefactis assumptis perierunt, in illo casu optimus est lactis & Opiatorum usus uti etiam abstinentia ab his aquis. Ex his omnibus videmus, quod Diarrhoeam sanare non possimus, nisi prius cognita causa peculiari hanc Diarrhoeam faciente, nam si in putrefacto hepate detur radix Ipecacuanhæ, vomet æger, qui vomitus generabit hypercatharsin, id est, vomet ad mortem usque, sic, etiam si purgetur æger idem accidet, ergo in omni Diarrhoea & Dysenteria primo attendendum est ad causam peculiarem, antequam remedium propinetur.



Exanthemata Febrilia.

§ 719. Ἄνθος *flos* & ἄνθημα *flos propullulans*, hinc jam ἐξάνθημα est *efflorescentia*; Exanthemata autem vocantur maculæ vel pustulæ, quæ per febris vim in cute externa ægri apparent, cujuscunque figuræ, coloris, magnitudinis numerive sint, huc pertinent; hæc semper notant, quod in minimis vasculis sit aliqua materia, quæ transhalare non potest.

Pustulæ sunt maculæ rubellæ cum levi tumore inflammatorio, si scilicet valde rubescant, & mediocriter tumeant, maxime oriuntur, quia in febre valida est sanguinis circumactio, ut in lymphatica dilatata, quod transmittatur de sanguine, quod exhalare non potens stagnat, hinc fiunt, quando ultima vascula sunt dimittenda vel per perspirationem vel per sudorem, tum ruit crassior materies, quæ

transi-

transſire non poteſt, hæ vero puſtulæ erunt varii coloris pro varietate materiæ irruentis & ſtagnantis ibi ſic rubræ fiunt à ſanguine, dein flavæ à ſero flavo; ſi ſit aqua cum ſero flavo erit Eryſipelatoſa.

Vim vitæ. Homo faciem habens ruberrimam ſimulac incidit in animi deliquium, utpote remittente vi vitæ pallidus fit.

Circulatoriam. Quæ hanc materiam hic depoſuit.

Eryſipelas eſt larga macula ſubrubra ſub Epidermide hærens, pungens, dolens ſine magno tumore cum febre Continua: Eryſipelas ſignificat Græcis pannum vel latitudinem externam rubram, diſtinguitur à Phlegmone à tumore nam Eryſipelas eſt, quando ingentia loca corporis tali Eryſipelate afficiuntur. Eryſipelas eſt tranſitus ſeri ſanguinis flavi & rubri, ſed præſertim flavi ad illa loca, unde ſudor vel Perſpirabile Sanctorianum exire debebat. Roſa vulgo dicitur, cum tumor non ita magnus, ſed coriaceus cum dolore valido, & oritur, quia vaſa exteriora laxa ſunt, & magna vi vitæ ſanguinis partes vulgo bilioſæ dictæ tranſeunt in illa loca, hinc brevi in Gangrænam abeunt aut deſquammantur, materia puſtularum non videtur eſſe naturalis, licet ſit pars craſſa ſanguinis errore loci ſtagnans, hinc non eſt maligna, quia ſæpe ſine malo abit, & fruſtra in talibus caſibus tot curationes contra malignitatem morbi vulgo ab Auctoribus traditæ ſunt, quæ nulla eſt.

Scarlatina febris vocatur illa, quæ habet puſtulas colore panni (vulgo *ſcharlaken*) in quibus raro dolor, hinc ſubito adſunt, ſubitoque deſinunt, eodem modo ut in facie pediculi rubedo appa-

ret cito abiens, hæ pustulæ distinguuntur à Phlegmone, quia ibi per totum corpus tales maculæ sunt dispersæ, clarissimus *Ruyschius* illas dispersit per fœtus cutim, habet enim fœtum rubicundissimis maculis tinctum. Hæ maculæ vulgo maxime metuuntur, licet non ita sint periculosæ.

Petechiales. Si solus sanguis ruber in hæc vasa ingrediatur, erunt Petechiales rubræ quasi scintillæ; hæ tantum sunt ad glandulas cætera eadem sunt; hæ sunt pravæ maculæ rubræ. Petechiales purpureæ in morbo Acuto sunt lethales scilicet si subito appareant, nam designant exedi à sanguine caustico reddito vascula minima, sanguinem vero colligi extra corrosa vasa; mortem denunciant, non ut causa sed ut signa, docent enim in cerebello & pulmonibus eadem fieri & hinc lethales. De Variolis & Morbillis jam quædam dicta sunt, & plura postea dicentur; cur Purpureæ adeo sunt lethales, varie disputarunt Auctores, certe sequens videtur esse ratio; raro Purpureæ apparent in morbis, nisi ubi nostri humores cito putrescant ut in Peste, hinc videtur sanguis attenuatus non lympham intrare lymphatica, dum à putredine dissoluta est in, verum (ut voluit *Sydenham*) venenum sanguini admistum, quod in medium relinquo, certum tamen est, quod à quibusdam venenis sanguis citissime putrescat.

§. 720. Nam non habent periculum, nisi nimia inflammatio adsit, si subito maculæ appareant sine tussi concomitante, ægerque interim bene respiret periculi expers est, priores vero febres si invadant una cum tussi difficulter sedanda levi delirio, respirandique difficultate

tate non ſunt ſine periculo, ſi puſtulæ doleant, multum de Gangræna metuitur, ſi non multum doleant, tum deſquamationem futuram deſignant.

§ 721. Materies hæc non eſt ſub cute, in hoc caſu Medicus præſcribere debet levem potum, ut cor potum accipiens materiem per loca idonea facta ſeparare pergat.

Vis vitæ. Si febris ſit magna, & cutis efflorefcentias, motum vitæ uti & ſanguinis excretionem Medicus metuat, tum magnus impetus ſanguinis illi eſt arcendus; quique æger ſe caveat inter curandum ab omni frigore, & teneat corpus ſuum ad idoneum ſtatum ad perſpirandum, utatur diluentibus ad impediendum impulſum ſanguinis ad hæc loca; hinc facile curantur ægri, ſi modo ſe ipſos procurent; adhibendi ſunt potus Nitroſi Antiphlogiſtici, tum fere ſemper intra quatuordecim dies ſanantur; decocta radicis Graminis Fœniculi Scorzoneræ, Tragopogonis, Petroſelini, foliorum Scabiolæ &c cum pauco ſucco Citri ſunt optima. Per ſudorifera ſæpe necantur, Medici dicunt naturam ad exteriora eſſe ducendam ex eo, quod cicat *Hippocrates* natura quo vergit, eſt ducenda, verum ſi plus materia excitetur & moveatur, tum in capite & cerebro eadem producentur, quia ſudorifera æque eo quam ad cutim determinant.

§ 722. Febris cujuſcunque in genere cauſas proximas & remotas enumeravimus, quas in poſterum ſupponimus ut certas & notas. Ultimo conſideravimus febrium ſymptomata vel effectus principes, qui dein recenſendi ſunt, ut morbi capitales hic traditi, & quo leviora hæc ſymptomata ſunt, eo facilius curantur: nunc ſequun-

quuntur febres requirentes singularem curationam. Dixi in omni febre vel stimulum vel materiam esse considerandam, illa materia excitat impetum sanguinis, ille vero est causa efficiens, si tunc talis materia vel stimulus cito duxerit in mortem vel sanitatem vel mutationem materiei, & si hoc fiat uno accessu, vocatur Continua, si violentia sua variet, vocatur remittens, hinc distinxerunt veteres inter Continuam & Continuatam.

§ 723. Omnis febris est vel Acuta vel non Acuta, Acuta est, quæ parvo tempore cum vitæ perculo decurrit ad finem, has in genere pertractavi, non Acutæ sunt, quæ lente & sine vitæ periculo decurrunt. Febris Continua vocatur, quæ manet in uno statu, hæc Acuta, quæ impetum semel susceptum ad finem deducit cum uno incremento, statu, decremento, non puto uno tenore, sed quod semel tantum fiat. Febris Continuata ab Intermittente venit, sic Tertiana potest in Continuam abire à novo intercedente paroxysmo. Continua vocatur, quæ remittitur æque Continua cum exacerbationibus non desinens, sed quæ attollitur & remittitur, & hoc est febrium lethalium genus communissimum, vix autem ex priori febre Continua moriuntur, sed maxime ex iis, quibus quotidie semel vel bis fiebant exacerbationes, hæc Acuta vocatur Continua Remittens. Intermittens est, quæ ascendendo, stando, descendendo statum suum integrum absolvit, sed altero, tertio vel quarto die iterum nova fit, & tota decurrit. Hæc sunt simplices Intermittentes; hinc febris non est Intermittens, si semper laborent, sed si aliquod tempus plane liberi sint ægri, at postea de novo inchoat febris Hæ omnes Continuæ Remittentes vel Intermittentes Acutæ sunt. Fe-



Febris continua.

§ 724. Febris continua perfecte triplex vulgo enumeratur, & fere est vel Ephemera viginti quatuor horis perdurans, vel Continua seu Synochus non Putrida, vel Synochus Putrida, Ephemera non turbans humores protracta ad plures quam quatuor dies est Synochus non Putris; hac ratione Medici distinxerunt optimo jure, reliquis distinctionibus nil subest fundamenti, minus perniciosa est febris Ephemera Continua, quia una paroxysmo decurrit, vocatur Ephemera, quia uno die durat. An Ephemera est febris Acuta? ratione velocitatis ita; at non ratione periculi; nisi Pestem violentissimam Ephemeram vocare velis. In omni fere advertendum est esse ἀρχὴν seu *initium* ἀνάβασιν id est ascensum, ἀκμὴν id est *vigorem*, μετάβασιν id est *descensum* & tandem δηλῶν id est *finem*. Omnis febris Ephemera fit, quando nascitur in corpore motus, qui plusquam viginti horas durare non potest, ergo non habet pro causa cacochymiam, sed tantum peccatum in sex rebus non naturalibus vel potius in applicatis, gestis, retentis, excretis: febris Hectica est referenda ad febres Continuatas Intermittentes. Oritur in corpore causa Physica, quæ febrim nasci facit, hæc causa perdurans facit perdurare febrim & ubi hæc causa desiit, tum vis vitæ adhuc superstes protrahit febrim, quæ postea descendit & solvitur.

Causa febris est motus violentior in humoribus

ribus & vix alius motus hic oritur nisi à peccato in sex rebus non naturalibus, sic si quis nimium comedat, bihorio post corripitur febricula, idem fit ex crapula, si hæc febris intra viginti quatuor horas non terminetur, est Synochus, si ab acri v. g. ut aceto, multo oleo Caryophyllorum assumpto, ab ira, æstu, frigore, motu nimio vel quiete, dicitur hæc esse sine materia vel cum, quæ, antequam febris jam aderat in humoribus, excitabat febrim materialem, at febris Ephemera nunquam habet materiam præexistentem, si hæ causæ determinentur methodo *Jonstoniana* per gesta, ingesta, excreta & retenta, semper ex his hic major motus excitatur, hinc vix cum frigore oritur. Materies febrium est virium in corpore præxistens, unde talis febris renascitur, ergo materia febrilis in genere non referri debet ad causas Procatarcticas & ideo febris Ephemeræ causa est semper Procatarctica.

Levi causa. Si quis febricitans Medico præsenti dicat sibi febrim esse ortam à nimio motu, cibo supra modum assumpto, crapula &c. si autem hæc causa major fuerit, censeo Synochum, sed non Ephemeram.

Corpore puro non prædispositо ad morbum, si non adsit Epidemia in aëre, bona excreta, ut sudor, fæces alvinæ, urina &c. denique omnia sana sunt, tum concludo fore Ephemeram non Synochum, sed si corpus sit impurum, prius Scorbuticum, Hydropicum, Arthriticum, tum non spero Ephemeram.

Levibus symptomatibus. Id est appetitu non penitus sublato, siti non nimia, assumptis non gravantibus, urina bona, naturali alvo, sudore moderato, corporis dolore non magno, pulsu qui-

quidem citatiori, sed non contracto maligno vel intermittente, vel denique quando omnes functiones naturales, vitales, animales non sunt valde læsæ.

Crisis est in febre illud tempus, in quo mutatio est exspectanda sive sit illa mutatio in sanitatem sive in alium morbum, hinc Crisis cita est, quando febris causa cito superatur & materia ejicitur à febre præparata, urina crassiori facta, plus sedimenti habente, & febre desinente judico Ephemeram.

Pulsus. Si pulsus post viginti quatuor horeas perfecte sit restitutus ad justum æquilibrium, hoc est maximum signum, hanc febrim esse tantum Ephemeram, nam si esset febris Tertiana; Quartana, aut quælibet Intermittens, tunc pulsus non restitutus esset ad æquilibrium, nam duodecim horas post paroxysmi decessum in Tertianis hoc non fit, hac ratione Medicus eodem die scire potest, an erit Ephemera nec ne, unde magna sæpe oritur æstimatio, Medicus ad febri laborantem vocatus quærit, an æger longe fuerit affectus, si dicat, ante sex horas bene valebam, & Medicus roget, an nil in sex rebus non naturalibus mutavit, & respondet, credo me nimium movisse, si nunc pulsus & respiratio bona, lingua non aspera, urina bona, est Ephemera, sed si corpus penitus appareat defatigatum cum ingenti siti, magno calore, pulsu citissimo est vel Tertiana vel Quartana.

Curatio. Tantum curabo, ne per eam fiat mala dispositio, nam si diu duret prædisponit corpus ad febrim Putridam v. g. si quis violentius cucurrerit, habebit febrim, si currere continuet, febris facile continuatur, aliter si cur-

currere cessaverit, febris etiam cessatura est, ergo causa non est continuanda, sed inhibenda, nam putredo jam oritur, hinc ut fiat impedimentum, tria requiruntur.

Abstinentia. Non quod æger nil edere vel bibere debeat, sed quod nil facere debeat in ingestis, gestis, retentis & excretis, quod corpus multum mutare possit, hinc nil cibi est dandum, quod multa coctione egeat, vel viscerum actione, secundo nullus motus, nulli animi affectus, nulla medicamenta, quibus motus promoveri possit.

Dilutio. Qua fit restitutio omissi per motum febris v. g. bibat æger omni semi horæ unciam unam vel duas potus Thee, Coffe vel decoctum hordei cum Rob Ribesiorum vel Mororum Nicolai, pauxillo Nitri, quavis semi hora sumat uncias duas (vel Belgice *een Thee backje*) cum enim non nisi liquidissimi jactura sit facta his restituetur v. g.

℞. Aquæ Hordei ℥xxv
Rob Ribesiorum
—— Sambuci ana ℥ij
Sal. Prunell. ʒij
Spirit. Sulphur. per campanam
Q. S. pro grato acore.
M. F. Mistura.

Sumat æger de hac mixtura omni quadrante horæ ℥j vel ℥ij,

§ 725. Si febris ultra viginti quatuor horas protrahatur & per tres, quatuor & quinque dies duret, si leviuscula sit, vocatur Continua non Putrida, quia humores ibi in naturali statu manent, & non degenerant, hinc novam febrim non

non creant, ſed Continua vocatur ob cauſam tenaciorem; putridum deſignat, ubi ſanguis à naturali conditione degeneravit; ſi ergo reſpiratio libera ſit, pulſus æquabilis, nec ſitis ingens, nec calor turbatus, tum hæ febres ſunt tantum Ephemeræ, & Medicus, qui hoc videt, debet tantum inquirere an Putrida, vel non Putrida, quod cognoſcit, ſi ſymptomata à ſanitate non mutata ſint, in unico cauſu hoc fallit, nempe in Hectica, ſed tum cognoſcitur ex morbi hiſtoria.

Medela. Medico ad ægrum vocato ſemper 1. eſt animadvertendum, an ſit febris, 2. qualis ſit, an Continua vel Intermittens, hoc docebit 1. Epidemica conſtitutio aëris, tum judicium uſque ad ſecundam viſitationem illi eſt ſuſpendendum, poſtea ſi in ſecunda viſitatione poſt ſexdecim horas inveniat catabaſin, tum certe judicare poteſt eſſe Ephemeram, quod ſemper in ſecunda viſitatione definire ſoleo, ſi vero poſt ſexdecim horas inveniam febrim non eſſe deſcenſam, tum mecum deliberandum eſt, quomodo hæc febris ſit tractanda, ſi autem nullum ſit magnum ſignum inflammationis, non ſtatim præſcribo venæ ſectionem, ut perperam faciunt *Galenici* & Galli, ut ſi adſit magnum ſignum inflammationis, tum præſcribo venæ ſectionem ad octo vel decem uncias, dentur refrigerantia ex clyſmatibus emollientibus, victus ſit ex decocto Hordei. Curatio hujus morbi eſt ut in ephemera, ſed addatur tantum leve nutrimentum ut, puls cum Cremore Hordei cum pauco ſucci Citri, Rob Ribeſiorum aut Sambuci vel Vini, aliud nihil præſertim primo die, aut poma cocta cum pauxillo panis vel avena cum ſero la-

ctis, vel lacte ebutyrato, omni trihorio vel quadrihorio assumant, maneant in lecto, non multum moveantur, si metus adsit, ne major fiat putredo, venæ sectio est reiteranda; nam si exacerbescat, & diu duret, necessario desuescit à naturali statu, & febris fiet putrida, hinc requiritur ut laxentur vasa & æstus temperetur, instituatur venæ sectio ad uncias octo vel decem, fiat potus refrigerans, & simul adhibeantur balnea pedum omni vespera, & fomenta ad caput ex Aceto Sambucino cum aqua. Primo die soleo præscribere in febribus Continuis de coctum Hordei cum Rob Ribesiorum aut Sambuci &c. secundo die mixturam sequentem vel similem.

℞. Aq. Melissæ ℥x
Sal. Prunellæ ʒij
Syrup. Violar. ℥j
Spirit. Sulphur. per
Campanam ʒj
M.

Tertio die si velim aliquid mutare in materie, sumere possum sequens remedium.

℞. Salis Prunell.
Cremor Tartari ana ʒj
Stibii Diaphoretic. ℈j
M. F. Pulveres No. viij vel ix.

Quorum unus est sumendus omni trihorio.

Quarto die syrupum Acetosæ vel pulpam Tamarindorum præscribo.



Febris Continua Putrida

§ 726. Hæc eſt tertia ſpecies febrium Continuarum, prima erat Ephemera ſimplex ſecunda Synochus non Putrida, tertia Ephemera Continuata, hæc eſt Synochus putrida, continet ſub ſe peſtem, febrem ardentem & febres malignas; non autem hic intelligitur chronica putredo jam volatilizata, plane putrefacta, ſed humorum ſtatus, à quo fit febris; in hoc morbo circulatio eſt aucta ad omnia vaſa, ſed hæc dilutione, venæ ſectione & refrigeratione tollebatur, ſed ſi inde cutis incipiat oppilari, viſcera & capillaria obſtrui, major fit Acrimonia, & Synochus Putrida perfecte Continua, tertio ſecum habens talem humorum corruptionem, quæ adeo deviat à naturali ſtatu, ut ipſa hæc de viatio faciat febrim eſſe putridam, nondum autem plena eſt humorum corruptio. Solum augmentum motus ducit hominem ex ſumma ſanitate in febrim peſtilentialem, hinc occurrendum eſt tali motui nimio; ſed etiam illi maxime peccant, qui ad minimam febrim Ephemeram ſanguinem mittunt, & maxime refrigerant &c. tunc enim æger ex parvo motu extraordinario quandoque acquirit morbum Chronicum v. g. Hydropem.

Viſceribus. In Omni febre Putrida eſt inflammatio, ſed non facile reſolubilis, ſed in inflammatione ſimplici major, hinc ſi minima vaſa ſint obſtructa, cognoſcitur à cute arida.

§ 727.

§ 727. hæc sunt signa primaria, & ibi magna est difficultas, an adsit Medico cognitio simplicior quam habetur? omnes juniores Medici, quando audiunt hoc vocabulum, putant, quod Medici, qui illud proferunt, ejus habeant accuratissimam Idæam, hoc inde fit, quoniam non cogitant, quod id, quod cognoscimus, per causas cognoscere debeamus; nunc cognoscitur febris, si æger habeat pulsum celeriorem, & febris Continua, si per triginta & sex horas æquabiliter adscendat, Continua erit, nam non scio exemplum febris vere Intermittentis, quæ ultra viginti quatuor horas duravit, si fuisset, Quartana, desiisset 16. vel 18. horis; hinc si sit Putrida, primo animadvertendum est ad functiones læsas, & cognoscitur 1. si apposito digito sentiatur calor digito urens molestus & pungens, 2. si pulsus celerior aliquid subduri & inflammatorii habens, nec ordinatus, sed inæqualis & derivans, 3 appetitus prostratus ut æger dicat, non possum audire vocem alimenti, sitis magna, lingua sordida, arida, sicca; respiratio non naturalis, 4. urina crassa, cruda, rubra, flammea, sine sedimento, nam si tenuis maneat, est vel Synochus simplex vel Ephemera, 5. temperies calida, sanguinea, biliosa, 6. maxime circa annum vigesimum quintum, nam juvenilis ætas vergit ad putredinem, 7. habitus plethoricus, si sit calidus, alcalescens cholericus succus & sanguineus maxime frequens est, si hæc febris adsit, bene ei est attendendum, nam non tam facile fit curatio quam in prioribus; hæc est febris, de qua tot scripta sunt volumina, nec revera aliud video, nisi quod de hoc morbo multæ nugæ Philosophicæ & Aristotelicæ scri-

ptæ

ptæ sunt, quæ non juvant, & nil explicant.

§ 728. *Homotonos* vocatur febris Putrida, quæ uno tenore incipit, pergit ad finem usque, non adscendit, sed æquali quasi & sedato cursu pergit per quatuor vel quinque dies, ut pejus habere vix avertatur æger; *Hippocrates* hanc febrim summopere laudavit, hæ habent causam putredinis, quæ non adscendit nec augetur, ergo hæ febres sunt satis salutares.

Epacmastica seu Anabatica. Si omnia symptomata, quibus nosco esse febrim Continuam & Putridam, omni hora pejora fiunt, hinc febris sequenti die longe pejor & cum majore tenore adscendens erit, hæc febris Epacmastica, seu Anabatica, quæ plerumque ægrum suffocat & interficit, quando increscit quasi supra ἀκμὴν, *Paracmastica* est, quando incipientes febres Continuæ Putridæ omni hora leviores fiunt vigore febris absoluto, hæ febres sunt optimæ, & sustinent vitam.

§ 729. *Prior salutaris.* Si Medicus videat ex ullo discrimine altero & tertio die hanc esse febrim, certo sciet die decimo quarto febrim esse terminandam, si nil agat, modo obsecundet naturæ, sed si quotidie adscendat, æger moritur, & an septimo die victurus sit, scire nequeo, si descendat, & non sit Hemitritæa, novi ante decimum quartum diem esse finiendam; quidquid *Hippocrates*, *Duretus*, *Cælius Aurelianus* &c. de his scripserunt brevibus his terminis fere includuntur. Quæro, unde Medici sciant, quod febres fiant, malignæ nec ne? hoc ex *Hippocrate* conatus fui sequenti paragrapho enucleare. Nulla res obscurior est in Praxi Medica, quam dicta febris; hæc malignitas vocatur latens conditio Physica in cor-

 pore

pore disponens ad summum periculum, ut desinat circulatio, quando vulgares Medici, qui rem non introspexerunt, vel juniores vel idiotæ audiunt nomen malignitatis, tum putant, quod illi, qui hoc nomen proferunt, habeant distinctam morbi Idæam, hinc desperant de intellectu malignitatis; Excussu scriptorum *sapientissimi Hippocratis* inveni duplicem intellectum hanc vocem ferre posse, vel quod comprehendit nomen stimuli, de quo in præcedentibus amplius satis egi, & hoc est illud, quod vocavit *Hippocrates* τὸ θεῖον *Divinum siderans* quasi *flatu agens* & non istud tenue & invisibile in peste contagium, sed intellexit *Hippocrates* præterea per malignitatem functionis à diathesi inflammatoria læsas, & hæ à Medico sunt noscendæ, de his agam paragrapho sequenti, ponite v. g. ægrotantem febre Continua Putrida laborare; quæstio est, an hic febricitans febri maligna putrida laboret nec ne? Ad hoc respondetur vel intelligitur τὸ θεῖον, quod vocatur Epidemicum, quod facile cognoscitur, nam nemo malignitate pestilentiali laborat, ubi non plures interficiuntur, nam dum talis malignitas inter omnes regnat, facile cognoscitur.

§ 730. Pulsus est fundamentum omnis circulationis, & est cordis actio, hinc ille est consulendus, si hæc omnia in pulsu concurrant in ægro, vix per horam vivet, si nunc pulsus sit tam debilis, ut vix sentiri possit, si tam numerosus vel frequens, ut ejus numerum assequi non possimus, si sit tam inordinatus, ut post decem ictus se non manifestet, si uno momento sit celerrimus, sequenti momento non, aut simul intermittens sit, tum talis pulsus est pulsus morientis, & quo plus hoc adsit

adest, tanto pejus est, hoc signum nunquam fallet, si in febribus Continuis Putridis talis sit pulsus, tum est malignus, quo nunc plus ad hæc signa accedit, eo est periculosior.

Respiratio. Hæc est actio vitalis, nulla sanguinis gutta transit per pulmones nisi ope respirationis, ergo actio respirationis designat actionem cordis, manifestior est respiratio quam pulsus, ergo plus attendo ad respirationem, quam ad pulsum, *Hippocrates in tota sua Medicina* nil loquitur de pulsu sed semper de cita respiratione, angelosa, suprema, profunda, nam respiratio est sensibilior quam profunda, non facile mutatur, & notat totum morbum.

Difficilior, id est, quo plures nixus edat æger.

Narium pinnis. Si nempe æger has partes in inspiratione minus movet, ut illæ dilatari videantur.

Dolens. Hæc est respiratio ægri ad mortem accedentis. Omnes ægri anhelosi certo moriuntur, præsertim quando pulmoni magno molimine opus est ad sanguinem propellendum; quo major est indicatio, eo febris dicitur putridior, quo minor dicitur minus putrida, unde jam morbi malignitas cognoscitur.

Lassatio. Si hac febre correpti se maxime lassatos dicunt, fere semper moriuntur, hoc fit, quia liquido ablato crassa ad majora vasa hærent.

Jactatio. Imprimis totius corporis (dum vires constant) brachii & femoris &c. sed quando vires non sunt & caput huc illuc movetur, notat instantem mortem & ex decem ne unum resurgere videtis; hoc ab omnibus Medicis pro signo letgali habetur, adeo ut noverim Medicos

prædicentes certe morituros ex certis signis, à jactatione desumptis, hoc enim denotat, quod inflammationes vel obstructiones phlogisticæ sunt fere universales, hinc non diu sustinent decubitum in uno latere ob majorem obstructionem, refero hoc ex *Hippocrate*, nec unquam fefellit, nam hoc notat totum systema nervosum laborare & spiritus animales inordinate agere, ut quando homo dicit se quasi fustibus esse obrutum, tum est pessimum signum denotans fere mortem.

Extensis membris. Qui corpus huc illuc jactant, non tam periclitantur, quam qui porrectis membris ut cadaver in dorso jacent, & habent brachium, femora quiescentia, & palpebras, caput & collum movent, nisi sit ab Apoplexia, Lethargo, aliove turbido morbo fere semper moriuntur, hoc notat, musculos nullo vigore sic esse obstructos, ut nil valeant, & corpus à nimia impotentia in dorsum cadere faciant, hinc est signum summæ debilitatis, & circulationem non esse talem, ut vasa æquabiliter movere possint.

Perturbatior. Quo perturbatiora hæc, eo pejora, leve, delirium, malum, delirium majus, pejus, delirium cum furore pessimum semper fere paulo ante mortem accedens, ferox responsum à leni olim homine est pessimum juxta *Hippocratem*, tum dicuntur jam fato perditi (belgice *veege menschen*) cognoscuntur omnes affectus immutati, si quæ ante amarunt, ut liberos, parentes &c, jam de illis non cogitant, tales semper sunt mortui; idem si avarus non cogitet de suis bonis.

Appetitus & digestio quo debilior, eo febris lethalior, quando nempe à dato pauco cibo, si

si febris ingravescat, hoc est pessimum signum. *Urina* rubicundissima & crassissima est pessima, si scilicet, ut dicit *Hippocrates*, sit jumentosa nuper reddita, ut est, à jumentis post labores, id est, simulac emissa est urina lactescit, & turbatur, nunquam vero sedimentum deponit, est pessimum signum, si turbidior sit, semper ut plurimi Medici esse bonum signum credunt, sed distinguendum, nam in initio in morbis Acutis talis est salutifera, sed in totius morbi decursu turbida & crassa manens significat mali humoris in sanguine abundantiam, ut *Hippocrates* jam notauit, urina crassa quasi jumentorum turbida sine levamine est pessima; si tenuior sit in pessima febre, & bona appareat, tum malum hæret in cerebro, & ægri morientur sine sensu, illa tenuis urina est lethalis juxta *Hippocratem*, nam notat crassa retineri, est adhuc inter pessima signa, si æger vix unciam semis urinæ habens in vesica, & illi hæc sit deponenda, præsertim si tum cruda & aquosa prodeat.

Motus. Tremor labiorum, linguæ, manuum, brachii, palpebrarum pessimus.

Tactum refugientes. Hæc sunt inter pessima signa, si prima, secunda & tertia die ægri febri Synocho decumbentis pulsus tangatur, manus non movebit, sed quarta die retrotrahetur, si roges, cur retrotrahis, dicit, nescio, est certissimum & infallibile mortis signum, manus enim prius dormivit, sed quando objectum venit, excitatur quasi, & retrotrahitur motu convulsivo in suo ægro; quod signum *Galenus* primo observavit; sed si dicat æger, Medice, tua manus est frigida, tum non est malum signum, nam est motus involuntarius.

Ludentes. Si quid accepturi tremant, plerumque moriuntur, præsertim si, ubi bibunt, os quasi quærant, *Hippocrati* dicti palposi vel palpantes incerti an quid habeant. Si ægri carpant floccos ad lectum, quasi muscas caperent, hoc est malum signum juxta *Hippocratem*, nisi oriatur ab evacuatione aut nimia catharsi, at à nimia Dysenteria plurimum est lethale signum, si Medici illos rogant, quareita carpant floccos, & respondeant se quiescere, tum apparet mala dispositio cerebri non amplius ordinata, jam quasi pereuns à commercio mentis, hoc optime *Galenus* in Diagnosticis annotavit, quod ipse hac febre laborans sic etiam muscas captaret, tum Medici præsentes dixissent, ecce *Galenus* morietur, nam modo floccos captat, ipse tum nescius se fecisse, sed audiens dicentes cortinam removisset & dixisset, ergo cavete, ne delirium brevi, nam Phrenitis plerumque sequitur, vidi tamen plures emersisse, sed plerumque moriuntur.

Oculi. Hoc nunquam fallit, *Hippocrates* descripsit duplicem oculorum statum 1. oculos luctuosos, si legatis tractatum de peste Massiliensi, videbitis, quod homines habuerint oculos, quos nemo sine commiseratione & horrore inspicere potuit, quando istiusmodi homines rogabantur, ut oculos attollerent, erant terribiles adspectu, dicebant non, sed puto hic esse conditionem physicam, ut oculi exprimant statum terribilem periculi, quemadmodum organa à mente disposita aliter exprimunt, hinc ægrorum sæpe oculi maximam tristitiam repræsentant, si rogentur, quare, respondent se nescire, ergo est talis dispositio cerebri, ut ita fiant sine causa tristes. *Oculi pulverulenti*, tales

les vocavit *Hippocrates*, in quibus scabra sordities adest; versamur in aëre pulverulento, & corpus nitidum servare non possumus, quin statim pulvere plenum sit, sed hic pulvis per lacrymas avellitur, & specie lemarum ad canthum oculi deponitur; hi oculi sunt luctuosi, quod signum est, quod pars cerebri proxima non sentiat, & quod humores cerebri proximi non exeant.

Oculi semi-aperti & sponte lachrymantes. Inter dormiendum est pessimum signum; tum inferior palpebra non it sursum, sed saltem suprema cadit, his quibus hoc adest, lachrymæ non pelluntur versus canthos, sed destillant, hæc sunt signa lethalitatis, nisi magnæ evacuationes vel diuturnæ vigiliæ præiverint, ut *Hippocrates* loquitur. Quo plura horum signorum adsunt, eo morbus magis lethalis est, quo pauciora, eo minus lethalis, nam quo plures functiones læsæ sunt, eo morbus est periculosior.

§ 735. Hæc signa sunt lethalia, nempe si æger parum dormiat mox vero ac evigilat à somno incipiente est turbatus, violenta habuit insomnia, *Hippocrates* dicit hæc omnia fere esse lethalia, pustulæ purpureæ livescentes bene distinguendæ sunt à maculis Variolosis, Scorbuticis & Morbillosis, omnia illa sunt pessima, quæ fiunt à vi morbi, purpureæ pustulæ designant non modo in cute sed ad pulmonem & cerebrum futuras tot Gangrænas, hypochondria tensa docent ibi futuram inflammationem, Gangrænam & mortem; hoc fit, quia sanguis ita facile incrassatur ob lentam circulationem,

§ 731. Quidam viri docti qui hunc libellum legere dignati fuerunt, me non addidisse curam apud hunc morbum mirati fuerunt, sed hi

meam methodum non intelligunt, nam ante dedi: generalis curatio tantum sufficit, videndum est ad omnia symptomata, an inflammatio prædominetur, tum venæ sectio est instituenda, corpus diluendum & refrigerandum.

Varietate. Omne symptoma à Medico cognitum præsens in ægro indicat aliquid faciendi, hinc si Medicus omnia symptomata consideret, habet omnia indicantia, si siccitatem invenias, & sit talis febris, mutare debes, tum nil aliud respicitur, sed si symptoma sit summus calor, tum est examinandum, an per totum corpus, an vero in parte, si per totum corpus, tum sanguinis missio est præscribenda, si vero in una parte, non sum certus, quod venæ sectio sit instituenda, ergo symptomata facile dignoscuntur. Si hic morbus ut (descriptus est) juveni viginti quatuor annorum accesserit & adsint maxima siccitas, & ardor, tum magna inflammatio adest, tamen sanguis non est mittendus, nam est siccitas; hac enim ratione fluidum remanens auferrem & enecarem, sed corpus est involvendum pannis laneis liquido emolliente madidis, vel supponerem aquæ calidæ exhalanti, ut corpus sit quasi in balneo vaporis, clysmata ex emollientibus injicerem, ut syrupum Violarum & aquam Hordei, similes potus darem, maxime saponacea, gelatinosa v. g. succi Citri, Rob Ribesiorum, Cerasorum, Ricorum, Sambuci, cum spiritu Nitri, Salis, &c. si his nil proficiam nunquam curabo. Scio commendari illa maxima sudorifera ut Petra del Porco, lapidem Bezoardicum, Fabam Ignatii, Theriacam, Diascordium, & similia, quia illa ad venenum expellendum valebant, non autem venenum est expellendum, sed nimia

mia sanguinis crassities est corrigenda, hinc fotus, dilutio, & laxatio hic requiruntur.

Ægri conditione. Summus calor oriri potest per vasa stricta, ut accidit in fine Phthiseos, hinc sanguis non est mittendus, quia est paucissimus, & missio sanguinis in hoc casu putredinem accelerat.

Statuque. Nam febris est Epacmastica seu Homotonos, seu Paracmastica, nunc in fine non agere debet Medicus id, quod in initio egisset, nec in initio id, quod in fine, homo v. g. est debilissimus in anabasi à suffocatione, si mittatur sanguis, fit pejor, si Medici hoc observent, non errant, legi Auctores principes ;& eos indagavi, v. g. *Hippocrates* & *Sydenhamus* nil considerarunt nisi quatuor capita hic descripta, scilicet symptomatum vehementiam, deinde ægri conditionem & statum morbi, an in initio, ascensu, statu, descensu, crisi, & ex his dedi quid quid agendum sit, ponite vos vocatos ad ægrum & invenisse Synochum Putridam, unde scietis, an morbus sit periculosus nec ne ? vide paragraphum citatum; hinc attendo ad indicationes vitales, animales, quæ spectant causam, materiam morbi, symptomata, video, qualis sit diæta, potus vel quies, hæc hic disco, deinde video, quomodo ægri corpus ideosyncrasiam & reliqua habeat, his perspectis non hæsito in curatione; an ergo curari possunt? respondeo non, sed in arte non est, ut omnes curentur, sed hoc est in arte, ut nil negligatur μηδὲν ὑπερορᾷν dicit *Hippocrates*.

§ 732. Συνεχεῖς. Hic paululum recedo à clarissimorum virorum sententia, febris Ardens non adeo ad febres Synochos revocatur, sed

ad febres ex Intermittentibus compositas, & hoc factum est, quia *Hippocrates* in febribus Ardentibus observavit alternis diebus esse statum pejorem, si ab inflammato, adscendit, in statu quando apostema fit; descendit, quando apostema factum est, erit ergo 1. Anabatica, si sit inflammatoria, secunda die non est melior, tertia est pejor, atque in febribus Ardentibus observatur alternis diebus pejor morbus, ergo febris Ardens & Pestis non habent causam perpetuo agentem, sed renascuntur, omnes etiam tales febres non vocantur Continuæ sed Continuatæ.



Febrilis ardens.

§ 733. Sequitur Causos sive febris ardens; à καίω uro vocatur, hinc dicitur febris Ardens & Continua, sed tamen cum quibusdam exacerbationibus & proinde quibusdam remissionibus, sed in quonam est febris distincta? Quando calor ad attactum est urens, hinc magnus calor, diu perdurans facit signum Pathognomicum.

Discrimen. Nam si hæc febris non occidat, aliquid participare videtur ex febribus Intermittentibus. Hæc febris aggreditur præsertim rusticos aratores & similes, qui sub ardente cælo laborant. Medicus, qui febrim Ardentem juxta artis legem curare potest, omnes febres Acutas curabit.

Laborem. Huc refero Pestem, prima species Pestis videtur vocari debere febris spirituum, quæ illico occidit sine ullo signo. Secunda est febris

bris Purpurea, de qua *Sydenham*, *Sennertus*, *Forestus* &c. nullos emerfiffe dicunt. Tertia, quæ fit cum diriffimis pyroticis anthracibus, ex hac etiam pauci evadunt, fed à duabus prioribus omnes moriuntur. Quarta fpecies eft illa, ubi facilius fiunt fuppurabiles anthraces, ex qua febre multi evadunt, & tunc definit in febrem Ardentem.

§. 734. *Calor.* Nam in febre ardentiffima manus & pedes algent, dum vitalia funt ardentiffima, hinc in febre Ardente menfura caloris fumi debet ad partes diutiffime viventes, ut eft cor, pulmo, diaphragma, pectorales & abdominales mufculi, hepar, loca vicina & cerebrum.

Inæqualis. Fere femper eft ardentiffimus dolor & calor ad præcordia, ubi eft multum fan guinis. Si frigus ad extrema adfit, hoc docet vitalem fanguinem vix amplius influere.

Incendens. Phrafis eft *Hippocratica*, non enim fignificat, quod in flammam vertat, nam fi explorare vis ægroti calorem, appone dorfum manus arteriæ ejus, dum exfpirat, fenties aërem quafi de fornace egredientem.

Siccitas. Omnia ibi crefcunt & fqualent, quod notat, vel quod obftructa funt madefacientia vafa, vel quod defit materies ad illa fuis liquidis replenda.

Refpiratio denfa, quæ fcilicet multum aëris fimul expellit.

Anhelofa. Quæ fit motu; jugulo, motis coftis, claviculis, brachiis.

Cita vocatur, quæ citiffime multum aëris capit, tardiffime retinet & mox efflat. Hi ægri citiffime refpirant, quia nofter pulmo laborat ad fanguinem non bene meabilem expellendum,

Lingua sicca. Tum æsophagus quoque erit siccus, item ventriculi parietes, si in naribus talis siccitas cortex cerebri quoque erit siccus.

Flava & nigra & est malum signum, pejus est exusta, quasi bullas nigras habens, quæ secedunt, aut scabra instar rastri asperata est pessimum juxta *Hippocratem.*

Sitis inexplebilis. Si hæc cito tollatur, certissimam intra viginti quatuor horas mortem pronunciat, *teste Hippocrate*, tunc enim cerebrum laborat.

Anxietas maximè circa pectus intolerabilis.

Nausea & vomitus, æger nempe horret semper cibos alcaléscentes, sed fert tantum acidos ut poma &c.

Lassitudo. Quasi illæ partes fustibus essent dedolatæ, quia influxus nervosi in partes non fiunt.

Lussicula sicca excreans *Hippocrati* notata, dum siccantur pulmonum vesiculæ, hæ sibi mutuo fricantur, unde hæc tussis, vel oritur, quia pulmo exsiccatus sanguinem non meabilem sustinet.

Vox clangosa. Quæ sonitum edit non quasi ex membranacea fistula, sed quasi ex tuba metallica infra crepitationes æreæ, quæ oritur, quando palatum, fornix narium, larynx & aspera arteria exsiccari incipiunt.

Delirium. Hox est ultimum symptoma, unde puto, quod febres non sint à perfecta inflammatione sed ab inflammatione habente aliquid cum febre Tertiana commune.

Diebus imparibus. Dies pares vocantur 2. 4. 6. 8. & 10. dies vero impares 1. 3. 5. 7. 9. 11. &c.

&c. fcillicet fi æger primo die fe melius habeat, altero die erit melius, die poft iterum pejus, fed in peffima febre vix feptem diebus fupervivunt, hinc fere alternis diebus eft levis exacerbatio, unde ægri moriuntur, fi poft menfem adhuc vivant, fere fequitur Tertiana aut Hemitritæa, fi Semi tertiana alternis diebus ingeminans novos paroxyfmos, continua quidem fit, fed remittens. Ergo fi primo die aliquis fortiter febriciter, fecunda die effulget fpes, tertia die eft exacerbatio, & quarta eft remiffio, fed tamen eft ftatus pejor, quemadmodum fecunda &c.

§ 735. *Labor nimius.* Hinc Ruftici morbo fæpe laborant, præfertim ob labores magnos circa Autumnum.

Iter longum. maxime per loca arenofa, hinc Caravanis febris Ardens eft frequens.

Sitis imprimis æftivo tempore vel in febrili æftu, hinc in illo ftatu, ubi Medici nolebant febricitantibus potus dare, omnes febres fiebant Ardentes. Ab his caufis oriri poteft omni tempore febris Ardens, ergo vix Epidemica, quin Sporadica, nam nemo eft, quin febrim Ardentem fibi procreare poffit, fi fumpferit unam unciam Piperis cum unciis duabus vini, præfertim fi tum evigilans cucurrerit, vel alio modo corpus moverit, ille febre Ardente laborabit; Duces belli ducentes exercitus in Aprile æftuante cælo quantos æftus non perpatiuntur, unde in febres fæpe incidunt, & omnes equi, omnes milites qui cælum, fitim, & æftum tolerare coguntur, hac febri corripiuntur, tum dicitur effe peftis, quæ caftra occupat, fed hic morbus tantum fit à peccato fex rerum non naturalium. In fiti magna fanguis parte li-

liquida orbatus inflammationes parit.

Usus calefacientium &c. Cerevisia Brunsvicensis antiquior reddita, crassa, & ut barbare loquar substantialis, spiritus aromaticus oleosus, ut spiritus Aurantiorum, Citreorum, Anisi, aquæ Theriacales, & Elixiria hunc morbum creant.

Venus nimia. Imprimis æstate in corporibus juvenilibus idem efficit.

§. 736. *Sæpe lethalis.* Febri acutissima corruptus rarissime vidit quartum diem; secundo die non moritur, quia febris tunc fere levior est, sed sæpissime tertio, si perturbatio superveniens cerebellum destruat, lethalior est dies quartus: *annotantibus Hippocrate & Dureto*, quia ad finem quartæ diei oritur quinta dies febris, tertia exacerbatio; id est, ante septimum diem fere semper exstincti sunt ægri; sed si ultra vivant, ut plurimum resurgunt ex hoc morbo.

Solvitur Hæmorrhagia, ut ipse testis sum ex centum hominibus, qui febre Ardente laborarunt, nonaginta novem servantur, quia natura sanguinem ejecit, sed Hæmorrahagia debet esse ingens, & corpus debilitare, nam si tertio aut quarto die paucæ guttæ sanguinis stillent, æger semper moritur, quoniam indicat, quod sanguis tantum quidem in corpore moveatur, ut arterias dilacerare possit, sed sanguinem esse tam densum à magno calore factum, ut exire non possit, cum nullus moriatur, si larga sit Hæmorrhagia, cum nunc Hæmorrhagia sit summum remedium, quod *Hippocrates* inculcavit, videre debemus, quomodo cognoscere possimus illud symptoma esse præsens; si sanetur hic morbus per sanguinis jacturam

turam ; tum in hac febre resoluta menstrua, resolutæ hæmorrhoïdes, arteriæ nasi, hepatis &c. sanant, si ipse sanguis ex his arteriis dilatatis exstillare possit, nulla tamen est via frequentior quam per nares, quoniam arteriæ, quæ hic sanguinem fundunt, primo derivantur à ramo carotidis externæ, secundo à ramo, quæ intra orbitam iens sub osse plano per nares dispergitur, hæc posterior Hæmorrhagia cerebrum liberat, unde hi ægri, qui per Hæmorrhagiam narium sunt curaturi, habent caput dolens, oculos rubros, & distentos, postea sequitur Hæmorrhagia, si nunc causa affectet hanc viam, scire debemus, an natura hoc affectaverit, multi Medici mirantur *Hippocratem in suis libris Prognosticis & Diagnosticis* semper loquentem de stillicidio narium prævidendo, certe inde salus ægrotantium dependet; ergo Medico est sciendum, an Hæmorrhagia futura sit nec ne, nam si futura sit, illa est adjuvanda: sed forte dicetis, quare Medicus sanguinem mittere non potest? quoniam natura partes sic liberat, ut Medicus nullo modo hoc imitari possit, nam alius effectus est solutæ arteriæ ab ipsa natura, quam solutæ venæ, dicit *egregius Bennet*, quod multos viderit homines ad Phthisin dispositos, sanguinis stillicidia per narium arterias ab hac Phthisi liberari, & quod ille sanguis floridus calidus arteriosus ad unciam unam plus demat de pulmonum periculo, quam si libra una esset dempta de sanguine venoso; ergo non est cogitandum, proinde esse, an sanguis dimittatur, sed multum refert, an ex arteriosio, an ex venoso generere venerit, ergo hoc prius facit citam resolutionem, quomodo nunc scio talem Hæmorrha-

rhargiam futuram? Si æger dicat immaniter dolere & torpescere cervicem, & præsertim si dicat, credo, quod cervicem non movere possim, 2. si dicat, quod circa tempora habeat distendentem gravitatem, 3. si ejus oculi caligent, turgeant, rubeantque, si tum dicat, simul tenebricosa caligo mihi offendit lucem, hoc est signum certum, arterias internas esse dispositas, ut hoc faciant, tum enim rami arteriosi nervos involventes optime distenduntur & faciunt Anastomosin, curavi multos istiusmodi caliginosos, sed morbo resoluto caligo abibat.

Præcordiorum &c. Hoc est quartum signum, si dicat æger circa præcordia omnia distendi & aggregari, & tamen nullus tumor inflammatorius in vasis adsit.

Invitis lacrymis. Hoc est quintum signum, nam omni nomini lachrymæ ejiciuntur facto majori motu ad oculum.

Rubore faciei. Ex eadem causa hæc septem signa pronunciant, hærere diathesin, ut si minima fiat occasio, statim sanguis prorumpat, *Hippocrates* hoc videns ferebat nares, & laxabat pannis aqua tepida imbutis, & sic impetum in narium arterias trahere conabatur.

Die decretorio. Primus dies decretorius in febribus Ardentibus est tertius, secundus est quintus, si his diebus, quibus adscensus sunt plerumque graviores, fiat arteriarum solutio, est optimum. Memorabile est apud *Hippocratem* exemplum in matrona, cui hæc omnia hic descripta erant, tamen abortus salvus evasit contra omnem artis canonem, *Hippocrates* hoc videns jussit nares & os aqua calida foveri. Græci vocarunt diem decretorium morbi

&

& sanitatis vim, pugnam, litem, conflictum, nunc hæc statum indicant, in quo determinabatur hæc lis, dabatur morbi vel vitæ victoria, & Crisis ipsis non fuit evacuatio, sed dies decretorius effectus Criseos ex sua hypothesi dixerunt, nec mala, sed tantum hoc tempore luctari vitam & mortem, ac hinc vocarunt statum vel diem in quo apparebat victoria unius, id est, vel vitæ vel mortis, hinc dicitur Crisis à κρίνειν decernere, hinc Latini diem hunc dixerunt decretorium, si hac die decretorio vis vitæ prævaleat, tum oriuntur sequentia symptomata. Nempe vomitus atrabiliaribus exassatus in intestinis, aut hæc materia deorsum per alvum eliminabitur, aut sudor exit subviscidus bene calidus, levans aut urina multa cum Stranguria crassa sedimento redditur.

Sputo crasso. Quando materia abundans sic fistulas pulmonum & bronchiorum dilatat, ut non purus sanguis, sed mucus sanguinis per hæc vasa exeat; nam sic ut in omnibus mulieribus menstrua sine ruptura exeunt, & ita hæc vasa dilatantur, ut in materia glutinosa sanguinis proxima exeat, hoc videmus in Peripneumonia, quæ si sanatus erit æger à natura prodeunt sputa, unde illa? ex vasis sanguiferis, nunquam ex venis, nam illæ non facile rumpuntur, non sanguinem fundunt, ergo ex arteriis, nunc pulmo sanguinem accipiens, cum perpetua tussi ejicit hunc sub specie materiæ flavæ & tenacis; hinc morbus solvitur sputo crasso, quia in omni Ardente febre est extensi in Schneideri membrana.

Accessio die pari. Regula est *Hippocratis*, quod accessio pari die sit pessima, si æger die secundo, quarto aut sexto post accessionem novo

Pa-

Paroxyſmo obruatur, fere ſemper moritur, nam dies impar erat initium morbi, dies ſecundus erat remiſſior, tertius erat exacerbatior, ſi nunc ſecundo & quarto die utpote diebus bonis quoque exacerbatio ſit, augebitur malum, & tum nemo ferre poteſt, & fere ſemper eſt morbus lethalis; addit *Hippocrates*, ſi octavo die ſit acceſſio, ſignum eſt febrim non eſſe ardentiſſimam violentam, quæ ſeptimum diem nunquam tranſit, ſed ante hunc diem ægri mortui ſunt, hinc ſi ſeptimum tranſcendant, liberantur.

Ante ſextum diem. Quia omnis febris Ardens, ſi tranſeat ſextum diem, amiſit naturam febris Ardentis.

Urina nigra. Loquor de febre ardentiſſima, in Peſte urina ſæpe eſt inſtar atramenti, notat olea eſſe ambuſtiſſima.

Tenuis. Quia pars craſſior in renibus accumulatur.

Sanguinis ſputum. Quia pulmo motu & ſumma vi ſtatim obruitur, ut in pluribus caſibus obſervare licuit, vidi hoc in primario homine, à quo cum diſceſſiſſem, inveni eum per ſputum exſtinctum, quod notat in vaſis cordi vicinis corruptelam, ut interiora magis ſint corrupta.

Mictus. Sive fiat ruptis aut dilatatis vaſis peſſimum eſt ſignum, nam turbat totum corpus, hinc *Sydenham* in febribus Ardentibus & Variolis ſemper hoc ut lethale ſignum annotat, quod notat cerebrum ſic eſſe diſpoſitum ut nulla ſpes amplius ſuperſit.

Deglutitio læſa eſt peſſima ut cauſa & ut ſignum, ut cauſa, quia bibere nequeunt, nec ſine potu ſanantur ut ſignum, nam notat omnia

omnia in pharynge obstrui pessima obstructione.

Refrigeratio extremorum pessima, nam tunc non fit per hæc loca circulatio, id est motus sanguinis jam transire nequit.

Facies rubra. Homines habitu vultuoso optime vivere & valere videntur, sed hoc denotat, quod sanguis appulsus per venas jugulares transire & in sinum *Lowerianum* se exonerare non possit, hinc cerebrum obruitur & carotides internæ turgent.

Sudans. Si febricitantes nullibi in corpore sudent nisi in facie, est signum sanguinem à capite deorsum defluere non posse.

Parotis suppurans. Parotis vocatur tumor inflammatorius in glandula salivali post aures latente, si adsit, notat summam inflammationem ad superiora vergere, si hæc suppuretur, æger liberatur, si non, notat in reliquo corpore sanguinem adeo acrem, ut vasa intestinalia aperiet; subducat tenuissimum & inflammationem augeat.

Alvus nimis fluxa est duplex in principio & fine morbi, in initio fluxu alvi laborantes servantur, in fine vero est signum lethale, quia significat omnia esse putrefactione liquefacta.

Cum tremore. Nam febri Ardente laborans si tremorem & delirium habeat, notat cerebrum & cerebellum inflammari.

Delirium. Trementes dein delirant, quod notat materiem obstruentem jam hærere ad caput.

Anhelitum significat, quod sanguis ire non possit per pulmones & mortem instare, nam omnes, qui febre Ardente enecantur, Peripneumonia moriuntur.

In-

Ingentia alvi tormina. Si hæc præcesserint notat, quod fuerit inflammatoria diathesis ad vasa, unde facile materia expeditur, sed si nulla fiat resolutio, nil est exspectandum, nam in febri Ardente natura per alvum ruere debet, si hæc non fiat & accedat febris, tum est pessimum signum. Omnis febris Ardens, si critice solvetur, cum rigore solvitur, certe sanabilis est diathesis tendens proxime in inflammationem per arteriam totius corporis, si nempe sit perfecta febris Ardens, & si sanabilis sit, ergo cogitate, quod sit sanguis aggregatus in systemate arterioso, & quod pauca sanguinis copia eat in systema venosum, si nunc hic morbus erit, solvetur, hæc solutio in eo consistit, ut materia transire non potens in venas eat, tum non amplius sit attritus à sanguine in ultimis arteriis compacto, vasa laxantur, & sanguis cum impetu in venas dimittitur, sed omnis sanguis, qui fit rarior, eo tempore quo fit rarior, facit frigus, omnis sanguis rarus minus pressus in venas derivatus facit frigus, tum æger putat quasi congelasceret præ frigore, paulo post iterum copia vasorum solvitur & iterum oritur ingens rigor, id est horror, vel sensus refrigerationis; hic est decursus febris Ardentis, & sic loquitur *Hippocrates*, nam in toto *Hippocrate* nil de causis invenietis.

§. 737. Cognoscitur. 1. ex febri. 2. continua, 3. ardentissima ad calorem circa vitalia, 4. immensa siti, & 5. ariditate ad omnis corporis partes.

Causa materialis est sanguis crassatus, compactus, tenax & piceus causa efficiens est inflammatio, idea hujus morbi sunt solida maxime infarcta, humida, oleosa, acria crassa, sic à ve-

à veteribus ſanguis exuſtus fuit dictus, male ergo recentiores hoc nomine irriſerunt veteres, nam in cadaveribus exſtinctorum fere talis apparet, & cum à ſummo ex hac febre calore oriatur, non male ſane illi hoc expreſſerunt. Unum eſt, quod vobis contradictorium videri poſſit, eſt ſcilicet ſuffocatio in humoribus & major calor, ſed omnis calor fit à circulatione tantum in arteriis & venis primi generis non in vaſis ſeroſis nec lymphaticis, ſi nunc vaſa ita ſint diſpoſita, ut per vaſa lateralia non magis fiat circulatio, tum videtis, licet obſtructio dimidiam partem corporis occupet, quod tum tanto major fluxus fiat per vaſa primi generis, nam raro fit obſtructio in vaſis primi generis, aut ſubita eſſet mors, ergo maximus calor eſſe poteſt, licet minor fluet copia.

Parte blandiori. Bhonius obſervavit, quod in ſanguine phlegmonico non globi ſed flocci adſint, hinc ſanguinis rubri particula non per puncta ſed per ſuperficies ſe contingunt, adeoque impotentes fiunt per vaſcula fluere, quæ eſt altera cauſa inflammationis, vide *Caput de Inflammatione*.

Præſagia. Nam ille morbus accedit, ſi non brevi juvetur inſpiſſato ſanguine, nata obſtructione & vaſis minimis deſtructis, nam calor in febre Ardente aſcendit ad 94. ſed in eo calore ſanguinis ſerum & albumen ovi coagulari incipiunt *docente Chemia*, præterea Sulphur inflammatione productus eoſdem affectus habet quam alius ignis, vide paragraphum 370. & ubique æqualiter agit, quibus penſitatis facile periculum ſubſequens videtur; ſi inflammatio magna & humores maxime depravati, nemo inde ſanabit, hinc tam pauci reſurgunt, & in progreſ-

fu omnia sunt frustranea, quia inflammatio est nimia & sanguis nimis spissus, hinc plerumque transit in mortem; scio inflammationem universalem à quibusdam Neotericis in dubium vocari, quia dicunt homines sic non vivere posse, si esset tota in toto, sane in Pleuritide & Peripneumonia est inflammatio inter ortum & exitum, in Gangrænam, quod est tempus intermedium; hinc præsagia morbi sunt notissima abituram in Gangrænam, quæ ad cerebrum, cerebellum, pulmones & viscera pergens cum tremore & convulsione mortem affert.

§. 738. Hic morbus curatur, si cerebrum ac pulmo aliquatenus bene se habeant, tum non est desperandum de curatione. Singularia Antidota & Bezoardica ad febrim Ardentem non valent, nam centies expertus sum nil effecisse, sed vidi solum, quod contra morbi ideam pugnent.

Exigit. Natura curat hunc morbum per Hæmorrhagiam, vomitus, sudores, urinæ fluxus &c. hinc Medico est prospiciendum, quam viam natura moliatur, eique tum succurrendum, nullum enim hic datur specificum, nulla remedia febrim compescentia.

Aër purus. Ut hoc fiat, non sint multi homines in cubiculo ægri, nam horum exhalationes sunt fere putredinis vapores & putredo hic maxime nocet, aër debet esse frigidus, gelidus nocet, sed frigidiusculus reficit, & in eo optime respirat æger, cortinæ non debent esse clausæ nec camera obscurissima, qui malus est mos apud nobiles, sic enim propriam Atmospheram putredinosam inhalare coguntur, est contra methodum *Hippocratis*, aër non sit inquinatus, at frigidus depuratus novo semper, allato,

allato, ne æger inquinamentis suis necetur, hinc intra cortinas non coërcetur, vel loco obscuro aut calido, quod pessimum est.

Integumenta. Nam hæc angustant vasa & comprimendo venas attritum producunt, hinc tempore Hyberno nobis prospicimus, quibus arctando vasa frigus arcemus & calorem producimus; quo enim corpus in hoc casu plus calefactum est eo pejus.

Situs erectus. Nam jacenti sanguis longe magis hæret in vasis capillaribus, quam si æger sederet, homo enim, qui stat in capite, habet totum caput tumidum, sed si sedeat, tantum pinguedini insidet, natibus suppositæ & se perpetuo movet, sed decumbens plurima vasa comprimit, vidi, quod in febribus miseri ægri delirantes & somniantes simulac de lecto accepti & positi capite erecto statim melius se habuerint, quod *Sydenham* optime observavit, hinc si supini jacerent ægri haberent varia phantasmata & capitis perturbationes, quæ erecto paululum capite optime cessabunt.

Sæpe. Idem est de Convulsionibus, Spasmo & Crampo &c. nam si tunc æger se erectus teneat, non laborabit, si jaceat, malum recrudescit.

Potus copiosus optimus est non uno momento ingestus, aliter æger fit Hydropicus, aqua si lente & parum simul admisceatur, vi circulationis penitus sanguini admiscetur, aliter per urinam sanguini non permista abit, debet esse blandus & demulcens, nam omnes sales sunt acerrimi, debet esse subacidus, quia putredo prædominatur, aquosa maxime diluunt, potus debet esse calidus, quod mirum jam quibusdam videtur, sed probatur auctoritate

tate *Hippocratis* vel tepidus, nam potus frigidus coagulat ſanguinem, ut ſanguis è corpore extractus ab aëre coagulatur, hinc potus frigidus diaphragmatis & arteriarum intercoſtalium ſanguinem coagulat, & polypos facit in corde, creat Pleuritidem ad arterias intercoſtales & Paraphrenitidem in diaphragmate &c. ſed calidus potus melius ſanguini ſe miſcet & plus laxat, *Galenus* bene dixit, quod frigida conſtringant, ſi ægro febre Ardente laboranti detur gelidus vel frigidus potus, ſentiet ſe ilico refocillari, ſed momento poſt quando vaſa plus per frigus contracta ſunt, redit calor & anxietas & oppreſſio verſus cor, ſi vero detur aqua calida vel Coffé vel Thée cum multo melle, vaſis laxatis humores diluuntur, & fit refrigerium gratiſſimum, notiſſimum eſt, quod ab itineribus redeuntes, ſi aſſumant potum calidum, optime ſe habeant. Potus optimus eſt ſequens.

℞. Tamarindorum ſelectorum ℥iij
Aqua puræ ℔viij
ebulliant ſpatio ¼ horæ
adde Syrup. Violar. ℥iij
M.

Hoc reſiſtit putredini, temperat oleoſum, ſolvit coagulum, laxat alvum & urinam provocat; potus debet eſſe gratus ut lac recens preſſum in ſerum defloratum aut decoctum Hordei cum ſucco Limonum & ſacchari aut aqua decocti Hordei cum $\frac{1}{10}$ Vini Rhenani, & audeo hic dare vinum ſic delutum, adde ſucci Citri uncias, altero die detur cereviſia Neomagenſis tenuis, calida, aut alia tenuis recens

recens, altero die lac ebutyratum vel succus expressus ex Cerasis, Sambucis, Ribesiis, Ebuli baccis &c: & dein leniter decoctus addito succo Citri & affatim potetur optimum est, ut ego sæpissime expertus sum.

Cibos leves. De his in præcedentibus prolixe egi, debetis omnes hos cibos noscere, ne deficiatis, quando Praxin exercebitis, date enim potius cibum quam non cibum, hoc repugnat præcepto Hippocratico, sed *Hippocrates* quando ptisanam præscribebat, dabat cibum, sed quando abstinentiam præscribit, intelligit ab iis, quæ nocere possunt, nempe jure carnium, ovis, piscibus & oleis alcalescentibus, quæ hic valde nocent & putredinem accelerant, ergo detur 2. die solum Lac ebutyratum cum pauca farina Avenæ coctum & per setaceum transmissum, ut fit tam tenue ut aqua, vel uncia una Avenæ vel eadem quantitas Hordei (nam Avena in decocto deterior.) decoque in libra una aquæ, hoc sumo pro basi adde $\frac{1}{3}$ lactis, habetur Hydrogala avenata optima. Secunda die serum lactis recens coctum cum Oryza & per cribrum transmissum, vel adde parum panis tosti & Vini Rhenani frigidi. Tertio die decoctum Hordei cum aqua & pauxilum succi Citri, vel poma acida cocta in aqua Hordei, ut habeatur pulticula pomata, linteo trajecta adde unum foliolum Macis & parum Vini Rhenani. Quarto die Cerasa vel Ribesia matura in aqua cocta & edulcorata cum pauco saccharo & pane tosto modo immerso, sed non opus est, ut æger edat panem. Quinto die Avena in aqua cocta & in pultem contusa addito succo Limoniorum vel Citri, & sic finis non esset, nam millena sunt, quæ sic præscribi possunt, quando æger

de medicamento v. g. de lacte ebutyrato dicit se non posse assumere, hoc mihi repugnat, tum plurimi Medici dicunt, debes assumere, & sic crudeliter satis miserum torquent ægrum, sed cum ægro favere possim & tamen eum à morbo liberare, cur hoc non facerem. Multi hic evehunt gelatinam Cornu Cervi, Eboris in scobem redacti, vel jura carnium, quæ gelatinæ, si sint admodum tenues & non crassiores ac serum lactis, & tantam succi Citri copiam admixtam habeant (ut penitus acidæ sint, tum ratione aciditatis conveniunt) sed ratione alcalescentiæ non, nam pauca alcalescentia dare est flammam oleo affundere, cum ergo apud Magnates ita laudentur? sub hac conditione assumi possunt, addito multum de Omphacio de Limonis, de Aceto Sambuci, de Aceto Lavendulæ &c. tum hæc amittunt suam vim alcalescendi, retenta vi nutriendi.

Venæ sectio. Hic decido, quantum omni scientia possum, signa, quibus cognoscitur, an venæ sectio conducat nec ne? regulas generales curationum periculosissimas esse ante demonstravimus, ante tertium diem venæ sectio prodest, sed quarto die plerumque moriuntur ægri, hinc hoc tempore non mittatur sanguis, tum enim venæ sectio pro mortis causa accusaretur, si calor sit maximus circa præcordia & frigus in extremis, anceps est venæ sectio, nam nescio, an subducturus sit totum paucum sanguinem circulantem, in fine morbi sanguis est piceus, crassus & paucus, qui si tollatur, nil superest, si nimium rarescat, tum fieri potest, aliter non; revulsio à pulmone & hepate necessatio venæ sectione perficitur &c. hinc non semper mittendus est sanguis, & si sanguis nimis

nimis refrigeratur in ultimo morbi tempore non fiat venæ sectio, in initio enim vires adhuc sunt bonæ.

Rarefactio nimia apparet per vasa tumescentia.

Symptomata urgentia, ut dolor, summus æstus in aliqua parte, omnes Medici practici dicunt minuendum esse sanguinem, sed quam male hoc cedat, sæpe vidi, nam sanguis sæpe est paucissimus, tunc si subducatur sanguis, æger moritur, quia post sanguinem missum non statim in vasa rursus defertur sanguis, quoniam arteriæ ita obstructæ sunt, ut pauca copia sanguinis adhuc fluidi remaneat in vasa, quæ sola erat causa, ut cerebrum & cerebellum adhuc sustinerentur ab illo pauco sanguine; hinc Medico semper est animadvertendum, an non aliquid contraindicet, si vero hæc signa recensita adsint, sanguis ad animi deliquium usque audacter mittatur; si enim sit aliqua spes in sanguinis missione, tum est instituenda, ut inferiora solvantur, hoc est cum rigore, sed quoniam multæ circumstantiæ hoc vitare possunt, melius est repetere venæ sectionem, quam unica vice omnem sanguinem detrahere, ut videamus, quomodo primam ferat æger, nam metus esse potest, ut talis sit obstructio, ut non statim sanguis ad vasa eat, & tum sequeretur mors, nec in ἀκμῇ instituatur venæ sectio, sed in initio; vidistis in puella febri Ardente mortua, quod si sinus cerebri fuerint depleti, cortex etiam imo medulla rebicundissima fit, quid ergo tum per venæ sectionem efficitur, nisi vita tollatur, hoc est paucus sanguis, qui adhuc est in venis, educitur, qui tamen, ut vita permaneat, ad dextrum cor ire debuit, si

ergo morbus sit in initio & corpus sit juvenile plethoricum robustum &c. tum sanguis mitti potest ad refrigerium vel repeti, pro ut res requirit.

Clysmata. Hoc est maximum arcanum in talibus febribus, hæc quater intra viginti quatuor horas sunt injicienda vel ad minimum mane & vesperi, hac enim ratione omnia laxantur vasa, humores diluuntur & refrigerantur, calor temperatur & omnia symptomata tolluntur; non inde concludo clysmata ubique convenire, nam scio in morbis Chronicis, ubi est laxitas nocere, sed ubi strictura, calor &c. faciunt morbum, in nimia copia dari non possunt, licet omni hora darentur, nam simulac ægri sese melius habent, remitto, non vero hic intelligo clysmata purgantia, sed talia, quæ tantum modo lavant & corpus laxum reddunt, Galli hoc vocarunt *lavement*; constare modo debent ex simplici aqua, aut quod adhuc melius est ex aqua, in qua farina Lini cocta cum Melle & Nitro mixta est, singulis diebus ad uncias ℥x pro re nata tuto injici possunt, vel ex aqua Hordei, & sero lactis hydrogalo si vero videas, quod calor jam cessaverit illis est abstinendum, aliter corpus redderetur Hydropicum.

Colluendo. Hoc tantum bonum facit, ut incredibile sit, æger prius surgat, sedeat sedeli, habeat tibias immersas aquæ calidæ, quamdiu sedet, habeat stragula supposita, ponatur pelvis ad manus, uti sedeat in aqua tepida, colluat os, ponantur spongiæ circa axillas, aures, poplites, inguina ex aqua Rosacea & aceto Rosaceo, & ubique, ubi humores se insinuare possunt, liquores ore hausti optime pulmo-

mones humectant, quos in mortuis aridissimos vidimus, sic os & nares humectantur, nam hæc siccata sæpe mortem induxerunt non per se, sed quia docebant pulmones siccatos, hinc sæpe gargarizetur os aqua Hordei.

Medicamenta. Sola medicamenta conveniunt, quæ sunt acida, aquosa, nitrosa, quæ omnia in uno medicamento habere possunt.

℞. Tamarindor. Orient. select.
Sempervivi major. Succulent.
Rad. Acetosæ Pratensis
recenter lectæ ana ℥iv
Ebulliant simul cum octo libras
Aquæ ad consumptionem $\frac{1}{3}$ partis
fere ut remaneant sex libræ
admisce Syrup. Acetosi Citri
ad gratum acorem singulæ libræ
addatur Nitri puri ʒj
M.

Bibat omni quadrante horæ ℥vj hoc medicamentum omnem putredinem arcebit & refrigerabit, si vero calor desierit, & æger satis fuerit refrigeratus, tum est abstinendum. Medicamenta, quæ hic conducunt sunt sequentia, quo aquosiora, eo meliora, blanda non acria, nitroso grato acore sapida, alvum leniter laxantia, pruna acido dulcia, Tamarindi, sal Prunellæ, Crystalli Tartari &c, præterea urinæ materiem præbentia, & Diuretica, nam urina est cloaca, qua sanguis abluitur, hinc simul materia redditur fluida, hæc sunt Cerasa, Fraga, Ribesia, bacci Mori, Sambuci, Ebuli, Pyra, Poma acida diverso anni tempore se insequentia, adsint Hyeme rob. & alia ex iis præparata,

aqua diluta, quæ dari possunt; sanavi centenos pauperes, febre hac Epidemica laborantes solo Ribesiorum decocto, succo expresso admisto sale Nitri, sola fusione depurati, venæ sectione, si medicamenta præmissa justo regimine præscripta sint, omnes fere curantur, hoc modo sudor bonus elicitur, qui non movet, nec exsiccat; tandem adduntur diluentia & temperantia. Multi magni viri hic graviter errant, qui credunt Alexipharmaca & Diaphoretica ardorem tollere; sal laxans & parum stimulans conducit, sed acria & stimulantia nocent, hac ratione contractio in solidis & crassities in fluidis curatur; hinc non video, quod hic morbus sit adeo incurabilis quam vulgo dicitur, si hoc modo cura peragatur, sed ægri sæpe violentis medicamentis enecantur, vidi ipse in prima Praxi fidens nimium violentioribus medicamentis Chemicis plures mortuos, sed postquam jam datum methodum adhibui omnes fere curavi, à Diascordio, Theriaca Mithridatii, Sale volatili Cornu Cervi, spiritu Succini &c. horrenda oborta sunt symptomata; experientia & ratione bene edoctus, dein fere omnes dicto modo curavi, in initio Praxeos risi fere simplicissimam *Hippocratis* methodum, dum videram illum virum solo potu seminis Orobi similis fere nostro Coffe aut sero lactis similive simplici per aliquot dies successivos hunc morbum curare velle, sed frustra adhibitis tot Neotericorum specificis hanc denuo veram expertus sum viam. Præterea Ardentes febres & Synochi reliquæ mitiores sunt, & hinc facilius sunt curandæ.

§. 739. Nam dixi de calore febrili, & in quo calor peccet, nunc in posterum dicam de febri-

bribus calidis, à capite incipiendo, nulla hic dantur remedia ſpecifica, nec famoſus Lapis Pedro del Porco Hyſtericis aliquid facit, ſed noſſe arcana eſt noſſe methodum.

§ 740. Morbi Acuti Febris Ardens inflammationem habet, vel per totum corpus vel in quadam parte affecta, quæ generalem inflammationem pro cauſa habet, ejus curam dedi, nam omnes Synochi ſimplices vel Synochi putridæ vel febres Ardentes, vel reliquæ febres cognoſcuntur, ergo ſequitur, ut agam de inflammationibus, quæ in parte quadam contingunt ut v. g. in Pleuritide, Ileo &c. hæc enim requirunt aliam curandi methodum, quia ad duo eſt circumſpiciendum, ergo ſequitur, ut de his agam quod præſtabo, ſed prius de Intermittentibus aliquid dicam.

Febris intermittens.

§ 741. Febris Intermittens cognoſcitur ex febre Ephemera, quæ poſtea relinquit ſigna orituræ febris, de quibus ſignis ante egi. Febris Intermittens eſt plane definens & recreſcens ſpatio libero intermedio ἀπυρεξία dicta.

Diagnoſis. Febris Intermittens cognoſcitur quando per periodos redit febris Ephemera poſt paroxyſmum hominem plane liberum relinquit, ſed Intermittens poſt paroxyſmum ægrum defatigat, appetitum dejicit, urinam rubeam facit, omnis febris, quæ intra ſex horas cum exacerbatione ad ἀκμὴν tendit, non eſt Ephemera, nec Synochus, ſed Intermittens, his præ-

missis cognoscitur quoque febris Intermittens in suis speciebus; si adsit magnum frigus diu durans, vomitus, magnus calor diu permanens, tum fit Tertiana, non erit Synochus, quia intra sex horas adscendit, stat & decrescit Febris quotidiana est vel Hectica, quæ pomeridiano tempore certa hora increscit, vel 2. quotidiana est ex aliis composita. Intermittens vocatur, quæ semel nata ex certa causa adscendit, stat & descendit, & quando desinit, plane abest, supponit ergo causam, quæ non semper agit. Simplicissima Tertiana vocatur febris, quæ intra viginti quatuor horas incipit & desinit, ac tum diem salutarem subsequentem habet, antequam redeat, eaque perfecta erit, si stato tempore iterum invadat iisdem symptomatibus. Tertiana duplex est, quæ v. g. primo die invadit ante meridiem, secundo die post eundem, tertio ante meridiem, quarto post eundem, vel potest etiam Tertiana geminata esse, quando primo die quo paroxysmi adsunt, secundus dies est liber, & tertio die iterum duo paroxysmi, hinc potest esse Tertiana, cujus omnes paroxysmi iisdem symptomatibus terminantur, sed quando Cacochymia abest, hinc Hectica videtur potius ad Quotidianas referri posse, si paroxysmus duret à primo die ab hora decima usque ad horam decimam sequentis diei &. alter paroxysmus tum iterum veniat, qui ad viginti quatuor horas duret, dicitur Tertiana geminata continua seu Hæmitritæa. Quartana febris dicitur, quæ quarto quoque die redit v. g. si primo die fit febris, secundo & tertio non & quarto iterum redeat, si eodem redeat tempore, quo primo die vocatur exquisita, si vero redeat alio tempore, dicitur

citur vaga anomala, quæ nunquam est boni moris hæc vocatur duplex, quando æger primo die duos paroxysmos habet, secundo & tertio die benevalet, & quarto die paroxysmis iterum afficitur. Quartana tergemina est, quando primo & secundo die alio tempore aliis symptomatibus se manifestat, tertio iterum alio tempore; & quarto respectu primæ, quinto die respectu secundæ, & sexto respectu tertiæ decurrit, tum Quartana triplex vocatur, quæ à Quotidiana & Tertiana distinguitur, de omnibus his febribus optime egerunt *Hippocrates*, *Sydenham* & *Bellinus*. Si febris Quartana fiat continuata, *Galenus* optime notat ægrum moriturum.

§ 742. *Dominatur.* Non ergo nomen à tempore, quo prædominatur, sed à tempore quo prædominari incipit, sic Tertianæ hodie dominantes à febre pergunt usque in Augustum, Quartanæ Augusto incipientes in Vernum durantes semper nominantur à tempore, quo incipiunt, non à tempore quo durant, si estis in regione mensis Februarii vel Martii & adsint febres Tertianæ violentæ, tum omnes morbi, qui sequenti anno ad Augustum decurrunt, habebunt typum Tertianæ, sed circa Autumnum definet, & alia incipiet, sed forte sequenti anno illa febris redibit.

Necessaria. Febres Tertianæ mense Martio incipiunt, quia deprehendunt corpus mucosum phlegmaticum ad mensem Julium, tum erit genaralis diathesis qualis mense Februario, unde sanantur; hinc Quartanæ Vernales raro diu durant, sed Autumnus deprehendit corpus exsiccatum per calorem & traditur gelidæ hyemi, hinc Quartanæ Autumnales omni tempore dif-

ficilliores & expugnatu difficillimæ, hinc bene est annotandum, quod omnes febres Vernales de inflammatorio morbo participent, & purgatione & sanguinis missione curentur, sed in Autumnalibus, si mittatur sanguis, aut si dentur purgantia, in Hyemem durant & fiunt pejores, ideoque debemus observare & distinguere has febres; ergo si æger inciderit in Tertianam Intermittentem tempore Verno, est Vernalis, si Septembri erit Autumnalis, Novembri, Decembri manent Autumnales, sic duplex est Intermittens; hæc distinctio autem est ingens, nam varii sunt moris Tertianæ, ita Autumnales pejores, quia his magis exassatus est sanguis, Vernales cito terminantur; Autumnales vero diu durant. Tertianæ Vernales pergunt contra calorem, Autumnales contra frigus tendunt, hinc Tertianæ Autumnales sunt temperandæ; nam in his symptomata quotidie fiunt graviora; Vernales abeunt sine relicto alio morbo cum crisi perfecta, sed morbus Autumnalis incipit futurum frigus, hinc non tam facile tollitur, facileque post se relinquit morbos Chronicos, non mirum est febrem Autumnalem Majo mense curari, nil enim facilius est, sed eandem mense Decembri sine cortice Peruviano curari artis est, hujus Quartanæ Vernalis curationis levissima est duratio, omnes Vernales non diu protrahuntur; Autumnales quavis methodo pertractatæ sint pertinacissimæ, in febre Autumnali venæ sectio, purgatio, & refrigeratio est pessima; Quartanæ regulares circiter circa Augustum, Septembrem, Octobrem, incipiunt, deficiunt Martio vel Aprili, febris Vernalis solvitur in calore superveniente; febris Autumnalis augetur per frigus succedens, unde

unde dicit *Hippocrates*. Febres Quartanæ vix nisi post Hyemem solvuntur, purgationes non feruntur à febribus Autumnalibus v. g. febris Quartana Autumnalis non solvitur à pulvere Cornachino, sed remediis incidentibus sanguinem, quæ saponacea & subacida esse debent.

§. 743. Pauci hoc norunt, non scio, quod ullus Medicus hoc explicuerit præter solum *Sydenhamum* v. g. Quartana habet certum typum clausum, si quis velit curare Quartanam Vernalem (ut dicit *Galenus*) & dat calefacientia, facit in ejus corpore æstum, hoc est, dat medicamenta, quæ æstum faciunt, unde æger sæpe moritur, sed febris Quartana Autumnalis ab his curatur, si nunc Quartana nascatur eo tempore, quo corpus dispositum est ad Hyemem, nascuntur febres Continuas mentientes. cum nunc Medicus nec missionem sanguinis nec purgantia nec debilitantia applicare debeat, sed resarcire, quod est exhaustum & sanguinem diluere, si tamen subministret priora, Quartana fiet lethalis; hæc sunt in Medicorum arcanis de Quartana non lethali, idem de Tertianis Autumnalibus verum est, qui Autumnali febre laborant, iis si dentur levia medicamenta, habebunt Quartanam, si vero hic morbus tractetur, ut morbus inflammatorius venæ sectione, diluentibus, vasorum laxatione, tum tota Hyeme laborabit æger, hoc facile est animadvertendum, nam attendendum est ad temperiei caliditatem & ad signa inflammationis, si hæc non adsint, tum sunt febres Intermittentes, ingens est error, quod omnes Medici, qui antiquos sequuntur, velint in omni morbo minuere vires, nec minus est error eorum, qui nunquam volunt vires minuere, nam Me-

dico est distinguendum an ab inflammatione partium, an à diathesi inflammatoria, ne Medicus semetipsum fallat, quia febris diu durat, ante biennium orta est cacochymia in bile & in hepate, unde febris est nata, de qua dici non poterat est Continua vel Intermittens, nec Quotidiana, nec Tertiana, nec Quartana, sed erat cacochymia, omnes Medici, qui dederunt corticem Peruvianum, ægros suos in plurimos morbos Chronicos injicientes mortem accelerabant, & omnes ægri, qui leniter tractabantur, sanati sunt.

§. 744. Vulgare in Medicos fuit dictorium, expone, quid sit febris, erisque Philosophus. Febris Intermittens, est crux Medicorum, hinc maxime huic morbi est prospiciendum.

Pandiculatione, id est, coacta membrorum extensione non ingrata sed cum sensu voluptatis.

Lassitudine. Quasi musculi multum operis fecissent.

Frigore. Nam frigus non oritur primo sed post hæc quatuor signa prægressa.

Rigore, hoc est, frigore cum rigiditate & inflexibilitate articulorum, uti in moribundis & mortuis.

Tremore. Uti in lingua, labiis, imo tanti sæpe sunt tremores, ut genua, manus & maxillæ collidantur.

Pallore. Ungues livescunt, labia cærulescunt & facies pallescit.

Respiratione difficillima. Quia ob frigus omnes partes accipiunt contractilitatem & sanguinem nimis ad cor accelerant uti & ad pulmones, qui cum se expandere non possunt, tum sanguis accumulatur inter cor dextrum & pulmo-

monem, id est, inter ultimos arteriæ fines per totum pulmonem dispersos & inter venam cavam.

Pulsu. &c. quia sanguinis pars redditur cordi sinistro, hinc cum non habeat tantam sanguinis copiam, ut eum per totum corpus infundere possit, hinc æque palpitat ad cor dextrum, sed ob sanguinis inopiam fit pulsus citatus debilis & parvus quoad vires.

Hæc symptomata non mutantur, nisi mutetur febris, si febris sit exquisita Intermittens, tum hæc symptomata semper adsunt.

Hæc pejora. Id nunquam fallit, si frigus diu duret, uti & calor morbus erit pejor, qui Quartana laborat vix nullum magnum frigus habet, uti vix magnum æstum.

Periculosus. In febribus Intermittentibus nemo moritur nisi tempore frigoris, si hoc tempus superet, nunquam morietur ab illo paroxysmo, sed non hic loquor de febribus Continuis, ubi homines sæpe in ἐπακμῇ moriuntur. In Hæmititræa vel duplici Tertiana primo die male se habent, secundo melius, tertio pejus, quarto melius, quinto pejus, & die impari exstinguitur, quo acerbatio accedit, urina est cruda, & tenuis, pallida, maxime devians à naturali & plerumque satis copiosa.

§ 745. Sequitur alter febris status in calore primo cordis, dein distributio per totum corpus, maxime rubore cum pallidi fuerint, suffocati, qui prius libere inspirabant, pulsus fit celerior, qui erat tenuis & debilis, jam fit fortis & lentior, sitis dolorque capitis ingens, hic status est ἀκμὴ in Continuis, & hic secundus status non est adeo periculosus, nisi per illa symptomata magni fiunt dolores in capite.

Pro ut majora fuerunt pallor, frigus, debilitas, pulsus citatior & debilior, eo fiet major calor &c. hinc quo in Tertiana & Quartana ingentius fuit frigus, eo major erit calor.

Anxietate Ut moribundi ægri,

Capitis. Imprimis ad finem, quando caput immaniter dolet, adest calor, quando est ingens dolor, tum respondet ἀκμῇ continuatæ febri.

§ 746. *Sudor.* Quia per calorem humores stagnantes promoventur, solvuntur, fluunt per vasa & tunc simul remittuntur omnia symptomata, nam sic omnes humores tenuissimi facti sunt per sudores, & tunc æger pejus se habebit die intercalari.

Sedimentum. ad vasorum latera deponitur fusco rubrum & ad fundum vasis instar pulveris seu lateris vel boli Armenæ.

Apyrexia. Si nunc esset febris Ephemera, æger agilis resurgeret, & si sit Intermittens, est lassus & debilis.

§. 747. *Periculosas.* Quando calor nimius & motus nimius excitantur, fit febris Hæmitritæa seu Semi tertiana, quæ maxime est lethalis, Hæmitritæa febris vocatur, quæ quotidie eodem tempore revertitur, sed quando præter hanc Ephemeram alternis diebus fit paroxysmus, hisce multi moriuntur, has etiam vocarunt febres continuas cum accessu dierum imparium. Secunda species est Hæmitritæa, quæ constat ex duabus Tertianis, quorum paroxysmi singuli intra viginti quatuor horas durant, hæ vocantur febres Continuæ cum Quotidianæ exacerbatione. Hæc distinctio maximum usum habet, si enim febres veræ continuæ cum Tertianis sint, nullus inde resurget, sed si febris sit Con-

Continuata cum duabus Tertianis, ibi licet remediis uti contra Tertianam, & ego tales cortice Peruviano sustuli, nam erant Intermittentes, si modo bene distinguat Medicus, nunc cacochymia adsit nec ne. Si quis Tertiana laborans sumpserit calida, dissipantia, & sudorifera, accipiet continuam, ubi clysmata & cortex Peruvianus tuto sunt danda, quia est ex natura Intermittentium. *Galenus* jam observavit Quartanas ob motum & nimium calorem jam factas esse lethales.

§ 748. *Vim infert.* Nam sanguis tempore frigoris perfecte stagnat in extremitatibus, & derivatur ex arteriis in pulmonem.

Coagulando. Quando æger febri Quartana laborat, in summo frigore manus ejus abscindi potest, illo non sentiente, & vulnerari sine sanguinis exitu, simulac calor accedit, vasa extendit, hinc corpus mirifice mutatur in vasis & liquidis.

Debilitantur vasa. Quid est, quod corpus elasticum maxime debilitat? ipsa Chalybs corpus maxime elasticum debilitatur, si mox illuc flectatur, nunc in febre Intermittente omnes fibræ extenduntur & mox flectuntur in arcus, ergo debilitantur, unde corpora post Quartanas adeo mutantur, ut fiant Hydropica non potentia sua liquida coërcere.

Habent. Omnia diu quiescentia fieri debent flaccida; liquida fiunt morbosa, quia in frigore stagnant, calore attenuantur, partes sudore expelluntur, nimis assimulantur, nec æqualiter miscentur; quia fluida abeunt, & crassa remanent.

Acrimonia est duplex, quæ fit in nobis vel spontanea, partibus non satis motis, vel proveniens

veniens ab humoribus minis motis; lac in stomacho assumptum calidum stagnans ibi fit acidum acre, si absorbeatur in venas & febris adsit, lac motum comburitur, amarescit & acrescit, unde lac febricitanti dicitur movere bilem, si ex propria indole & motu mutentur humores, ergo necessario in febri acrimoniæ nasci debent.

Transudante. In omnibus febribus Intermittentibus vidi, quod nunquam penitus curentur ægri, quamdiu sudor adsit, nam horum sanguis est sic dissolutus & vasa sic debilitata, ut si modo jaceant, sudore diffluant, & quamdiu hic adest, nunquam curabitur æger, optime convenit cortex Peruvianus, ubi talis est sanguis, & tamen nulla adest Cacochymia, infusum ex spiritu vini, vel vino generoso cum Salvia quoque convenit; hoc nemo annotavit, neque *Sydenham* ad hoc non attendit, post discessum febris vasa laxissima à magno motu humores atteruntur, & partes crassissimæ per urinam exeunt, quæ nunquam in initio paroxysmi nec statu aliter transiissent, sed in fine, sudor jam non est aquosus ut in initio, sed in toto corpore viscidus, hinc patet vasa esse adeo laxa & humores adeo attritos transudare; urina fit crassa &c. hic est finis Tertianæ & Quartanæ nimis diu durantis, ut ultimo abeant in Scorbutum, ut facile intelligitur.

Residua. Tunc difflata parte tenuiori partes crassæ accipiunt novum humorem per potus, sed ille humor manet crudus, nec illis crassis partibus misceri potest, unde tunc in corpore nascitur causa, cur sanguis à se dimittat semper liquidum, unde tunc temporis sudores oriuntur.

Simul.

Simul. Si detur post primum paroxysmum cortex Peruvianus, alterno sequente nil sudoris exibit, si materia lenta esset ejicienda, cortex Peruvianus hunc non contineret, sudor ante frigus excitatus dissipat fere paroxysmum, unde error hic natus est.

Scorbutum. Quod est contra *Sydenhamum* & plures alios Practicos in Anglia, sed quid hi viri intelligunt per Scorbutum, & ex quibus signis cognoscunt; non nisi ex Phænomenis, quemadmodum omnes morbos cognoscimus; & sine his nullum, dicent, est morbus Chronicus, in quo est exacerbatio & lassitudo post somnum, in quo urina crassa pinguis, latericea, gingivæ pessimæ sanguinem fundunt, ubi maculæ flavæ lividæ corpus deturbant &c. sumant quæcunque velint post perpetuum sudorem, producit illa Pathognomica nigra, ex quibus tu desumis Scorbutum, sed dicunt non est in Italia, nec in Gallia, sed revera omnia hæc signa in hominibus deprehenduntur; imo & suo tempore *Hippocrates* illud graphice describit ubi agit de morbis nigris & ulterius nil scimus, nisi ex observatis Phænomenis, ex his deducto legitimo ratiocinio, quod enim obstat post diuturnas Intermittentes febres passas, corpore per febres laxato, & humoribus depravatis hunc morbum oriri.

Hydropem. Quod iterum est contra illos Claros viros dicentes hunc Hydropem non posse expelli per purgantia, quod fateor, nam per moderata calefacientia est tractanda, ut & omnis Hydrops, si hic obedire velit, hinc ante sanationem Quartanæ pedes plerumque intumescunt, quod est bonum signum, nec vel hoc minime deterreri debet.

Leu-

Leucophlegmatia à sanguine nimis resoluto.

Mala. Si hæc fiant, facile intelligitur, inde omne genus morborum Chronicorum oriri debere, qui enim diu laborat Tertiana vel Quartana iis tandem facile lien est obstructus, hepar tumidum, abdomen prominulum, & quia tenuis aqua dissipata reliqua crassa manent.

§ 749. Itali vulgo dicunt de Tertiana & Quartana nunquam sonat campana, id est, inde non moriuntur, quod plerumque verum est, si Ruartana diu duret, nec minus turbet, disponit ad longævitatem, quia humores disponuntur ad magnas mutationes facile ferendas, & sic ad magna mala toleranda, nam humores depurat, hinc est beneficium naturæ habere hanc febrim, quare optimi Medici bonam Diætam & medicamenta non multum efficientia dant, tantum attendunt, ne nimia fiat, ne Tertiana fiet Continua, nec paroxysmi nimis graves, dant, quæ non turbant, ut ægri eos multum facere putent, sed in fine dato levi medicamento sanant. Multos longævos senes examinavi & nullum inveni, quin in vigore ætatis laboravissent Quartana, si hic morbus non turbetur per disconvenientia, morbos generis nervosi & humorum perfecte curat, idem de Tertiana verum, nam ab Epilepsia, Podagra, Convulsionibus ægrum liberat Quartana, hinc non est auferenda febris, proin considerandum est, an febris plus boni quam mali efficiat, si febris sit curanda, dirigitur, ut febrim procreando febris expellatur, v. g. Gentiana, Carduo Benedicto, Serpentaria Virginiana, Absynthio &c. hinc res est certissima, si corpus non destruat febris Tertiana, roborat, Cel-

Celsus de Diæta dicit variam vitam, nunc his nunc illis mutationibus obnoxiam roborare homines, qui Tertiana exquisita laborant, alterno die frigus & æstum, si modo febris bene dirigatur à Medico. Quartana curat Nephritidem à sabulo accumulato.

§ 750. Quo magis magisque cogito de febribus Intermittentibus, eo magis video veram esse sententiam, quam *Borellus* proposuit, quod scilicet febris Intermittentis causa hæreat in genere nervoso, cogitate hominem sanum nocturno tempore meditabundum sedere audit strepitum, palpitat, cor tremorem habet, frigore horrebit, & habebit talem respirationem uti descripsi, paulo post summopere calebit & æstuabit, in initio febris Quartanæ momento post primum symptoma, est pandiculatio corporis, debilitas, frigus, non creditis, hæc nasci in ejus sanguine, sed si cor minus virium per nervos accipiat, habebitis causam symptomatum, ergo pono causam viscididatis in lentore spirituum nervosi hærere, & sic primariam conditionem febri Intermittentis esse in nervis. Per visciditatem non intelligo, quod sanguis crassior fiat, sed impedimentum circulationis, quo sanguis fit lentior. Cortex Peruvianus videtur potius agere in spiritus animales quam in humores, nam *observante Sydenhamo*, ille cortex non minus valet ad curandos morbos à debilitate spirituum ortos, ut est passio Hysterica &c. quam ad curandas febres Intermittentes. In febre Tertiana dies intercalaris est utcunque tamen morbosus, sed, tamen in Quartana secundus intercalaris videtur esse in statu sano antequam veniat febris.

§. 751. Hoc centies feliciter feci, in Quartana

tana exquisita efficere possum, ut non fiat frigus, tum paroxysmus non erit, hinc omnis sudor, qui excitatur, antequam febris fiat, plerumque tollit febrim, sed qui post febrem toleratam advenit, disponit ad aliam febrem, est tamen aliquid mirum, quod hoc accidat, curavi elapsa Æstate nobilem virum (qui in febre Quartana pertinacissima tamen se non ita male habebat) ejus corpus replevi decocto Guajaco, sed præter opinionem accedebat Tertiana, dum æger mane & vesperi sudabat & intra viginti quatuor horas octo libras hujus decocti assumebat & nihilominus tamen Quartanam accipiebat, hunc sustuli per purgans & corticem Peruvianum, & porrexi in usum decoctorum tribus septimanis post rursus accipiebat febrim, continuato sudore sub craticula rursus febris rediit, fere desperabam, an unquam sanari posset, iterum tertia vice sustuli cortice Peruviano, tum non rediit amplius, ergo febris non est in fœce, nec in sanguine, sed aliud quid est. Omnes Auctores observarunt, quod æger cortice Peruviano sanatus, si se frigori exponat, & hoc frigus sit tantum ac illud, quod febrile frigus fecerat, recidivam patietur, *notante* præsertim *Sydenhamo*, ergo qui in febre exquisita Intermittente efficere potest, ut illa sanguinis viscositas non fiat, hanc febrim prorsus tollet.

§. 752. Pone e. g. omnia manere ut nunc, dum sanus est, sed levem stagnationem oriri in spiritibus, tum habebit æger omnia signa calescentis febris; causæ quæ efficere possunt intra datum tempus, quod spiritus sint nimis mobiles, sunt infinitæ, hinc impossibile est dicere, quæ sint causæ ex tam infinitis, quæ

fe-

febrim produxerint, videtur, quod talis æger sit tempore frigoris in physica conditione hominis moribundi, id est, quod cordis vires sanguinem per arterias & pulmones non movere incipiant, quando hoc fit, frigus existit; simulac adest frigus, corporis vasa contrahuntur, tum fit delatio sanguinis venosi versus cor, quando ibi est collectus, & per pulmonem ire non potest, tum pulmo obruitur à sanguine à dextro corde veniente, interim cor dextrum repletur ab alio sanguine, quoniam hinc nihil fere ad cor sinistrum pervenit, & ibi hæret sanguis, oritur frigus summum &c. hoc tempore æger moritur, nisi calor succedat; pone nunc renasci vires cordis & respirationis, simulac hoc fit, sanguis venosus accumulatus celerrime trajicitur per aortam, si nunc ille sanguis fluere posse incipiat, maximus oritur motus, nam sanguis movetur à corde, omnis sanguis est circa cor, cor nunc recipit vires, ut se moveat unde oritur calor, hinc mihi videtur, quod causa proxima sit aliquis lentor in spiritibus moventibus cor & organa respirationis, hujus rei possunt esse tam multæ causæ physicæ, ut ego dicendo par non sim. Si quis pater videat filium suum cadere in aquam, pallebit, frigebit, vix loquetur, tremet, ut febricitans prima accessione Intermittentis, nisi quod forte tamdiu non duret, cum sit à turbatione tanti cerebri, unde enatæ sunt aliæ ideæ, si liberatum videat filium, non statim sanus est, sed diu male habet, sæpe toto vitæ tempore, quia nimius motus creat inflammationem, unde Scirrhi & pessimæ stagnationes. Ponatur circumstantia, ut pater percussus sic incipiat tremere, fiunt aliquot clausuræ fibrarum

rum in cerebro; jam si aliquid aliud obstruens ibi adesset, febre laboraret, non prægresso tali effectu, si humor crassus febrilis accumulatur, jam crypta aliqua acrescat, ac ut edimus, bibimus, mingimus, alvum deponimus certo tempore, ut saliva fit certo tempore, ut somnus, semen prolificum, medulla ossium regeneratio in vulneribus requirunt certum tempus, cum hæc fiant, cur non aliquis humor alicui accumulari posset, quique abundans suo tempore in sanguine efficere hanc stagnationem & motum, hinc non sumus cum *Galeno*, qui in solo sanguine nec cum *Borello*, qui in solis spiritibus febrim morari credidit, sed ex omnibus humoribus oriri possunt, eadem hic est ratio, ut si spina corpori infixa sit, primo non sentit, dein fit horror, febris inflammatoria suppuratoria. Ergo quæ causa, unde tam certa & ordinata putredo in febre fiat? Si febris in initio impediretur scilicet talis causa certo tempore facta, generata abundans, hos affectus faciens, decrescens, si nimiæ adsint causæ, tum ultra non possumus, v. g. chylus sanguini mistus facit sanguinem non satis meabilem, fit frigus, si permistus sit, & jam illam stagnationem fecerit, si misceatur, resolvitur, calor oritur, huic accedente febre chylus habens materiam causam effectum, febris hujus finem definit, simulac materia cruda facta sit meabilis, sed causæ infinitæ hoc facientes assignari possunt, hinc difficultas v. g. aliquis calidus se exponit frigori, frigescit, ubi parum se restituit, calor nascitur, & fit febris, at humores certo tempore mutantur per Tertianam & Quartanam, nec hic opus est tanta sed levi tantum mutatione sanguinis, quod ex chylo

pa-

patet, ergo certo tempore nascitur humor non naturalis, qui abundans facere potest sanguinis stagnationem & omnia symptomata, nec aliud quid, si causæ cognoscerentur, omnes curari possint, si non pro causa vel fomite visceris alicujus malam constitutionem habeant, ut si ex Scirrhoso hepate biduo nasceretur parva materia, quæ quadraginta octo horis aucta, quasi fota reliquo sanguine miscetur & facit febrim; tales febres vix tolli possunt.

Dari. Unde veniat, quod febris suos status periodos exacte teneant, nescimus, hoc tamen verum est, hominem certo tempore delabi in somnum &c. ergo tam mirum non est, febres certas periodos habere. Recidivam quoque patietur æger post usum corticis Peruviani, non modo ex frigore, sed ex indigestione, imperspirabilitate, animi affectibus &c. hinc æger optimam Diætam servare & cibis euchymis uti debet.

§ 754. Omnes febres Intermittentes per unam generalem methodum curari non possunt nec per corticem Peruvianum, si ab internis visceribus, sed si à rebus non naturalibus orta sit, tolli poterit, hinc non una est curatio, curabitur vel Methodice vel Empyricè. Curatio exigit ea, quæ tarditatem in spiritibus dissolvere possunt, omnia, quæ hoc faciunt, febrim tollunt, si sit Tertiana exquisita, & hominem facio tribus vel quatuor horis ante febrim sudare, non habebit febrim, nisi aliquid Epidemici adsit, uti in hoc biennio, cæterum mille sic sanantur; secundo si tempore apurexiæ magnum motum faciam dato v. g. forti purgante vel pulvere Cornachino, amarissimo Absynthio, vel herbis vel succis expressis ad

uncias

uncias duodecim, quod non fallet, modo hæc medicamenta dentur tempore intermedio, si hæc per sapones vel pilulas vel per elixiria dentur, est idem si modo non sit singularis diathesis in illo tempore, sed dicetis forsan, quænam est causa, quare, vir (de quo ante dixi) tam sæpe recidivam accepit, respondetur, quoniam erat corpus viri Literatissimi & admodum laxum & satis magnum, primum decoctum Guajacum minimum frigus accedebat; si in mille sanati sunt, qui simulac minimum frigus acceperant, ilico in febrem rursus inciderunt, & certus sum me vix in his deceptum iri si morbus non sit nimis Epidemicus v. g.

℞. Aquæ Cardui Benedict.
vel Rutæ ℥x
Sal. Polychrest. ʒß
M. F. Mixtura.

Bibat omni die libero unciam unam, febris Intermittens fere tuto curatur, si facere possimus, ut prima ejus causa scilicet spirituum stagnatio in corpore impedire possit, hoc fit, si tempore, quo febris abest, sex res non naturales & medicamenta sic administrantur ægroto, ut causa minui possit, unde stagnantes spiritus hærent; veteres curaturi Intermittentes jubeant ab omni motu, potu & victu, unde impedimentum facili spirituum motu fieri poterat, secundo balnea, fomenta, frictiones & corporis exercitationes applicabant, ita ut omnis humor tempore Apurexiæ dissolvatur, tertio subminstrabant talis medicamenta, quæ bilis vim exercere poterant, ut Absynthium, Centaurium minus, Carduum Benedictum, Aloën-

Aloën, Myrrham &c. hæc enim erant febrifuga; sum certus per totam Praxin medicam nisi subsit character malignus, quod omnes sic curari possint, hinc videtis, cur Vinum cum Absynthio, Vinum cum Gentiana vel cum Helenio adeo laudata sunt tempore apurexiæ potata, & quare recentiores post *Basilium Valentinum & Paracelsum*, nil utilius duxerint, quam hoc tempore dare pulveres ex salibus fixis, sed hoc non est inventum Chemicorum, sed uti *Borricius*; notavit, est jam à *Dioscoride* adhibitum, ergo omnis ætas, omnis observatio facit, ut credamus, quod omnia, quæ tempore apurexiæ dantur, tantum sint, ut frigus seu minor motus præcaveatur, unde paroxysmus originem ducit. Optima dantur remedia, nempe Vinum Absynthii ad pintam unam, Centaurium Minus ad uncias duas minutim concisa sumpta ex cochleari cum vino vel aqua, aut eædem herbæ infusæ, alii dant Piper ad unciam unam cum Aceto, Sal Absynthii, Tincturam Myrrhæ, radicis Gentianæ & millia talia antifebrilia dicta sunt scilicet eo tempore, quo natura à febre est libera, quibus assumptis calor & motus simul toto corpori conciliatur, sequens remedium est optimum,

℞. Rad. Gentian. Illyric,
Amariss. omnium ℥ij
Conscindatur in taleolas
infundatur Vinum ad pintas ij
in phiala alta methodo nostra
decoque per viginti quatuor
horas, erit Vinum amarum
Gentianum.

Bibat omni hora unciam unam, aut si debilior sit æger, unciam semis, tunc secedat in balneum, vel aliter se foveat, tunc optime febris tollitur; hic nullum magnum discrimen facio inter Carduum Benedictum, Absynthium, Veronicam Pratensem, Folia Chamædrys, Marrubii Albi, Centaurii Minoris, tantum est attendendum, an herba multo sale & oleo abundet. Idem efficiunt omnes sales, sed imprimis in aliis speciebus mihi observatur Sal Polychrestus Parisiensis factus ex Nitro & Sulphure per horam simul calcinatis, & ex hoc dentur omni hora grana quinque vel sex in apurexia, ac bihorio ac trihorio ante paroxysmum detur scrupulum unum, hac methodo sæpissime tollitur febris; vel sequens remedium etiam convenit.

℞. Ligni Santali Rubri
—— Albi
—— Citrini ana ℥ij
Sem. contus. Bardanæ ℥ij
Rad. Imperat. ℥ß
Caryophilli
Flor. Centaurii Minoris ana ℥ij

Herbæ Veronicæ Man. ij
Conscissa & confracta coquantur
cum ℔ iij aquæ & dimidium
si ægri ament delicatiora
adde Syrup. quinque Rad. aperientium

Tunc simul sumo sequens

℞. Aquæ Stillatitiæ Rutæ ℥viij
Tinct. Croci

—— Myr-

— Myrrhæ ana ℥j
Sal. Polychreſt. ʒij
Syrup. Diacodii ʒj
M. F. Mixtura.

Sumat æger omni hora unum cochleare de hoc potu, & ſuperbibat poſt ſingula cochlearia tria unciam unam decocti, corpus quamdiu poteſt, ambulet, poſtea fatigatus foco aſſideat, tribus horis continuatis, vel committat ſe lecto calido, hac ratione aderit ſudor, antequam frigus febrile veniat, & hac methodo quidem centenos curavi. Hæc ſunt remedia febrifuga certiora, modo nihil adſit Cacochymiæ præcedentis, igitur ſequens methodus eſt obſervanda in febribus Intermittentibus, 1. nil dandum eſt, quod impediet perſpirationem, 2. corpus eſt tenendum in tepore Verno, 3. arcendus æger ab omni frigore. 4. ægro interdiu eſt dandus potus calidus ex quinque radicibus &c. duo tantum ſunt vitanda, 1. ne nimis humores ſolvantur per nimia ſubito calefacientia, 2. ne frigus nimiuſve calor ad corpus accedat, ſed producendus eſt in illo corpore Vernus tepor. Ergo tunc ſi ſumatur contra Quartanam Theriaca Diateſſeron *Meſue* vel Carduus Benedictus, Abſynthium &c. reducitur corpus ægri ad Vernum calorem, tum æger curabitur, & hoc ſemper proderit niſi poſt longum ſat tempus ægri habeant lien, vel hepar vitiatum, ut plerumque in Quartanis accidit; ſed hæc cura non omnibus convenit, nam quidam populi, ut ſunt Britanni, requirunt aliquod adſtringentis conjunctum calidis, alioquin eorum humores diſſolverentur, & ægri in perpetuos ſudores verterentur, & tanquam Hectici fierent, ut ego in

hac gente expertus ſum; itaque tunc uti oportet cortice Peruviano, Tamariſco &c, etiam in febribus Intermittentibus Vernalibus. Si ſit Vomica in hepate vel tale vitium in aliis viſceribus, ut Scirrhus &c. tunc cortex Peruvianus adſtringet, & Vomica ſe diffundens in ſanguinem creabit febres Continuas, & æger morietur, malum quoque inde oritur, ſi ſit Scirrhus &c. ſed exceptis his duobus caſibus, omnes methodo præſcripta ſanantur.

754. Sæpe in ægro febricitante eſt colluvies in primis viis in ventriculo, inteſtinis, hepate & vaſis meſeraicis ibi hæret reſiduum, quod eſt crudum ex male coctis aſſumptis cibis, ibi pituita mucoſa, bilis recrementitia, depoſitum recrementum vaſorum cæliacorum & meſentericorum, quando in febre Intermittente hæc hic hærent, putreſcunt, degenerant, & quotidie pejores fiunt, nil tum juvat tollere frigus adventitium, potius juvaſſet febrim manſiſſe, ut hanc materiem ſubegiſſet, ſed ſi Medicus hoc animadvertat, tum cura ad illam materiam conſumendam illi eſt adhibenda.

Purgans. Puto, quod à vomitu omnis actio febrium Intermittentium interrumpatur, ſi modo Medicus ſciat, quod ibi colluvies materiei, 2. viſcera non ſint corrupta, 3. vires non perditæ, nam ipſa natura hoc indicat, vix enim unus eſt ex mille, quin natura vomitum faciat, tempore frigoris unde levatur, ergo vomitoria hiſce conditionibus data melius eſſe quam purgans, ſubducunt materiam per motum concuſſivum, & quia æque tuta ſunt quam purgantia, nam pluſquam millies uſus vomitoriis in Praxi mea nunquam inde ſiniſtrum vidi effectum,

quo-

quoniam curavi, ne darem, ubi viſcera ſunt dubilia, ſi enim tum dentur, Hypercatharſis ſupervenit à ſolutis viſceribus.

Tollendæ. Remedia ſequentia optime conveniunt, pulvis Comitiſſæ de Warwyck, quem Cornachinus ſibi dein fecit proprium, aliter pulvis Cornachinus ex Scammonio grana xvij, Stibii Diaphoretici grana xxiv, Cremor Tartari grana v vel vj, quo minus Cremor Tartari, eo fortius purgat, hoc eſt optimum purgans, ſi detur ante paroxyſmum, optime tollit febris ſemen, unde Itali & Galli huic maxime fidunt. Vidi & uſurpavi ſæpius maxime in infantibus, cum incredibili ſucceſſu, ubi humores ſunt maxime mobiles, adde Saccharum, ut ſapor Diagrydii tollatur, ſic infanti triennii dedi Scammonii grana v vel vj vel vij, Antimonii Diaphoretici tantundem, Cryſtalli Tartari grana vij vel octo cum Saccharo, quod remedium detur quinque vel ſex horis ante paroxyſmum, hinc eſt ſummum arcanum Praxeos dare purgans vel vomitorium tempore opportuno, quæ medicamenta ſi dentur die intercalari, non multum proſunt, & in ipſa febre occidunt, ſed ſi dentur eo tempore, ut operatio agere incipiat tribus vel ſeptem horis, antequam natura ſua faciet per vomitum, tollitur febris prima vice, hinc videmus, cur pulvis Cornachinus hic deſcriptus unum, duos vel tres vomitus faciat & ſimul purget, & hoc tempore agentia ſolvant materiam, quæ febri ſolvendæ reſtitiſſet, dum hoc faciunt, motum curant, credo, quod hac ratione millenos ægros ſanaverim, datis ſimul diluentibus; ſed quomodo ſcimus hoc eſſe faciendum? Si præceſſerit victus opiparus, unde conjicitur talem materiam eſſe re-

lictam, linguæ sordibus nigris, seu flavis, seu albis. Empyrici norunt, quod vomitorium tollat febres Intermittentes, nec refert quale sit, v. g. Vinum Emeticum cum Croco Metallorum ad uncias duas, cum Antimonio ad unciam unam & dimidiam, iis, qui difficillime moventur, adde grana Mercurii Vivi quatuor, detur hoc medicamentum quatuor horis ante paroxysmum, maxime bibendo quam primum primus vomitus factus est, operatio erit peracta ante paroxysmum, tunc æger se componat lecto, tentet, an sudare possit,. hoc est optimum remedium in simplicibus Intermittentibus, non Scirrhum vel putrefactionem supponentibus, nec in omnibus Intermittentibus, sed ubi saburra in primis viis, vel obstructiones in hypochondriis, hoc cognoscitur, si æger prius usus sit locupletissimo victu & copioso, tunc evacuatio est tentanda, si materia sit infarcta, tum est purgandum, & etiam optime per vomitum tollitur, si nausea adsit magna, vomitorium prodest, ubi vomitus adest, vix sine vomitu curatur, neque per paragraphum 758. sanabitur, sed vomitorio, at si priori detur vomitorium, tanto major erit febris. Sed quomodo vomitorium sit dandum? ad hoc respondetur, si velim, ut æger cras vomat, da hodie mollia saponacea ut Rob Sambuci Ribesiorum, Oxymel simplex, Oxymel compositum, syrupum de Fumaria, syrupum de Cichoreo simplici, vel cum Rheo, &c. quæ, viam & viscera laxant, & corpora disponunt tum cras do vomitorium sex horis ante paroxysmum febrilem, omne tamen vomitorium intra tres vel quatuor horas agere definit, moneo simul, ut æger nil sumat, nisi prima vice vo-

vomuerit, quoniam aliter omnis materia non ejicitur, tum bibat affatim Hydromel, donec iterum vomat, bibat iterum, & ſic pergendo, donec ultimum epotum in ventriculo maneat; hoc facto debet adeſſe potus Opiatus habens unum granum Opii in vino vel aqua Citri diſſolutum, huncque hauſtum ſumet æger, quando abſoluto vomitu æger evacuavit corpus, & certus ſum ex mille caſibus, ne unus deficiat, quin æger ſit liber, ſi vero tum cedat morbus detur cortex Peruvianus, & nunquam male cedat, quia aliter ſine hiſce præparationibus aſſumptis Hydropem &c. fecit, quia hæc materia requirebat febrim, ut auferatur, ſi hæc materia non ſit ſublata, & febris ſublata, tunc materia manens in viſceribus facit plurimos morbos. Si ſymptomata ſupra dicta adſint, ſemper vomitorium vel purgans prodeſt, ſic loquitur *Hippocrates* & confirmat experientia. Poſtquam purgans effecit ſuum opus, id eſt, poſt ſex aut ſeptem horas dandum eſt unum granum Opii, ad ſiſtendum magnum motum, quem fecit purgatio Vomitorium præſtat purgante, ſi corpus non ſit debile & facile vomitorium ferre poſſit, nam vomitorium evacuando ventriculum purgat etiam inferius primas vias quatenus concutit, ſed vomitoria ſunt peſſima in morbis, ubi humores ſunt diſſoluti, ut jam dixi de gente Britannica, ſecundo vomitorium non eſt dandum ſi ſit putrefactio in quodam viſcere, ut Vomica hepatis &c.

§ 755. Hæc vomitoria & purgantia non tantum agunt evacuando, ſed concutiendo impacta viſcera inde reſolvuntur, nec febres ab obſtructis aliter curantur, prius Oxymel Scilliticum laxanda & præparanda eſt materies vel

Oxymel cum sale Polychresto, nec cibi multarum fæcum sunt dandi.

§ 756. Si in febribus Intermittentibus nullum sit signum materiam hærere in primis viis, non vomitoria nec purgantia danda sunt, quia debilitant, liquidissima eliciunt, bilem auferunt, & digestionem turbant, qui hæc negligit & promiscue dat vomitorium vel purgans sæpe fallitur, sed hæc non danda, nisi priora signa adsint, aliter elicit bilem quod erat necessarium requisitum sanationis febris.

Diuturnitatem. Vidi *Sydenhamum*, qui observavit, quod si prima die purgans non successerit & sustulerit febrim, repetitum purgans illam fixabit, itaque videmus Hispanos, Lusitanos & Italos purgantibus continuatis sic fixare febres Quartanas, ut ibi durent plerumque per duos annos.

Producit. Nonnulli Medici, qui vina purgantia suis ægris præscribunt, ut magna vascula inde exhauriant, ægris pessime sæpe consulunt, nam plerumque totum corpus perit, bilis deficit; visceribus infarctis liquidissima eliciunt & crassiora compingunt, bilem auferunt, debilitatem creant in visceribus; *Sydenham* pulchre observavit dicens, quod si scapellum Chirurgicum prima vice pertusum per venam, non sustulerit febrim, diutissime durabit febris, quæ non tamdiu durasset, si venæ sectio non fuisset instituta, alio loco, dicit, si diu purgetur, facit corpus debile, ita ut ultimo fiet deglutitio læsa, vel Angina & tandem ægri moriuntur; hoc etiam observavi in Carbaris Arabibus, quod repetitis purgationibus febres nequaquam curarunt, sed plures ægri inde mortui sunt, hinc aliquo jure *Helmontius* insulta-

vit scholis, quia fere semper venæ sectionem & purgationes instituebant.

Frigus & febris sudorifero tollitur. Hæc est secunda methodus & certe millenas tales febres sustuli, si inveniam corpus tantummodo frigidum nil à motu vel à calidioribus medicamentis habens sumo qualecunque decoctum leviter aromaticum, & deposito pretio certare possum, me prima vice sublaturum febrim, hoc decoctum potet æger, ut dixi in *Materia Medica*, & sex horas ante paroxysmum ponat se æger ante focum bene vestito corpore, bibat omni quadrante horæ uncias tres, & reliqua calida, & sic potando excitet sudorem, & sudor sit isto tempore, quo frigus febrile habere deberet, si hoc continuat, febris erit ablata, & ex centum, ne unus habebit febrim, hac ratione sanavi ægros, qui paroxysmo antecedenti morituri vidibantur, & hæc methodo perfecte sunt curati; in *Materica Medica* sudoriferum raro fallens proposui titulo mixturæ vel decocti, cui potestis fidere, habetis jam duas methodos; quibus certissime curantur febres Intermittentes; si febris absolute sit abigenda, ut sæpenumero ætas senilis suadet, quoniam senibus Quartana sæpe est lethalis, sedeat æger erectus in sede sudatoria, supponatur carbo ignitus, sorbeat de decocto ligni Guajaci, sudet ita duas horas ante paroxysmum, si inter sudandum multum frigus admiscuerit, febris ablata erit; missio sanguinis plerumque fit lethalis, si in febre Quartana adhibeatur, methodo hic descripta omnes febres Intermittentes curantur, si malam causam non habet; annosis Tertiana est sæpe lethalis, transeuns in Quotianam, tandem in Hæmitritæam maxime metuendam, id est

continuam, sed altero die habet acerbiorem & altero die leviorem paroxysmum, ut exemplo rem proponam, erat in matrona annosiori febris, unde mors metuebatur, si bis vel ter esset reditura, erat plurima saburra oppleta, ideoque corticem Peruvianum dare non audebam, dedi decoctum aperiens v. g. ex Sassafras, Radicibus Bardanæ, aut simile & tali decocto plurimum potare jussi, simul salem Polychrestum magna copia quatuor horis ante paroxysmum febrilem, jussi vestes exuere, stragulis tegi, assidere largo foco, ac ut ingeratur semper decoctum sudoriferum, sic incipiebat emollire, & ad sudorem disponi, tunc jussi augere dosim assumendi decocti usque ad febrim ordinate redituram, tum non accedebat febris, & erat prima vice libera, si non successerit prima, tentatur secunda vice; si senex valde frigidus fuerit, hoc modo etiam curatur.

℞. Aquæ Menthæ vel
cujusdam aromat. ℥xij
Elix. Proprietat. ℥vj
Sal. Absynthii ʒij
Syrup. è 5. Radic.
aperient. ℥ij
M. F. Mixtura.

Utatur de hac mixtura uno vel duobus Cochlearibus omni quadrante horæ superbibendo uncias quatuor sequentis decocti post singula quæque.

℞. Ligni Santali trium ana ℥j
—— Ras. Sassafras ℥iv

In-

Infusa vasa arcte clauso per duas horas absque ebullitione sed fere fervida, dein parum ebulliant, tum decocti pint. ij exhibe. Addatur cortex Citri vel simile quid non multum refert.

Vel sumat æger decoctum Agrimoniæ, Melissæ, cum aliquo sale aperiente v. g. Absynthio, licet dragmas tres consumeret in mixtura tempore apurexiæ, superbibendo prius decoctum v.

℞. Aquæ Cardui Benedict. ℥vj
Sal. Absynthii ʒiij
Tinct. Myrrhæ ʒj
M. F. Mixtura.

Sumat inde in apurexia unciam unam & semis omni quadrante superbibendo post singulos hujus haustus decoctum præcedens.

§ 757. An venæ sectio Intermittentibus bona? si fiat erit in apurexia; cæterum mea ratione & experientia ut & *Sydenham* non fiet; hinc pessimum est *Galeni* dogma sæpe Tertianus mittere sanguinem, legite quæso *Litteras Clarissimi Pateni*, *les Letters de Monsieur Guil. Patein.* ubi narrat, quod venæ sectione omnes febres Intermittentes curaret, imo triginta tribus consequentibus, sic etiam tunc temporis decumbebat *Infans Hispaniæ* à febre Intermittente, venam secabant, repetebant, donec miser occubuerit, tunc Poëta quidam cecinit.

Quod Mars non potuit, Medici potuere secando.
Sic Mavors ipse fit minor Hippocrate.

Hinc raro venæ sectio in hisce casibus prodest, & tantum in Vernalibus, in Autumnalibus nunquam nisi forte casus, quando est corpus juvenile & plethora in culpa.

An tenuis diæta bona? Hanc Itali commendant ad febres curandas, sed vidi inde pessimum successum; febres Tertianæ intra quatuordecim dies, febris Quartanæ intra sex menses terminantur, sed per quatuor dies æger aliquis non abstinere potest, nec per sex menses, si nunc abstinentia imperetur, vires languent, & sic multi ægri pereunt, unus ex primariis viris hujus urbis acquirebat febrim quartanam, ille erat respuens Medicorum consilia, dicebat se velle abstinentia curare, habebat prudentem Medicum, qui dicebat inter has febres & Continuas esse distinguendum & inter corpora senilia, hæc penitus negligebat, & nil comedere in animum induxit, quod fecit, & vires perierunt, & cum postea edere vellet, non poterat, & sic mortuus est, vidi è contrario alios, qui diu Quartana laborassent, & moderate comedebant se melius habuisse; vidi à parentibus rigorosis imperatam esse infantibus Diætam strictissimam, unde plurimi perierunt; sed hic requiritur, ut dentur cibi, qui non crassas dant fæces tempore vacuo, hinc in Quartana die antecedente jus carnium est assumendum, idem de Tertiana verum est, hinc *Hippocrates* pronunciat exactissimam Diætam hic esse pessimam, nam *dicente ipso Hippocrate* vitia nimiæ assum-

ptionis

ptiones facile tolluntur, minoris vero non. Sed quando transit frigus febrile, quid tum dandum? Longe alia, quam in statu apurexiæ. Aquosa calida & quæ hic propono, didici vera esse, quando febris exit in caloren & frigus abiit, do subacida &c, ut Rob Sambuci & Rob Diamororum, & quæ putredini resistunt, ut Spiritum salis, Marini, spiritum Nitri Dulcis, Ammoniaci: fui aliquando in contentione cum Medico, qui putabat hæc non convenire volens calida, sed do talia, quæ vim saponaceam habent, & tamen sunt subacidula mollia, & lenia, tum febris optime dissolvitur, da moderate reficientia & refrigerantia & impetrabis gratiam ægri & sanationem morbi, sed quando sudor, quid tum faciendum? Nam sanguis est solutus & vasa laxata & aperta, ille sudor nunquam prodest, imo quamdiu vester æger sudat, post paroxysmum, nunquam curabitur à febre, sed sudor ante paroxysmum bonus est, ergo simulac febris est in declinatione, do jus carnium cum succo Aurantiorum recenter pressum cum succo Citri, Vinum Rhenanum vel Mosellanum cum succo Citri & duabus partibus aquæ, hæc paululum calefacta tepide offero, si hæc materia ingrediatur sanguinem, non nocet.

§. 758. Si vocaris, dum calor adest, & rogeris quid faciendum; aut si in antecessum moneas, hoc observatur, scis omnia esse infarcta, quæ data porta in venas ruent, unde celerrima sanguinis & vasorum jactatio ad putrefactionem, ergo dentur multæ aquæ calidæ sorbendo, ut impetus febrilis aliquid habeat, in quod agat; si febris sit in fine, Nitro attenuo; ut præservem à putredine, addo levia acida,

da, ut Rob Sambuci, Cerasorum, Ribesiorum, Decoctum Caffé aut ligni Sassafras hic est optimum. Non obruatur æger stragulis, non multum movendus, sic enim materiam febrilem dissipare tunc poterit.

§. 759. *Solvitur*, hoc est, quando æger post paroxysmum incipiet esse sedatior & sudare. Si abire febris incipiat, & sudor oriatur, juvant ptisana vinosa ex aquæ Hordei pintis tribus, vini pinta una, cum taleolis Citri, decocta aut panis tostus his immaceratus & jus carnium optime restituens amissum. Vinum huic ptisanæ addimus ad confortandas vires debilitatas à sodoribus illis in fine paroxysmi. Æger raro curari poterit, nisi illa in sudorem proclivitas sedetur.

Promovere. Ne sudoris difflatio noceat, liquidum deperditum est resarciendum, tunc sudor oriri debet, qui nisi orietur, æger male se haberet, ergo cum hunc sudorem impedire non possimus, nec debeamus, oportet tantum illi vehiculum præbere, ne liquidi nimia difflatio noceat. Hinc si febris desitura sit hora octava, moneo, ut per quatuor aut sex horas maneat in lecto, simul his non medicamentis, sed alimentosis repleo vasa.

§. 760. Si dolor capitis adsit, hunc tollo epithemate ex Oxycrato, appono pedibus epispastica, & multum potus diluentis, sic omnem dolorem capitis tollo, aliquando tamen venæ sectio & clysmata requiruntur, si vomitus adsit, vomitoria ante febrim & Opiata post vomitum sunt danda. Hæcce methodus proposita semper sanabit febres Intermittentes, nisi febris sit Epidemica radicata vel etiam quædam species quartanæ.

§. 761.

§. 761. Quando febris eſt ablata, ne putet Medicus nil eſſe agendum, nam omnes febres, quæ ſic vagatæ cito tolluntur, etiam cito redeunt, Medici tum nimis operoſam Praxin habentes relinquunt ægros, ſed in novas febres incidunt, ſic inexhauſtis viribus fere necantur, poſtquam ergo ablata eſt fere febris, æger utatur victu analeptico, ſcilicet tenui, alente ſine multis fœcibus ut jure carnium, in quo ova ſunt diſſoluta & omnia Cremoracea, victus analepticus eſt, qui non multum temporis ad coctionem requirit.

Corroborantibus. Quæ vaſorum & humorum laxitatem corroborant, unde ſudor tollitur, optime huc conducunt Theriaca, Diaſcordium, Vina medicata cum Salvia, Helenio, Abſynthio, Centaurio minori, condita Diateſſaron, hæc corpori dant debitum robur, & ſanguinem ad legitimam denſitatem redigunt; cortex Peruvianus etiam hic convenit, quia fibras maxime roborat, cum fibræ à febre magis flaccidæ ſunt redditæ, unde ſæpe oritur Hydrops, aſſumat æger corticis Peruviani unciam unam, decoque in Vini pintis duabus, ſufficit cochleare unum de die, poſtquam robur actum eſt, æger eſt purgandus methodo *Sydenhami*, aliter recidiva metuitur, ſed tum non redit, at purgans non eſt præſcribendum, ſimulac febris deſinit, nam oritur recidiva, quia natura, quæ quieverat, turbatur, ſed tantum quatuor decim diebus poſt febrim finitam optime conducit tam id Vernali, quam Autumnali febre & hoc fiat Rhabarbaro vel ſimili. Si purgans nimis cito detur, male cedet ægro, ſi ſerius, cadit æger in morbos Chronicos, verum tempus purgationis non definiri

po-

potest, sed tantum prout vires citius vel serius sunt recuperatæ, & hoc aliquoties fieri debet bis, terve, & ægri optime indè se habebunt, vide de hac re *Sydenhamum*.

§. 762. *Autumnalis*. Tum tantum cortex Peruvianus requiritur, non in Vernali, quia in Vernali calor succedens restituit, sine auxilio hujus corticis, hinc illæ febres Vernales Methodice curari non possunt, quia humorum liquefactio hic requiritur, quæ hic non est adhibenda.

Debile. Quamdiu corpus non sit debile, credo, quod cortex Peruvianus non sit dandus, nam febres Intermittentes non sunt tam periculosæ, ac dicunt, & nisi corpus debilitetur, sine febrim per aliquod tempus decurrere, quippe quæ coquere debet plerumque crudam materiam sanguinis, ad quam excoquendam nata est hæc febris. Si adsit inflammatio in corpore, tum cortex Peruvianus est pessimus, quia plus obstruit, si pus alicubi hæreat, vel obstructio visceris, tum non conducit, aliter tuto datur, si conditiones descriptæ adsint.

Duravit. Effectus durationis febris Quartanæ facit sudores, itaque illi sudores à febre non fiunt, sed ab ejus effectibus, id est, quia corporis viscera & vasa maxime debilitantur ab illa tam diuturna & sæpius recurrente mutatione.

Inflammationis. Quotiescunque ibi adsunt veræ inflammationis signa, non dabo corticem Peruvianum, neque similia medicamenta, nisi videam causam inflammationis esse jam coctam, nam si antea darem corticem Peruvianum, tum Scirrhi & pessimæ obstructiones orientur, ut vidi in febre Epidemica, ubi erat

quæ-

quædam inflammatio circa hepar, nam illis ægris, qui hunc corticem sumpserant, successit pallor, post febris cessationem, &c. & ad minimum nixum alvum deposituris crepuit hepar, unde mortui sunt.

Puris. A pure collecto in visceribus Hecticæ fiunt febres cum genarum rubore & resplendente cute &c. Febres Intermittentes Quotidianæ exactæ cum chylus sanguini miscetur, caussa cur post diuturnas febres Intermittentes æger tunc sudoribus diffluat, est, primo, quia pulmo non bene compingit sanguinem, secundo, quia ille æger, ut plurimum sumit multum potus, qui statim per sudores difflatur. Si ulcus sit in pulmone, chylus hic accumulabitur, ergo oriatur febris ad coquendum hunc chylum, & hæc febris est remedium ad materiæ coctionem, hinc tunc temporis cortex Peruvianus non est dandus (ut fecit *Mortonus*) nec etiam quamvis tantummodo ibi esset debilitas in pulmone, non vero ulcus, nam si dem in hac febre (ut ille fecit) corticem, febris quidem tollitur, sed tunc implebitur pulmo, unde se male habebit, imo & inde sæpius suffocabitur.

Cortice Peruviano. Si Medici bene considerassent hoc remedium quod est ex præcipuis medicamentis, pro veneno non fuisset habitum, nam ille cortex nunquam aliquid mali facit, sed si febris fuisset melior, eatenus malum facit, quatenus naturam spoliat suo adjumento, v. g. æger habet hepar inflammatum, febrim accipit, Medicus non considerans, quod hic maturare debeat, dat corticem Peruvianum, unde febris tollitur, & materia ibi manet, tunc ille æger evadet tumidus, Leucophlegmaticus &c.

& moritur; dicunt, tunc Medici corticem Peruvianum occidere hominem, nil minus, sed natura dederat optimum instrumentum nempe febrim, quæ si mansisset, solvere potuisset, hinc si hæ sex conditiones adsint, nunquam erit malum à cortice Peruviano. Quidam acriter litigant, quanam ratione ille cortex agat, plurimi putant coagulando sanguinem, & vasa adstringendo, verum est optimum aperitivum, proinde longe credibilius est eo tempore, quo spiritus à materia febrili exagitari solent, eos figi.

Pulveris. Sunt inania medicorum verba, dum dicunt, se habere corticis præparationem, quæ non nocet, dicunt enim, si in omni substantia detur, lignum obstructiones facit, in ventriculo; ut cortex sit bonus, debet esse ponderosus, ad gustum amarissimus, non nimis siccus, coloris Cinnamomi, id est, profundi coloris subrubelli, recentissimus, nullam cariem passus; tum ejus uncia una in haustu certe febrim Intermittentem tollit, si hauriatur tempore apurexia, sed venditur pro cortice, quod non est cortex, aliter res est verissima, si detur forma decocti, tum hoc decoctum sit crassum, spumosum, coloris subflavescentis, & hac methodo duplicetur dosis v. g.

℞. Cortic. Peruvian. ℥ij
Aquæ puræ ℥xx
M.

Ebulliant simul vase
clauso ad remanentiam
unciarum octo.

Nam

Nam de cortice nil perit, hoc detur tempore apurexiæ, si hoc inspissetur, habetur extractum, quod cum vino medicato ex radice Gentianæ & Centaurii minoris miscere potest, si in pilulas redigatur & assumatur cum vino, quoque summopere prodest; sed optime erit illud dari in substantia, nisi hoc malum subsit, quod sæpe in his casibus non requiritur; si detur hoc medicamentum in febre ipsa, plerumque necat, hic infame hoc medicamentum *Londini* fuit, quia paulo ante paroxysmum dabatur, infantibus debilibus ob amarorem non inconveniens sumatur triplex dosis, quam ore assumitur, decoque in aqua, unde injiciatur clysma post alvum depositam, injiciendum tribus horis ante febrim ex. gr. pro trienni infante.

℞. Cortic. Peruvian. ʒvj
Aquæ Fontanæ ℥iv
M.

Coquantur simul per horam vel sesqui horam injiciatur sex vel septem horis ante paroxysmum.

Quæ methodus est optima & eadem in adultis fieri potest; cortex Peruvianus relinquit causam materialem, sed præsens stagnans tollit; hinc nocet Phthisicis, dum chylus sanguini affunditur, hæc vero febris est major motus à machina excitatus, qua chylus subigitur, hinc est effectus chyli, & causa cur chylus subigatur quinque vel sex horis post primi paroxysmi invasionem relicto pulmone debili, sanguine corrupto, flaccidis fibris impedituris il-

lum majorem motum, dedi suasu celeberrimorum Medicorum hora decima matutina, cum febris esset ventura, hora quarta pomeridiana non accipiebant febrim, sed maximam anxietatem in respirando, quæ aqua assumpta tollebatur, si prior febris Hectica accedat, tunc curatus est æger, hinc caute hic est procedendum, si aggregatum visceris se sanguini miscet, nam oritur febris Hectica, quod est pusconceptum & eliminatum per majorem motum, sudorem, alvum, urinam vel sputum, hinc per corticem Peruvianum hæc maturatio non augetur, sed motus tollitur, ergo tum æger non habebit febriculam, sed pessimam anxietatem, quæ non curatur, nisi potu aquæ calidæ & nova febre excitata, qua plus coquitur materies, subigitur & eliminatur; hinc ibi nocet cortex Peruvianus, ubi febris facit plus boni quam mali, sed si febris sit mala, tum cortex est bonus; pro Magnatibus fiat decoctio corticis, filtretur, & illud liquidum filtratum exhalet in massam solidam, ut pilulæ inde formari possint ex binis vel trinis ℥ß. corticis Peruviani.

Specificis. Medici dicunt corticem esse adstringentem; hoc concedo, sed unde est amarum & calidum medicamentum, si ergo cum cortice vellem aliquid dare, præscriberem gratissimos syrupos subacidos, ergo hunc corticem tempore apurexiæ, sic ut ultima dosis una hora ante febrim detur; si corpus ægri sit frigidum misceri potest cortex Peruvianus cum Diatessaron *Mesues*, si cum vino detur, modo non sit nimia copia, vinum melius proderit, quam si daretur cum simplici aqua, si nulla sit apurexia & febris sit Continua, tunc detur illo tem-

tempore, quo febris eſt omnis leviſſima ſed parvis doſibus, tantum eſt cavendum, ne ſit fomes inflammatorius &c. alioquin cavendum eſſet ab hoc pulvere; obſervavit *Helvetius*, quod ſi detur cortex Peruvianus, per alvum forma clyſteris poſt egreſſas prius fœces, idem faciat, ac ſi daretur per os, ſed illa clyſmata danda ſunt triplici doſi & tempore apurexiæ, ſic igitur utamur hoc remedio, injiciatur ſequens.

℞. Aquæ coctæ & calidæ ℥iv
Mel. optimi ℥ij
Sal. Gemmæ ʒi
M. F. Clyſma.

Hocque medicamento facibus alvinis eductis adhibetur ſequens

℞. Cortic. Peruvian. ℥vj
Aquæ puræ ℥xv
M.

ebulliant ſimul ad
conſumptionem dimidiæ
partis, tum addatur
Mel. Mercurialis. ℥j
F. Clyſma.

Hoc remedio injecto, illud eſt retinendum quam diutiſſime. Vide *Fulleri Pharmacopæam extemporaneam titulo enematis febrifugi*, ubi obſervat talia enemata ex cortice Peruviano melius ſuccedere in pueris & in ætate tenera quam in adultis, vide etiam *Tractatum Helvetii*, qui nuper erat Medicus Ducis Aurelia-

nen-

nensis defuncti, ille enim primus hunc usum invenit, de usu & abusu Chinæ Chinæ, vide *Ramazinum*, qui tamen eam medelam nimium suspectam habet, non enim nocere potest, si prædictæ conditiones observentur.

Ordine. Si apurexia sit duodecim horarum, distribuenda est dosis unius uncæ in sex dosibus, omni bihorio; si vero febris sit Quartana, tunc erunt quadraginta & octo horarum intercalaris, & similiter distribuenda est dosis; sed observandum est, quod dosis est danda duplo major copia ante paroxysmi instantiam.

Regimine. Si adhibeatur in substantia v. g.

℞. Cortic. Peruv. in pollinem
subtiliss. contritum ℥j
Syrup. Menthæ q. s,
M. F. Conditum.

Sumat unam partem duodecimam omni bihorio ante paroxysmum duplicando dosin in fine apurexiæ

§ 763. *Epithemata.* Hæc est quarta methodus, qua vidi febres pertinacissimas esse sublatas; sic narrat *Coyleus in Tractatu de Infido experimentorum successu, & in Tractatu de Specificis Remediis*, quo nobili viro febre Intermittente pertinaci laboranti ad epicarpia Medicus applicaverit epithemata ex Lupulo, sale & passulis minoribus, & curaverit, & quod ipse dein idem summo cum successu dederit: omnia vero, quæ sic applicantur, sunt acria; hac ratione *Boyleus* sanavit à febre Intermittente desperatum puerum, & rusticus Batavus cum Ranunculo Pratensi febres Intermittentes sanabat, hac herba pro epithemate utens, sumebat radices

dices deterſas contuſas, quas inter flexuras digitorum & pedum. ubi cutis eſt tenerrima, aplicabat, unde maximus calor in ægro oriebatur, qui frigus ſuperventurum ſuperabat, atque ſic immunis manebat à febre Intermittente, nam in febre Acuta hoc peſſime cedeet, & forſan ægrum perderet. Si ita curare velim ægrum, primo deducendus eſt æger ad diætam Quartanariorum, de qua ſuperius egi, tunc omni die per quadrantem horæ dimittatur in balneo, frictiones adhibeantur pannis calidis præſertim circa ſpinalem medullam ante focum luculentum, vel in balneo ſicco idque cum unguentis idoneis, tunc in lecto tranquillus deponatur, & adhibeantur epithemata ad carpum ex Clematitide vel &c. bihorio vel trihorio ante paroxyſmum. Nonnulli aliam methodum adhibent, nempe inungunt dorſum ægri uſque ad os coccygis oleo Rutæ, Liliorum Convallium, Alborum, Caſtorei, Myrrhæ; Terebinthinæ lucidæ vel Iuniperi, alii ſpinam dorſi inungunt oleo Croci vel Euphorbii, tunc applicatur longum emplaſtrum tres digitos latum ex aluta cum Galbano ſuper exſtenſum à nucha uſque ad os Coccygis hac ratione ſanantur delicatiores & puſillanimi, hæc omnia in ſanguine & ſpiritibus majorem motum excitant, unde tollitur febris, ſed facile redit.

Adſtringentia. Ut faciunt Itali, qui tollunt febres Quartanas per decocta Tormentillæ, Pentaphilli, Plantaginis majoris Latifolii, Quercus, Fraxini, hæ radices maxime quoque proſunt imo & decocta corticis Cinnamomi data tempore apurexias vidi curatas

Quar-

Quartanas, sed observandum est, ne humores sint nimis dissoluti; aliter postea inde diu languent, nec facile in pristinum vigorem redire possunt.

§ 764. 1. Mera hæc est observatio, quam habet *Sydenham*, licet ipse dubitem, an res adeo ἀκριβῶς intelligenda sit. *Sydenham* dicit, quo brevior est paroxysmus febris Intermittentis, & tepus apurexiæ longior, eo plus durabit &c. vice versa, febris quotidiana exquisita septimo paroxysmo finitur, si Tertiana simplex quatuordecim diebus duret, Tertiana duplex itidem; si sit hæmitritæa continua terminatur die decimo quarto; Quartana durat per tres vel quatuor menses vel etiam longe plus, sic quo magis spatium habent Intermittentes intra se eo diutius durant Quartana requirit septies viginti quatuor horas, ut hinc illa debebit redire decies & quater juxta naturæ cursum, dicit vero *Sydenham*, intercurrerunt tot horæ, hinc diuturniores esse debent, an ille calculus exacte sit verus, hic relinquo, sed hoc verum est, quo brevior est apurexia, eo citius terminatur morbus, ut patet in Tertiana, quæ quatuordecim diebus durat, & Quartana, quæ non ita cito terminatur; nam Quartanæ in Italia sunt observatæ, quæ per annos durant, quia insultus est magnus, licet tantum temporis intercurreret, vide *Sydenham in capite de Febribus Intermittentibus annorum* 1661, 1662, 1663 & 1664. Quotidiana est proxima Acutis, deinde Tertiana & Quartana, ergo febris Quartana, omnium minime nocens, hinc vulgo dicitur de Quartana, non sonat campana. Si Quartana oriatur in corpore, ubi latet quidam

dam morbus generis nervosi, ut Podagra &c. tunc Quartana liberum ægrum faciet ab hoc morbo, quamdiu ipsa hæc febris durabit, uti hoc accidit cuidam Podagrico, quem novi, qui post passam febrim Quartanam ab hoc morbo fuit liberatus, itidem fit in Epilepsia, nam Quartana liberat à paroxysmis Epilepticis, hoc etiam est verum de Tertiana, Quotidiana, & Hectica.

2. Sic Tertiana facile fit Hæmitritæa seu Continua, citius hominem occidens, Quartana non ita prius fit duplex, tum triplex.

3. In febre Tertiana causa est copiosior, simulac finitur, incipit redire, si retrocedat, significat causa minui, hinc quo sæpius reduplicar paroxysmos; causa est mobilior, & copiosior.

4. Nam si corpus non sit ad inflammationem dispositum, plerumque tollitur septimo paroxysmo, sed si corpus ad inflammationem fit dispositum, tum non tollitur.

5. Accedente frigore Autumnales increscunt, hinc Augusto mense mitiores sunt; Septembri frigidiori pejores, & quo magis friget, eo pejores fiunt, calore benigniores, hinc mense Martio fere omnes Quartanæ fugantur.

6. In febribus Intermittentibus, ubi nulla materia, sed fere simplex irritatio spirituum juxta *Borellum*, cortex Peruvianus semper est adhibendus, sed non in his febribus, ubi materia prius est liquefacienda, emollienda, & debellanda; sicque reddimur audaces in febrium cura, & corpus redditur purum. De curatione febrium Intermittentium egi, & non scio aliquid omissum esse omnium medica-

 men-

mentorum, & methodorum, quibus febres curari possint, si ergo ille morbus sit perfecte intermittens & causam non habeat ex corruptione humorum insuperabili, nec ex labefactatis visceribus per morbum incurabilem, tum omnes febres Intermittentes per hanc methodum tam certo curari possunt, quam fames per panem & vinum.

Finis Tertiæ Partis.



INDEX
RERUM & VERBORUM.

Febris

Finis Partis Tertiæ.